FLORI
Epitomæ
a Romulo
Græcorum
cum Notis
Jan
A
37-367

in duplici loco habere assensu[m] [illegible]
eiusdē boi; sed hoc falsū: q. ista [illegible]
destruit bm̄ proīs affirmantis: ab negatis ideo inf.
et negare de eodē bo. Concedo totū argutū si intus sit in uno
loco; ergo tamen nisi si intus sit in duplici loco, nal tunc d virtus
duplex, et ita se habet ac si esset duplex realis.

tendi Valle, et posta eiusdē existendi Rome habenti simpatiā
2ō. n̄ posset intus assentiri obo Valle, et n̄ Rome. Rsp. habere
simpatiā si essent in eodē loco; at vō si sint in duplici loco dō con-
tinuato n̄ habenti simpatiā cū corpus sit virtus duplex, et n̄ ha-
beat aliquid movens intus Rome existente.

Obes. posta exis-

existente Rome videret aliq̄d. bm̄ n̄ proinde illud videret Valle,
Rsp. qa̅ visio Petri [illegible] ab bo presenti mitente species

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala
Estante
Tabla
Número

in duplici loco habere accens[us] [illegible]
eiusdē sbi; sed hoc falsū: [illegible]
destruit sbm promis affirmanti: ab negatiue ad affirmatiue
est negare de eodē sbo. Concedo totū argutus si ens ist in uno
loco; nego tamen nisi si ens ist in duplici loco, nal tunc ē virtlit
duplex, et ita se habet ac si esset duplex realit.

Tendi Date, et posta eiusdē existendi Rome habent simpatiā
ad. 2. potest mihi assentiri sbo Date, et nō Rome. Sbo. habere
simpatiā si essent in eodē loco; at nō si sint in duplici loco dis con-
tinuato nō habent simpatiā cū corpus ist virtlit duplex, et nō ha-
beat aliquid motum intus Rome existentes.

Obes 3. pōta exis-

Censeo vl. si Petrus
existens Rome videret aliqd. sbm nō proinde illud videret Date
Pet. ex visu Petri habeat et ab sbo presenti mitente species

10

18-7-9

4

8-1016

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala
Estante A
Tabla 27
Número 367

C. A.

56-1

FLORILEGII

ETHICO-POLITICI

nunquam ante hac editi

Pars altera:

Procurante

JANO GRUTERO.

Accedunt

GNOMÆ PAROEMIÆQUE GRÆCORUM:

Item

PROVERBIA

GERMANICA, BELGICA,
BRITANNICA, ITALICA,
GALLICA.

FRANCOFVRTI,
In Bibliopolio JONÆ RHODII.

Anno cIↃ IↃ c XI.

R. 13. 065

PRÆLVSTRIBVS SVMMÆQVE EXSPECTATIONIS COMITIBVS:

VVILHELMO OTHONI;

GENEROSISSIMI DN.

DN. WOLFGANGI ERNESTI,

COMITIS IN YSEMBURG ET BUDINGEN, &c. F.

NEC NON

JOHANNI;

DN. LUDOVICI, GENEROSISSIMI COMITIS IN SEYN ET WITGENSTEIN, DN. IN HOMBURGH, F.

B. R. NN.

ALIIS fortè ambitiosius Florilegij huius commēdāda fuerat aut utilitas, aut voluptas; non etiam

vobis, Generosissimi Adolescentum; id ipsum jampridem tantū non impatienter exspectantibus. insusurravit enim mihi honestissimum istud vestrum desiderium, nō sine summâ animi exsultatione, Glaserus vester, juvenis egregius. Frustrà tamen eratis in metu, ne alteri cui versus illos inscriberem. quei enim possem? quei deberem? Imò Sententiarum hanc corollam amabilissimæ nominis vestri tutelæ palàm vovi, cùm visitaretis æstate superiore Bibliothecam Palatinam. Et alioquin ita deinde de me estis meriti, ut turpi planè venirem insigniendus notâ, nisi aliquo saltem gratitudinis libamento Genij vestri bonitatē propitiarem. Ah! quamvis lapis essem aut ferrum, quei possem oblivisci non tam convivia vestra, quàm in iis ipsis gratiosissimi vultus exporrectam

rectam comitatem, quàm inaffectati sermonis gravissimam hilaritatem! Quin altè hæret, hærebitq; æternùm pectoris istius secretiore penetrali, delicatissima illa Valedictio, quâ me ante abitum uterque vestrum seorsim domi convenire dignatus fuit, venustissimâque humanitate animi sui Lubentias Gratiasq; prolixè admodum, hoc est, toto quasi horreo, exsinuavit. Equidem vel insolens istud facinus trabalis fuerit clavus, quo ipsammet retineatis obstrictam Barbariem, nedum molle meum pectus, jam antea amore atque observantiâ vobis Corculis ultrò obnoxiũ; quod disciplinas humaniores censeretis vestri Ordinis proprias, nõ etiam, ut plures e numero potentiorum, ab Orchestrâ vestrâ ad pullatos relegaretis cuneos. Nondum attigistis tertium ævi lustrum; &

ecce nihil vobis antiquius literis, nihil auguſtiùs literatis, nihil ſanctius monumentis ætatis priſcæ; quorum ſapidiſſimos quoſque liquores memoriæ commendatos penuario, ita quotidiè convertitis in ſuccum veſtrum ac ſanguinem; ut facilè appareat literariam notitiam cenſeri à vobis, non dedecoroſam, ſed glorioſam. Id tamen ipſum ne tam videatur deberi optimæ inſtitutioni, quàm meliori naturæ, indè apertè liqueat, quòd hactenus ita pertinaciter perſeveritis in iſto ſtudio, ut non tam opus ſit calcaribus quàm freno. Nec aliunde eſt profectò, quod, dum veſtræ ætatis Adoleſcētia, aut equitationi indulget aut venationi, vos furtim ad ſcrinia veſtra feſtinetis, curioſisq; illicò manibus atque oculis verſetis Orbis antiqui Numiſmata. Illud ipſum commune

mune forsan vobis cum unâ alterâq; celsioris dignitatis Animulâ; quæ nimirum ex hujusmodi cei meliis recognoscere amet, tot Deorum, Heroum, Nympharum, Tyrannorum, Regum, Consulũ, Dictatorum, Imperatorum, Cæsarum vivos vultus: verùm, nisi fallor, nemo præter vos ex illâ æreâ, argenteâ aureâque supellectile perpetuos concinnat imperij Romani fastos; nemo omnigenas eruit historias; nemo integram penè totius Naturæ faciẽ, & quidquid Naturæ insuper humana adstruxit Industria, electat. Vni, inquam, unicique estis, qui literatos istos Nummos contemplamini tanquam Alcibiadis Silenos; qui inde divina depromitis atque humana: inprimis verò facientia ad interpretationem Senatusconsultorum, Legum, Fœderum, Magi-

ſtratuum, Religionum, Sacerdotiorum, Ceremoniarum. Quin neque omittitis expendere ſimulacra Armorum, Machinarum, Navium, Coronarum, Signorum, Vexillorum, Spoliorum, Arcuum, Trophæorum, Triumphorum. Quid quod & inde Legionum ac Cohortium, ut & Gentium, Regionum, Montium, Fluviorum, Vrbium, aliam atq; aliā emolimini nomenclaturam. Equidem, aut omnia me fallunt, aut iſthæc oblectatio viros, viros, inquā, ſapit: ſiq; fas æſtimare Leonem ex ūgue, ſubeſt huic exercitio edecumata indoles, ſubeſt amuſſitatus animus, ſubeſt ſpiritus verè generoſus. Inſiſtite tantummodo deinceps hanc viam, o melior Iſemburgicæ ac VVitgenſteniæ proſapiæ ſanguis: neque animis admittite, aut adeò auribus, prætumida non-

da nonnullorum judicia, qui nihil in aliis probant, quàm quod & ipsi rudioribus illis annis fecerunt. Quippe, si tales propius excusseritis, invenietis hac grandiore adhuc ætate, ab exercendis animi bonis esse alienissimos. At quantò melius olim, *Reges innumeri, honore artium colebantur, & in ostentatione has præferebant opum; immortalitatẽ sibi per illas prorogari arbitrantes!* quæ verba, uti majoris sint momenti, sciatis licet esse Plinij, reperiunda proœmio libri XIV. Historiæ Naturalis. Nimirum *innumeri illi Reges* certò sibi persuaserant, quò longius celsæ potestates recederent ab extremis Insciticæ lineis, eò propius accedere ad perẽ niclarum illud Prudentiæ jubar; faciliusque simul,

& felicius, se ipsos regere ac suos. Et sic omninò est: quàm magis Dignitates incalescunt ab illis eruditę lucis radiis, tam sunt illustriori ornamento, imò firmamento; non suis modò rebus, privatis, publicis; sed & toti terrarum Orbi. Sanè, si eâ sunt sapientiâ navigantes, ut cursus suos perpetuò teneāt ad minimè fallaces eminentioris Phari igniculos; nulla erit tam fatua vicinia, nullus tam remotus Princeps quin ad ambulantes illos, vivosq; Pharos, animi dirigat aciem, ad eorum exemplum gubernationem suam conformaturus bono publico. Eorum è numero, utinam aliquando & vos videam! prælucentes scilicet facem merè illustrem, non patriæ tantùm vestræ, sed universæ Europæ! quod omnino certè fiet, si eo pe-

eo pede quo ire cœpistis, deinceps quoque ad augustum illud Virtutis perrexeritis templum, per sacrosanctum melioris Doctrinę sacrarium. Facietis autem, tanto prõptius atque efficacius, quod non novum aliquod vobis veniat moliendum aut muniendũ iter: tantum opus erit ut insistatis tot expressis majorum vestrorum, sive paternorum, sive maternorum, vestigiis, etiamnum hodie non unâ Pacis Belliq; adoreâ longè latèque per Germaniam illustrium: quorum per meritissimas laudes plausibiliter velificandi uberrima superaret materia; nisi probè meminissem, talia æternis Historiarũ deberi annalibus, non tralatitio alicui epistolio. præcipuè cùm vel soli parentes vestri, publicâ veracis Famæ voce, nullo non censeantur præco-

præconio majores : utpote ſine controverſiâ Germaniæ ſuæ lumina ac columina prima. Planè, omnibus eſſe Virtutis ac Fortunæ numeris abſolutiſſimos, eoque hinc univerſi Orbis attrahere amores: inde vicinorum Principū Vrbiumque elicere reverentiam, nemo eſt qui neſciat, nemo eſt quin fateatur: tāquam inter quos non aliter reſplendeant, quàm in puriſſimo auro, puriores Gēmæ. Nec mirū: cùm nihil ſit tota ipſorum vita, quàm veræ Pietatis, veræ Probitatis, veræ Benignitatis emēdatiſſimū exemplar. quod ipſum, tanto magis vobis imitādum, Generoſiſſimi Adoleſcentum, quanto eſtis eis conjunctiores, ſui nempe hæredes. Et ita eſt: non ipſos modo æquabitis, ſed ſuperabitis. tantùm perannate, florentiſſimis

Dei opt.

Dei opt. max. auſpiciis, animo atque corpore: neque unquam dimoveamini, ab hoc, inſolenti quidem, ſed honoratiſſimo tamē propoſito, amandi literas, demerendi literatos. Cui rei, ſi incentivū forſan ac fulcrum, neque exile, neq; caducum, ſuppeditarit Florilegium iſtud, tanto pere nuper à vobis expetitum; erit quod fortunæ meæ gratuler. Vt ut fuerit: exſtabit nihilominus tenerrimi mei erga vos affectus cultuſque qualiscunque arra, & cur nō etiam ara? quæ videlicet paſſim legitimis quibusque Muſarum Gratiarumq; myſtis, publicè inſinuet, præclara iſta veſtra, ſupra ætatem, imo & ſupra ſæculum, tyrocinia: ſi nō in aliquā veſtram laudem, at certè in aliorū exemplum. Vos interim hac inſcriptione macti eſſe Generoſiſſimi Ado-

mi Adoleſcentum; utinam virtutis veſtræ tam perpetuo, quàm obſervantiæ meę ſincero monumento. Scribebam in Bibliothecâ Palatinâ, vobis, familiisque veſtris verè primariis,

nullo non obſequij genere devinctiſs:

JANUS GRUTERUS.

SERIES OPERIS.

I. Florilegium Ethico-politicum, quatuor mille versibus, &c.

II. Gnomæ, parœmiæque poëtarum Græcorum.

III. Gruteri Notæ subsecivæ.

IV. Proverbia Germanica, deprompta ex Sebastiani Franci opere.

V. Belgica: ab amico non uno communicata, tali tamen, ut nesciam an nomina sua prodi velit; melioribus monumentis alioqui spectatissima.

VI. Britannica: transmissa item mihi ab viro & amico aurei sæculi, hoc est morum antiquorum.

VII. Italica; excerpta planè ex Horto Joannis Floridi.

VIII. Gallica, translata ex latifundiis nescio cujus Solonis Vogæi, qui & sibi attribuit nomen Appollinaris Boni: in quibus tamen occurrunt q̃plurima originis planè novitiæ.

SENTENTIARUM ETHICOPOLITICARUM

Pars altera,

Nunquam antehac edita: sapore tamen antiquitatis penitus imbuta, & parte sui potissimâ ex optimorum quorumcunque auctorum scriptis formata aut derivata.

A

A filio se vinci latatur pater.
A fratre amari mavelim quàm suspici.
A morte Regum producuntur crimina.
A queis ameris, pauperies sola indicat.
A saturitate nascitur petulantia.
A servo etiam prudente consilium accipe.
Ab homine cogi non potest ullo Deus.
Ab homine homini quotidianum periculum est.
Ab occupato exerceri benè nil potest.
Abesse certè epulis debet crudelitas.
Abscondita nulla est Utilitas musices.
Absentem honores, qui præsens contemnitur.
Absente corvus est pulchellus graculo.

Absentiæ damna haud sentit dilectio.
Absque administris facere quid Princeps potest?
Absque elidentis nil perit periculo.
Accepta morti nulla est excusatio.
Accidere nil mali viro potest bono.
Acerbat omnem injuriam cognatio.
Acerrimus fidei est exactor perfidus.
Acquirere est viri, servare fœminæ est.
Ad bene vivendum, minima portio, vivere est.
Ad deteriora firmè vulgus promptior.
Ad facinus omne paupertate impellimur.
Ad gloriam majus nihil patientiâ.
Ad id manum refrimus sæpe quod dolet.
Ad lippientis intuitum, quoque lippias.
Ad neminem ante mens venit bona, quàm malæ.
Ad philosophiam est iter quoque sine viatico.
Ad quæ venit animus præparatus, fortis est.
Ad saturitatem nullâ fortunâ est opus.
Ad suspicionem tyro pallet vulneris.
Ad turpe quid, frustrà virum cogas probum.
Ad vana consternatur omne quod ferum est.
Ad universum terra vix puncti loco est.
Adfert rebus consuetudo constantiam.
Adfinitas valet potentum, ubi expedit.
Admota mors, etiam animum dat imbellibus.
Adoptione vacuam fulcias domum.
Adspectu ab ipso omnis libido nascitur.
Adsuesce verum dicere, haud mendacium.
Adsunt mala ultrò: bona labore compares.
Adversa certè homines religionum admonent.
Adversa ferre & lata vir potest probus.

Adver

Adversâ frenant, prosperâ animos efferunt.
Adversâ homo melius fert quàm felicia.
Adversâ reddunt supplicem, non prospera.
Adversitas virtutis est probatio.
Adversitatis linguâ nil loquacius.
Adversitati novitas pondus adiicit.
Ædes Honoris ac Virtutis unica est.
Ægerrimè à corio canem raso abstrahas.
Ægroto animo medetur & oratio.
Ægrum à dolore lacrimæ fusæ vindicant.
Æqua atque iniqua audire passim, regium est.
Æqualis est ratio: affectus citò cadit.
Æquanimiter mala cuncta fert patientia.
Æquè bene hominem culmo, quàm auro pertegas.
Æquè nil hominem quàm animus excelsus decet
Æquè vitium est cunctis quàm nulli credere.
Æqui bonique oportet facere id quod adest.
Æquo ferendum est animo, fors quidquid feret.
Æquum est homini cuique esse rem suam in manu.
Æquum est curare semet lassos de viâ.
Ærugo ferrum, invidia interimit invidum.
Æstate somnus sub lucem est profundior.
Ætas senecta vt corpus, sic animum terit.
Ætas mala ipsi merx mala est tergo senum.
Ætas senectæ ambitionis malum atterit.
Ætatis in animo haud sentias injuriam.
Ætatis omnis homines admittit schola.
Ætate fessus sacramento solvitor.
Ætate primum est in nostrâ quod optimum est.
Ætate senectâ sycophantarier pudet.
Ætatibus siccis est ira fortior.
Æterna miseria est torqueri alienis malis.

Æterna res atque immortalis Veritas.
Agilis minus est animus sub vasto corpore.
Aliena melius homines quàm sua judicant.
Aliæ Ducum sunt artes, aliæ militum.
Alimenta varia sanitatem destruunt.
Aliquando dies noverca est, aliquando parens.
Aliquando & insanire jucundissimum est.
Aliquando, & vivere ipsum, est facere fortiter.
Aliquando parte sapiens contentus sui est.
Aliquando pœna, facinus dum monstrat, docet.
Aliquando victis ira etiam ac virtus redit.
Aliquid libenter qui facit, citò facit.
Aliquid loqui ingens, nisi mens mota non potest.
Aliquid mali homini est propter vicinum malum.
Aliquid novis auditis auctor adjicit.
Aliquid remittas, an solvas, multum interest.
Aliquis superstes carnifici fuit suo.
Aliter amicam, aliter osculamur liberos.
Aliter beneficium solvitur, aliter creditum.
Aliter cum amico, aliter vivas cum principe.
Aliter homines loquuntur, aliter victitant.
Aliter homines populo vivunt, aliter sibi.
Aliter mulierem ægram cures, aliter virum.
Aliter olent catelli, aliter olent sues.
Aliter secundâ, aliter re adversâ consulas.
Aliud facere est injuriam, aliud reponere.
Aliud loqui, sentire aliud turpissimum est.
Alios sibi omnes ira adfectus subjicit.
Aliis odium vitæ est, aliis fastidium.
Aliud nihil velimus, quàm quod vult Deus.
Alterius exspectare opes miserrimum est.
Altrix senij optima est bona conscientia.

Aliquando dulcis, amara aliquando est veritas.
Amare capitis damnatos licet palam.
Amare lucrum nullum amatorem addecet.
Amare nimium, odio est habere liberos.
Amare, res est omnium liberrima.
Amare servus vix herum potest: timet.
Amantur usque in delitias cœlestibus.
Amator haud juris sui est; insaniæ est.
Ambitio adeptis consenescit honoribus.
Ambitio iners est gloriarier otio.
Ambitio magno nobis constat, non fames.
Ambitio pestis omnis est potentiæ.
Amens amans sit, si desperat consequi.
Amica valde hominum lingua est convitiis.
Amicitia esse non potest inter malos.
Amicitia fervet, quandiu olla fervida est.
Amicitia omnibus inter se est virtutibus.
Amicitia omnis expers est superbiæ.
Amicitiæ vel quærunt, vel faciunt pares.
Amicitiæ fons omnis benevolentia est.
Amicitiæ quàm similis adsentatio est.
Amicitias plures rupit silentium.
Amicus, amici actu lætatur, ut suo.
Amicus certus in re incertâ cernitur.
Amissa quæ sunt, maximè cuivis placent.
Amisso apum Rege, omne examen labitur.
Amittitur pudor si deprehenditur.
Amœnitas nimia animos homini effœminat.
Amor quid est? animæ vacantis passio.
Amplecti vis virtutes? media amplectere.
An liberum dices qui servit corpori?
An vixit is unquam qui placuit omnibus.

An vixit is unquam qui placuit omnibus?
An ulla virtus virtuti contraria est?
An quis in amorem incidere adspectu uno potest?
Anathemata ornant urbem, animum mathemata.
Angi futuris quid nisi est dementia?
Angustius animus iis terrena queis placent.
Anima manet in furiosis, mens exstinguitur.
Animæ medicina præstans eruditio est.
Animâ valente quodvis sufferas malum.
Animus malè æger res miserrima omnium.
Animus malus sua proximis tradit mala.
Animus remitti non resolvi quaritat.
Animus sui rector paucis est optimus.
Animi facilius mala sustollas quàm regas.
Animi magistra est Sophia: non docet manum.
Animi modus ad rem pertinet, haud pecunia.
Animi simulacrum ipsissimum est epistola.
Animi superstio est in morbo corporum.
Animo benè habenti, calamitas quævis levis.
Animo beneficia constant, atque injuriæ.
Animo esse non potest quieto homo improbus.
Animo generoso corpus ægrum non nocet.
Animo parandum est ultimum magno scelus.
Animum bene nulla fundatum agitet machina.
Animum docendo res minutas conteris.
Animum sapiens, donum intuetur stultior.
Animos generosos nutrit & firmat labor.
Animis suis vacare nequeunt divites.
Annona item redit cum pace laxior.
Annos Dei fœdos morbis insigniunt.
Ante experimentum nemo præmium percipit.
Anteire priores virtus quævis discupit.

Anteiri honore à deterioribus grave est.
Anteit labor virtutem, gaudium subit.
Antiqua vix nisi in pejus mutaveris.
Apud inferos parissima est æqualitas.
Apagesis, negotij quantum in muliere unica est.
Aperta transit fur, rimatur condita.
Apertus est fœlix, opertus est miser.
Apes relinquunt aculeos in vulnere.
Aptus magis foro eloquens quàm prælio.
Aptatur ad ea jus quæ frequenter accidunt.
Apud inferos tantummodò unus Cerberus.
Apud tyrannos & pro pœnâ quæstio est.
Arcana Regum, ipsi produnt satellites.
Arma ornamenti caussâ Rex habet bonus.
Arista pungit, mucro ferri perforat.
Ars omnis implet quod naturæ deficit.
Ars disciplinæ recta est educatio.
Athleta nudus expeditius dimicat.
Avaritia omnis pestis est potentiæ.
Avaritiam repetundarum infringit metus.
Avarus animus nullo satiatur lucro.
Auctoritas legum, Regum est auctoritas.
Avarus, idem cum cane in præsepio.
Auctoramenta servitutis sunt opes.
Auctoritas duci ipsa pro facundiâ est.
Auctoritati nullæ nisa opinio est.
Auctoritate assidua caret severitas.
Audacia etiam alieno crescat ex metu.
Audacia omnis exit virium modum.
Audacius quid, obsecro, est insciti?
Audacter ad salutem porrige brachium.
Audere magnum nil manus possunt rudes.

Audire miseri miserias properant suas.
Audire plus quam fari militem decet.
Audire qui non vult malè, haud dicat malè.
Audire vera minus volup est quàm dicere.
Audire verum qui timet, ne dixeris.
Audire verum res est jucundissima.
Auferre quid cui, quàm negare acerbius.
Auget nec-opina gaudium præsentia.
Avidos facit nimia homines felicitas.
Aulam scelera intrant, exsulat virtus casis.
Auro magis imperium quàm ferro adaugeas.
Aures oculique plurimi sunt Regibus.
Aures superbas assentatores regunt.
Aurora Musis acceptissima est novem.
Aurum amplius cruciat adest cui largius.
Aurum ignibus; discrimine arguitur probus.
Auscultà ei, eja, auriculæ cui sunt quattuor.
Aurum erogare bonum est, malum est reponere.
Aut dic aliquid melius silentio, aut sile.
Aut rariter Regi loquare aut suaviter.
Aut esse oportet frugi hominem, esse aut Cæsarem.
Auxilio opus Dei quoque habebat Hercules.

B

Balearicâ fundâ præludas prælio.
Beata vita utique virtutis præmium est.
Beatus est cui gaudium omne ex se nascitur.
Beatus est, beatus est qui in liberis.
Beatus est qui vivere in publico potest.
Beatus ille est, omnia, qui quæ vult habet.
Beatus ille est, qui nil vult nisi quod habet.

Bellare cogit & brumâ necessitas.
Bellum magister omnis est injuriæ.
Bellum geras non in tuo, sed hostico.
Bellum manus poscit, non multa nomina.
Bellum omne honestum turpi paci præferas.
Bellum omnia aufert præter virtutes viri.
Bellum paret pacem pati qui non potest.
Bellum requirit consilium ac pecuniam.
Belli bonus dux in periculis cernitur.
Bello ac periclis summa mereas præmia.
Bello atque pace semper sunt boni canes.
Bello exitus secundum jus fas dant Dei.
Bello nihil civili perniciosius.
Bello parum habilis miles est exterritus.
Bellis grave est venire inter civilibus.
Bene consulere in concilio, non meretricium est.
Bene judicati pertinax constantia est.
Bene sapere, & bene agere, fermè dissident.
Benefaciendo sesè homo jungit Deo.
Benefacta multa uno delicto destruas.
Beneficium eodem animo debetur quo datur.
Beneficium haud dedit qui invitus profuit.
Beneficium non est quod recusanti datur.
Beneficium ubi perit, perit quoque gratia.
Beneficij pars judicium vel optima est.
Beneficia accipere se putant cùm dant boni.
Beneficia modica, injurias vocant mali.
Benificia multa frontem habent asperrimam.
Beneficia nemo perdit, nisi qui computat.
Beneficiis ab ullo vinci haud regium est.
Beneficus alteri omnia præstat, nil sibi.
Blandissimè quem quis vita exemplo arguat.

Blanditia meretricum nil quàm viſcus merus.
Bona cauſſa verbis pluribus non indiget.
Bona corporis animi ipſiusmet ſunt mala.
Bona hercle non ſunt illa, quæ deſunt Deo.
Bona ſegnius ſua homines quàm mala ſentiunt.
Bona vita ſemper gaudium ſolidum obtinet.
Bonæ locus ſpei illi eſt, cui præſtò & pudor.
Bonitatis eſt pars magna, fieri velle bonum.
Bonus animus in malâ re dimidium eſt mali.
Bonus bono eſt amicus; improbo improbus.
Bonus bono prodeſt, nocet malus malo.
Bonus eſſe non poteſt, imitatur qui malum.
Bonus nequam hominis parvipendit gratiam.
Boni ex ingenio mores alienos probant.
Bono initio bonum ſperes quoque exitum.
Bonum ac malum homini omne à vicinis provenit.
Bonum aut malum conſilium eventus efficit.
Bonum bono, malum uſque proximum malo eſt.
Bonum minimè eſt inordinatum aut turbidum.
Bonum putant eſſe aliqui id, quod eſt vtile.
Bonum ſine malo in vitâ hac eſſe non poteſt.
Bonum ſuum cibo metiuntur beſtiæ.
Bonis ferè male eſt, malis ferè eſt bene.
Bonis ſaluti eſt quiſquis punit improbos.
Bos eſt tuus ſi cornu vtroque contines.

C

CÆdes, licet hoſtis, inquinat tamen manum.
Cadit ſimultas deſerta à parte alterâ.
Calcat timorem ſors rerum extremiſſima.
Camporum aperta fraudium extra ſunt metum.

Cani

Cani ante tempus, indices prudentiæ.
Canem acriorem objecto lenies cibo.
Captis gravius est servitium quàm deditis.
Carcer mediâ urbe, decorat urbem haud polluit.
Carere invidiâ difficile est in prosperis.
Caro illa quæ non est caro, dulcissima est.
Carum bono omni naturâ suâ est bonum.
Castæ virum haud sequuntur, prægredi solent.
Catulorum amor in venabula impingit feras.
Caussa est mali tui haud Deus, sed tu tibi.
Caussa omnis inter mortaleis opes mali.
Caussæ bonæ pugna exitu nunquam mala est.
Caussæ dolorum sunt honores atque opes.
Caussam qui agit Deorum, rem facilem facit.
Caussidicus illicò Cercops fit pro libero.
Cœleste regnum per terrenum proficit.
Cœlo Dei haud descendunt ut quemquam juvent.
Caruisse stultitiâ, prima est sapientia.
Cave interimas ferro quos hastâ viceris.
Cavere nescit sueta mens victoriis.
Cæli ratio in animo; terræ est in corpore.
Cecidere multa ut altius resurgerent.
Cedat prior, quisquis prior deliquerit.
Cedunt in usum res omnes sapientiæ.
Celerrima per iram via ad insaniam est.
Censura nunquam nostra nobis fallitur.
Centurio sævus desertores facit.
Centum supra annos vita produci nequit.
Cernunt aliorum vitia multi, non sua.
Cernentibus prærupta vertigo imminet.
Certamen aufer, ne quidem virtus erit.
Certè medico malè est, si nemini malè est.
Certamen ipsum tolle, haud adversarium.

Certissima est tutela quæ est è proximo.
Cui non odio obstinata sit severitas?
Cibi varietas, caussa morborum omnium est.
Circumcisi sunt peregrinantium sarcinæ.
Citò erit verendus, qui vereri alium potest.
Civile bellum etiam excitarunt nuptiæ.
Clades suas duplat, nimis qui detegit.
Clamor ferè de prælij index exitu est.
Clarissimi morte indignâ pereunt duces.
Clementia omnes, sed magis reges, decet.
Cœna ulla non placet mihi quæ bilem movet.
Cognatus imò innatus amor sui omnibus.
Cœpit simul cum odio sui ipsa veritas.
Cognoscere astra, etiam bello ars est utilis.
Colere pietatem minimè facile Principi est.
Collegiorum noxia est frequentia.
Comes rei secundæ negligentia est.
Commissa fidei circumspectè servias.
Commodior est in mensâ quam in viâ lepus.
Commune fertur levius infortunium.
Commune malum est nobilitatis superbia.
Commune naufragium, omnibus solatium.
Communio nulla esse cum improbis potest.
Commune vitium iniquè objicias singulis.
Communis ipsa cunctis Roma patria est.
Communia sunt amicorum inter se omnia.
Complurium magistra est artium fames.
Componit ærumnas tempus vel maximas.
Conatur animus magnus paria ac perditus.
Conditio eadem est præceptorum quæ seminum.
Confertam ingenium hominis doctrinam haud sufferat
Confidit imperitus, doctus prætimet.

Congratu.

Congratulatur corvus operibus lupi.
Conjunx oculis malè ducitur, benè auribus.
Consilium in ipso ineptum omne est negotio.
Consilia amicis Regum constant maximo.
Consilia capias pro re proque tempore.
Consilia fermè succedunt audacia.
Consilia fida quei sint quæ sunt hostium?
Consilia perscrutari Divorum arduum est.
Consilia tuta præferenda fortibus.
Consilia vincit omnium una occasio.
Consilia ab hoste qui capit, vult decipi.
Constare nulli gratis libertas potest.
Constare parvo nulli magna res potest.
Consortis omnis impatiens potentia est.
Consulta Fati perfer: vertere haud potes.
Consulta rectè haud semper sunt læti exitus.
Consummat hora mortem extrema, non facit.
Continua quem non efferat potentia?
Contagiosus est scelestum qui attigit.
Contra Deum pugnare est, sed non vincere.
Contra naturam vitia pugnant omnia.
Contrariis mediti curant contraria.
Convitium bene vivendo fit improbis.
Cor atque linguam maximè curent senes.
Cor facilè adhæret quæ frequentat omnibus.
Cor non putrescit, si levetur ad Deum.
Corpus duplex amicis, at cor unicum est.
Corpus reliquum, corrupto corde, inutile est.
Credenda quæ sunt, si haud fides oraculo est?
Credendum amico tantundem est, quantum tibi.
Credit libenter animus illa quæ expetit.
Crinita mortem stella minatur regibus.

Crude-

Crudeliter perit quis post victoriam.
Crudelis est, qui misero dissuadet mori.
Crudelitas lassa haud equidem clementia est.
Crudelitate quid negotiosius?
Crudelitatis odium crudeles facit.
Cudit malum sibi ipse cudit qui alteri.
Cujusque virtus expendenda; haud patria.
Cui contigit nasci, illi item restat mori.
Cui Jupiter est iratus, Musas negligit.
Cui jus valet imperij, transmittit inania.
Cui lauta mens est, est & puro corpore.
Cui longa vita est, longum & infortunium est.
Cui magnus animus est, ei magnum nihil.
Cui mens bona est, Divorum quilibet favet.
Cui militi pudor, cui est modestia?
Cui non homini ex alieno incommodo lucrum est?
Cui non malorum egestas creditur ultimum?
Cui parcat alieno, qui non parcit sibi.
Cui vinum adest, lac Veneris non desideret.
Cui profuere vatum à seclo oracula?
Cui pura mens est, purus toto est corpore.
Cui vita vitæ ei & ornamenta serviunt.
Cuicumque jus vitæ ac necis penes suæ est.
Cuicumque rector Genius homini jungitur.
Cuicumque stulto desit & patientia.
Cuinam potest dicenti de ipso se credi?
Cuiquam ne edendum est ante quam imperet fames?
Cuivis libido fons origoq; est malo.
Culina fœdum est exitium patrimonij.
Culpa inde abest, mens consiliumq; unde abfuit.
Culpâ suâ qui miser est, & turpissimus est.

Culpâ

Culpâ vacare maximum est solatium.
Culpam minuit pudor, cumulat defensio.
Culpam antecedit semper pœna quamlibet.
Culpanda nulla sunt Naturæ munera.
Cultura vana extraneos metuit arbitros.
Cum Deis ne belligeres, quibus sat esse non queas.
Cum mente nunquam lingua viri pugnat boni.
Cum morte inimici jure odium ejus interit.
Cùm desinendum est, turpe incipere vivere est.
Cùm dico ut digna es, non loquor malè, sed benè.
Cùm dixeris quæ vis, quæ non vis audies.
Cùm sis homo, expectes vel absurdissima.
Cùm morimur, esse maximè gratis libet.
Cùm poma fugiunt, hinc sunt & gratissima.
Cùm res loquuntur, frustra verba funditas.
Cuncta eveniunt Deos sequentibus benè.
Cuncta eveniunt Deos spernentibus malè.
Cuncta accidunt leviora, ea exspectantibus.
Cunctæ voluptas mater ægritudini est.
Cunctis suos præfert catellos simia.
Cunctationis vitia virtus corrigit.
Cupiditas omnis semper à fine incipit.
Cupidus quoque concupiscit quod non est opus.
Cura animal omne in amorem convertit sui.
Curæ animæ curæ præferuntur corporis.
Curam bonorum suscipit certè Deus.
Curis medicinam tempus omnibus facit.
Curanda sunt quædam ægris ignorantibus.
Curare hominem ægrum res permolestissima est.
Curationes ægrum obire aliquem improbum est.
Custodienda lingua in mensâ maximè.
Cursusque consiliique haud idem est exitus.

Cygni

Cygni canores gracculis silentibus.
Cynicâ esse è gente oportet parasitum probum.

D

DAmnat reum sua vita, haud accusatio.
Damnanda præstat sepeliri silentio.
Damnum intulisse, gloriæ ducunt divites.
Da multa famæ, at plura conscientiæ.
Dat ira pœnas fermè pœnas dum exigit.
Dat nemo plus, quam qui reliquit nil sibi.
Datur facilè, at non facilè item impletur fides.
De liberis haud judicat rectè parens.
De morte sapiens moriens fert sententiam.
De nullâ honestâ re bene vulgus judicat.
Debent dare etiam multa famæ Principes.
Debere et cui nolis, tormentum grave est.
Debere nulli quidquam ingratus se autumat.
Debet sibi quisque à negligente quod capit.
Dediscitur ægrè ætas quod didicit junior.
Defuncta non revocantur ullis planctibus.
Delator unus felix, plures suscitat.
Delicta atrocia atroces pœnas postulant.
Delicta quis non modica amici perferat?
Deligere oportet eum diligere quem velis.
Dementia fugere est, ire cùm nequeas retrò.
Dentes cadunt plerunque septuennibus.
Desiderant firmam frontem civilia.
Desiderat scenam Regum impotentia.
Despicere virtus est, occasio ut admonet.
Deus bonum virum in deliciis non habet.
Deus est ubique; plena cuncta sunt Deo.

Deus

Deus nimis manifestè mortaleis juvat.
Deus piorum suffragatur posteris.
Deus preces non audit, cùm non expedit.
Deus propitius, optima est possessio.
Dei colendi gratiâ homines nascimur.
Deum latere vir perjurus non potest.
Deum propitiat qui se à fraude continet.
Deo nihil acceptum à perjuris supplicij.
Deo potest fieri, fieri quod non potest.
Deos magis contemnere quàm homines impium est.
Dic aliquid, eja, contra, uti simus duo.
Dicunt opes multi spernendas, & habent.
Difficili animo quis facilè res suas gerat?
Difficilis est mutatio consuetudinis.
Dignare honore quo cives & advenas.
Diis templa: libros consecres potentibus.
Dijudicanda purpura est ad purpuram.
Dimidium operis totius principia occupant.
Dimittimus functos, imò præmittimus.
Discenda virtus: nemo fit casu bonus.
Discentem onerat librorum turba, haud instruit.
Discipula ferè virtutis est Adversitas.
Dispar facultas cuique vivendi data est.
Diu vixit, quisquis vixit ad sapientiam.
Dives fieri qui vult, fieri vult & cito.
Dives manum, eia, porrigas egentibus.
Dives potius aurum quàm cœlum suspicit.
Dives variis cestus Veneris affectibus.
Divina jussa exsequere: minimè examines.
Divitiæ in animo sint, non in patrimonio.
Divortium quasi fructus matrimonij est.
Divortunt mores virgini longè ac lupæ.

Diutinè uti bene licet partum benè.
Diuturnitate senescit adfectatio,
Diuturnitate minuitur diligentia.
Diuturnus esse morbus vehemens non potest.
Diuturnus obses mancipium patientiâ est.
Doctrina, docti è vitiis carpitur improbè.
Dolor insidiatur usque solitudini.
Dolis medeare sæpe si haud intelligas.
Doloris omnis ultio confessio est.
Domesticus non curat luctus publicum.
Domi timeri tam molestum est quàm foris.
Domini est docere, non audire villicum.
Donare posse non sanè est cujuslibet.
Donatio nil sæpe quàm venatio est.
Donum Deum lex omnis immortalium est.
Donum veneno hostile semper oblitum est.
Ducas amicum errores qui prodit tuos.
Ducenda fossa est, quà fluvio diffiditur.
Ducenda si uxor, pervicinam ducito.
Dulce est referre quidquid acerbum olim fiat.
Dulcissimum est potiri quæ desideras.
Dum mane est, omnes esse mortales decet.
Dum respuunt laudari plures, appetunt.
Duos amicos violat, qui alterum violat.
Duos puella amare non potest simul.
Durat beneficium eo etiam amisso quod datur.
Duos magistratus gerere anno uno nefas.
Durat parum doloris summi intentio.
Dux admonendus: verùm non à quolibet.
Dux illico reus fit re gestâ male.
Dux prævius bonus adseclam reddit bonum.
Duci itineris extra vincla cur habeas fidem?

E

E præteritis futura exemplis discimus.
Ea vera virtus cui comes prudentia.
Eadem probamus, eadem modò reprehendimus.
Eadem sui est in omnem partem veritas.
Ecastor mulier rectè olet, ubi nil olet.
Edacitas terit cibos, oculos vorat.
Effectum obedientia properat militis.
Effeminat viriles animos Musica.
Egon' ut cavere nequeam cui prædicitur?
Ei licet adulari, occidere quem licet.
Elementa malorum, avaritia atque ambitio.
Emenda quovis non est vita præmio.
Emere aliquid, ali mox ut vendas sordidum est.
Enervat hominem imo & castrat, felicitas.
Eodem mihi pretio sal perhibetur quo tibi.
Equo senenti onus consuetum subtrahas.
Equites Senatus dicas seminarium.
Equus freno rebellat, raro suo uteris.
Equidem voluptas est parens libidinum.
Esse innocentem in bello difficillimum est.
Est aliud pœnæ eximere, aliud infamiæ.
Est artium antiquissima omnium Musica.
Est animus aptus bello decimus septimus.
Est bracteata regibus felicitas.
Est caussa morbi non unius crapula.
Est certus erga incerta semper vir probus.
Est culpa, pœnæ anteambulo non subsequa.
Est captus à pœnis non victus Regulus.
Est cura recti simplex, pravi multiplex.

Est etiam & illud ex vitæ officiis, mori.
Est exitus felicitatem qui arguat.
Est facere forti promptius quàm dicere.
Est fundamentum pietas virtutum omnium.
Est negligens semper sui præsumptio.
Est illecebra discendi oblectatio.
Est judicare onus grave atque incommodum.
Est libera amicis quæ præstatur servitus.
Est mentis abjectæ index arrogantia.
Est liberalis disciplina Musica.
Est noxium æquè contemni, quàm suspici.
Est omnium servus qui servit gloriæ.
Est omnium virtutum mater charitas.
Est personata divitum felicitas.
Est prostitutis aliqua etiam modestia.
Est scire satius supervacua omnia quàm nihil.
Est præferendus cuivis mortali Deus.
Est providentia melior pœnitentiâ.
Est satius otiosum esse, agere quàm nihil.
Est sanitatis mater abstinentia.
Est turpitudo malum unicum sapientiæ.
Est tutor asper verbis, re verò pater.
Est vita longa homini satis, uti si sciat.
Et bestias ligat naturæ gratia.
Et caussa pugnæ facta aliquando aquatio.
Et Diis sua ludo intermisso indignatio est.
Et dignitati legibus est antiquitas.
Et fabulæ magnæ magnum est proœmium.
Et fama judex Principum liberrima est.
Et feminæ ambitiosæ sunt per liberos.
Et forma mentes expugnat adamantinas.
Et glorioſum pro innocentiâ mori est.

Et gratiæ aguntur Regibus pro injuriâ.
Et gratiam quandoque veritas parit.
Et gratus est, beneficium in mentem cui venit.
Et hamum & escam sæpe piscis abstulit.
Et hospitalis mensa piratæ sacra est.
Et quibus abest pudor, abest ipsa humanitas.
Et imminentis sunt mali præsagia.
Et inter arma legibus vis est sua.
Et lex, & ætas quosdam à præliis avocant.
Et misericordia proxima innocentiæ est.
Et munera fortunæ sunt pro virtutibus.
Et plaustro ab ipso sæpe tolluntur boves.
Est præferenda semper perfidiæ fides.
Et postmodum ortæ gratia post injuriam est.
Et sanitatis mater est frugalitas.
Et simia esto versans inter simias.
Et sæpe naturam superat necessitas.
Et turpis aliquam pictor pulcram pinxerit.
Et vera falsis admiscet delatio.
Et veritatem celat benevolentia.
Et ultimum malorum obsessis est fames.
Etiam adjuvant castas formæ præconia.
Etiam æstimata à Diis fama est modestiæ.
Etiam altitudo res summas ipsa attonat.
Etiam ambitione clades accipitur Ducis.
Etiam bonus mediocribus vitiis caret.
Etiam bonorum à pœnâ publicatio est.
Etiam bonum molestum est, si nimium est bonum.
Etiam boum pro lignis fimus uritur.
Etiam calamitas calamitatis solatium est.
Etiam cavenda criminis suspicio est.
Etiam carendum vitiis est mediocribus.

Etiam decens & luctui imperat pudor.
Etiam cicatrix sanum ubi vulnus est manet.
Etiam Deo hominum nota cogitatio est.
Etiam Deos veneratur iratos pius.
Etiam dolendi disciplina homini est sua.
Etiam dolis regnum mulieribus occupes.
Etiam dolor ridiculos homines efficit.
Etiam domi beatis aurum nascitur.
Etiam eligas opportuna horreis loca.
Etiam exterorum honestum virtutes sequi est.
Etiam esse post mortem vtilis quærit probus.
Etiam est avarus cupidè qui servat sua.
Etiam fames mutas accendit bestias.
Etiam feræ ipsæ officia præstita sentiunt.
Etiam feræ subiectionem ultrò induunt.
Etiam fides ipsis præstanda perfidis.
Etiam fides ipsis servatur hostibus.
Etiam hinnulo quandoque præda fit leo.
Etiam imperat ipsi pulcritudo robori.
Etiam Imperatori ipsæ leges imperant.
Etiam impium votum sceleris vicem tenet.
Etiam improbi vitiorum nomen respuunt.
Etiam improbis suus ad verba improba est rubor.
Etiam impudicat nimius cultus corporis.
Etiam in Deis laudamus mansuetudinem.
Etiam invenias quietem lassitudine.
Etiam invenias qui honesta in mercedem colant.
Etiam in viâ pax est obsessâ pauperi.
Etiam ipsa virtus adprobat se pessimis.
Etiam jubet natura captis parcere.
Etiam manu fit hominum pestilentia.

Etiam

Etiam in virum potest converti femina.
Etiam invidet vel nudo vulgus nomini.
Etiam memoria absentes præsentes facit.
Etiam manu navem comprehendas ferreâ.
Etiam modus suus ipsimet Sapientiæ est.
Etiam natura ad laudem indoctos provehit.
Etiam novercæ odiosus privignus probæ est.
Etiam patientiâ vincitur crudelitas.
Etiam parentes nimium exanimat gaudium.
Etiam periclum discutias audaciâ.
Etiam probo est molestum, laudari nimis.
Etiam positis mare inquietum est flatibus.
Etiam potest vir summus exire è casâ.
Etiam potest amare, occidere qui potest.
Etiam quis est absque instrumentis artifex.
Etiam qui non sequuntur virtutem vident.
Etiam quod alicui effugit, potuit pati.
Etiam ruinâ exstinguere est incendium.
Etiam repræsentat parentem filius.
Etiam sapere absque pompâ atque invidiâ licet.
Etiam scelus nocet privati publicè.
Etiam serendum est post segetem minimè bonam.
Etiam sine hoste homines patimur hostilia.
Etiam sine armis relligioni vincere est.
Etiam suis beneficia servi dant heris.
Etiam suis bona includuntur finibus.
Etiam suis ipsum patronis jus eget.
Etiam temeritas hostem in prælium elicit.
Etiam togatis sua sunt latrocinia.
Etiam triumphat lucrum de sapientiâ.
Etiam tyrannus sævus est per otium.

Etiam viâ legum impugnant leges mali.
Etiam viros fortes subitis exterreas.
Etiam viros debellat invictos dolor.
Etiam vitium contactu proximis nocet.
Etiam volucres faciunt matrimonia.
Etiam voluptas sæva ingenia ad se rapit.
Etiam volunt pacem qui possunt vincere.
Etsi Deus differt pœnam, haud aufert tamen.
Eventus omnis fortunæ incertissimus.
Evellere herbam stirpitus malam, adprobum est.
Euripus est fortuna; nec loco manet.
Ex commodo absumuntur fontes publico.
Ex confragoso fortior miles venit.
Ex otio nunquam prognata gloria est.
Ex præteritis prudens futura conijcit.
Ex præterito futuri consilium venit.
Ex militum fit otio protervia.
Excæcat omnes animis invidentia.
Exercet omnis mundus histrioniam.
Excusa potius proximum quàm judices.
Excusat ætas puerum, sexus fœminam.
Excusat à judicio morbus sonticus.
Exemplum honestum aliorum ex culpâ gignitur.
Exempla honesta mores procreant mali.
Exempla, in eos redundant qui faciunt, mala.
Exempla testimoniorum obtinent locum.
Exempla præmiorum virtutes alunt.
Exercitum patientem dux patiens facit.
Exercitatus miles est saniissimus.
Exigua pars est vitæ quam nos vivimus.
Exordium est egestatis, nil parcere.
Expers periculi præmium silentij est.

Expers

Expulit libido Reges, expulit Decemviros.
Expers sepulcri mens est, expers gloria est.
Exstingui aquis mors mortium miserrima est.
Externa hominis interiora ejus detegunt.
Extrema homini ætas, annus est centesimus.
Extrema gaudii, semper luctus occupat.
Extollit animum à matre & patre nobilis.
Exulibus igni aquaque interdici potest?

F

FAbro faber, mendicus mendico invidet.
Facientis animum nemo, omnes factum æstimant.
Facilè est homini despicere opes, opes cùm habet.
Facile invenire est motis jam rebus ducem.
Facile fidem cum sorte mutant barbari.
Facilia cuncta sunt viris sapientibus.
Facilius est, probare honesta, quàm sequi.
Facilius aliquid dixeris quàm feceris.
Facilius est tueri rem quàm quærere.
Facilius vitia excludere est quàm expellere.
Faciundum id nobis quod parentes imperant.
Facit insolentes formæ conscientia.
Factis honestas colitur, haud sermonibus.
Falsum probrum aures forte, mentem non subit.
Famæ reclamat sæpe conscientia.
Fame, sitique, spequè piscator perit.
Fas est, sine ferro & sanguine esse martyri.
Fas prævidere fatum, evitare est nefas.
Fas pro salute proloqui mendacium.
Fastidiuntur usque homini præsentia.
Fastidium parit plerunque copia.

Fatale cuique est quid fleat, quid gaudeat.
Fato datur potestas, fato tollitur.
Fato Metelli Romæ fiunt Consules.
Fecere multa morbos multos fercula.
Feciſſe, factæ pœna iniuriæ maxima eſt.
Felicitas felix minus propter locum eſt.
Felicitas, premit ſe, ſe niſi temperat.
Felicitas non ſtat: vita ipſa eſt circulus.
Felicitas nutricula iracundiæ eſt.
Felicitas quæ lenta eſt, eſt durabilis.
Felicitatis mater obedientia eſt.
Felicitatis quis ſuæ obliviſcitur?
Felicitati vivere non licet ſibi.
Felicitatem difficulter quis regat.
Felix ibi vita eſt, jus ubi atque æquum viget.
Felix temeritas, virtutis ſupplet vices.
Fer mente pauperiem æquâ; effeceris levem.
Feminæ inſcendent maritos, eſſe vt ceperint pares.
Feras libenter quod jubet neceſſitas.
Ferè anteit calamitatem imprudentia.
Forè flagitiâ quævis tollunt literæ.
Ferè in juventâ moritur, quem Dij diligunt.
Ferè puer bonus in virum evadit malum.
Ferè ingenium breve eſt in grandi corpore.
Ferè novant res, nulla res quibus domi eſt.
Ferè populum corrumpunt congiaria.
Feris etiam inſectiſque venter imperat.
Ferina rabies eſt gaudere ſanguine.
Ferox juventus maximè exitio eſt ſibi.
Fermè indiget auxilio, auxilium qui non tulit.
Ferre æquo animo convitia, res ſuaviſſima eſt.
Ferro vel igne, fruſtrà amorem cogere eſt.

Ferro perire quàm siti clementius.
Ferrum est homini nocens; aurum est nocentius.
Ferrum sui formidant lateris Principes.
Fertilibus agris si imperas, exhaurias.
Fiat moderatè, quod faciendum est sæpius.
Fidelem amicum facies si putaveris.
Fides bonis vim majorem adhibet quàm metus.
Fides tyranni maxima erga extraneos.
Fidei facit jacturam sæpe dejerans.
Fidit tyrannus nonnisi mercenariis.
Fieri nequit vir semper ut lateat malus.
Fieri suum, bonum est inæstimabile.
Filij improbitas, privum est parentis dedecus.
Filij mares familiæ sunt columnulæ.
Fines tuos mirè munit colonia.
Finis sacerdotij una contemplatio est.
Fit crimen, non ex seipso, verùm ex caussâ, opus.
Fiunt mali pejores si laudaveris.
Flamma Veneris ipso ardentior longè mari est.
Flammas amoris separare noxium est.
Flecti emerendo vel jecur horridum potest.
Fœcunditas ætatem exprobrat feminis.
Fons atque origo omnis mali invidentia est.
Formæ atque pudicitiæ rara est concordia.
Formæ speculum index; mentis index est merum.
Formidinis nunquam expers est infirmitas.
Fortes viros non tollit mors, sed consecrat.
Fortuita non faciunt bonum: ergo haud sunt bona.
Fortuna juris in hominis animum nil habet.
Fortuna magnis invidet successibus.
Fortuna minimè caussa contingentium est.

Fortuna

Fortuna nos vincit, nisi tota vincitur.
Fortuna nullum jus in opes animi obtinet.
Fortuna plus consiliis humanis potest.
Fortuna quamvis maxima, haud mutat genus.
Fortuna quæ dat, sunt insidiæ, haud munera.
Fortuna queis repentina, iis est & gravis.
Fortuna quemque refugit ignavissimum.
Fortuna rara viro sapienti intervenit.
Fortuna rebus dat famam & famam eripit.
Fortuna sæpe pro culpâ innocentiæ est.
Fortuna sæpe commutatur cum loco.
Fortuna semper vindicat jus gentium.
Fortuna sibi quærit pares fortissimos.
Fortuna volvi suevit ex summo retrò.
Fortuna ut artem, ita ars fortunam diligit.
Fortunam adversam subleves industriâ.
Fovere egentes vera est liberalitas.
Fratrum impiorum eventus sunt improsperi.
Fraus, cauta quamvis, tandem seipsam detegit.
Fraudi patet cuilibet ferocia.
Fraus utique est quod debetur nolle reddere.
Fraudes struunt virtute qui sunt impares.
Frontis beneficos etiam infirmitas facit.
Fructus opum, uti iis ad salutem plurium.
Fructum latura planta se prodit statim.
Frugalitas paupertas est spontanea.
Frugalitas, virtutis specie decipit.
Frustra cucurrit qui ante metas deficit.
Frustra dolori, dum est recens, occurritur.
Frustra rosas à spinis exspectaveris.
Fuga irriti conatus stultitiam indicat.
Fugit invidiam, qui se non oculis ingerit.

Fugit

Fugit pericla Ignavia, Virtus occupat.
Fumus patriæ, igne alieno luculentior.
Funus ferè est animæ, fœnus pecuniæ.
Funus tacitum molestiarum habet minus.
Furare multa: pauca da: & servaberis.
Fures vigilant potestates dum dormiunt.
Furiæ parentum in natos possunt plurimum.
Furiosa res est in tenebris impetus.
Furtiva magnis displicet victoria.

G

Galeam recusat caput opertum linteo.
Gaudere quærunt omnes, multi nesciunt.
Gaudet videri, respuit tenebras bonum.
Generis humani maximum est bonum fides.
Generis sui corruptor, quod non audeat?
Generatus homo est in mutuum adjutorium.
Gentem atque mores, habitus illicò indicat.
Genus insitiandi est, furtivè agere gratias.
Genus institutum humanum vt paucis serviat.
Gestatio æquè lassat quàm ambulatio.
Grates Deo vel maximè agendæ in re malâ.
Gratiam minuit quod extorquet necessitas.
Gratissima est virtutum misericordia.
Gratissima est virtutum liberalitas.
Gratissimum est donum preces quod prævenit.
Grato esse animo nihil potest honestius.
Gratis nocere immanitatis barbaræ est.
Gratum est beneficium amicum auctorem quod habet.
Grave est modum rebus tenere prosperis.

Gravior

Gravior solet esse testis surgit qui à reo.
Gravis insequi armatura fugaces non potest.
Gravis malæ lux omnis conscientiæ est.
Gravis omnis est amanti amici absentia.
Gravissima est sibi servire servitus.
Gravius beneficiis inflammantur invidi.
Gravius suas res quàm alienas incessere.

H

Habeas ut nactus: nota mala, res optima est.
Habenda verba Principum pro legibus.
Habita fides plerumque ipsam obligat fidem.
Habitus qualitate noscas quæstuariam.
Haud administret facile quis rem bellicam.
Haud dejici potest loco constantia.
Haud crimen est servire potentioribus.
Haud eripi nobis potest conscientia.
Haud commodum quidquã est, quod non est cũ modo.
Haud facilè imperia custodiunt concordiam.
Haud facile quis excutiat dulcem animo sonum.
Haud facile telum transit fluctuantia.
Haud fama veri mendax est prænuncia.
Haud gloriandi causſa est infelicibus.
Haud gloriosum est fallere hostem, at vincere.
Haud liberalis is est donat qui sibi.
Haud liberum secretum altæ potentiæ est.
Haud parta cuiquam puero fuso gloria est.
Haud parcit ullus dignitati perditæ.
Haud posthabenda est unquam justitia utili.
Haud præliandum est cum anni infesto tempore.
Haud punienda ullius est dementia.

Haud

Haud quidquam homini ingrato usquam est impensius.
Haud semper animus vincitur cum corpore.
Haud semper est fas vivere Bachanalia.
Haud temerè summa rerum danda in aleam est.
Haud ulla contra feminas victoria est.
Haud testis est prosperitas innocentiæ.
Haud tollere est ipso crimen cùm corpore.
Haud tutiore loco quidquam est, quam quod fuit.
Hereditas est nulla quæ usu potest capi.
Heres avari, & pœnas ipsius luit.
Herus suæ familiæ noxiam sustinet.
Heu maximum omnium malorum cæcitas!
Heu quàm fuere exitij multis cnussa opes!
Heu quam gravis malæ est lux conscientiæ!
Heu quàm laborant votis plurimi suis!
Heu quàm latet fundo profundo veritas!
Heu quàm licet multum in re belli casibus!
Heu quàm nihili sunt quæ vitâ ipsâ homines emunt!
Hic mundus omnis una Numini est domus.
Hieme requiescere sæva bellorum solent.
Hiems fit ubi Auster accersiverit Notum.
Historia non scribenda odio, sed ex fide.
Hoc calamitosior est, quis quò est beatior.
Hoc desinit citius dolor quò est acrior.
Hoc gloria ipso major est, quò serior.
Hoc justius putandum quod & fortius.
Hoc plus verere, quo tibi Rex plus licet.
Hoc quisque habet solùm quod alteri dedit.
Hoc reddere quod acceperis, jus gentium est.
Hodie ambitus splendet per turpitudinem.
Hodie potest fieri omne unquam quidquid potest.
Homo animal est cæcum, atq; ipsum se nesciens.

Homo

Homo omnibus feris est pernicioſior.
Homo poſitus in ſinu Dei, hominem quid times?
Homo ſine homine, ullo vivere non poteſt modo.
Homo ſui non eſt mancipium corporis.
Homo unus inſtar vel multorum millium eſt.
Hominis feræ manſueſcunt contubernio.
Homini eſt bono indigna res ſimulatio.
Homini citò in adverſis quævis perſuaſeris.
Homini moleſtum eſt omne quidquid cogitur.
Homini nova ſunt mage magna quam miraculo.
Homini ſuus privato oportet ſit modus.
Hominem fidelem facies, ſi putaveris.
Hominem inter vivos fruſtrà quæras mortuum.
Hominem omnis hora mutat, nedum omnis dies.
Homine imperito nil minus tractabile eſt.
Homines docuerunt fallere, dum falli timent.
Homines inopino etiam percellas gaudio.
Homines latemus ſæpius, nunquam Deum.
Homines libenter id quod volumus credimus.
Homines libenter laude dicunt de ſuâ.
Homines mali ſunt, qui bonis dicunt malè.
Homines potentes quid ſunt? fortunæ manus.
Homines quidem pereunt: humanitas manet.
Homines ſibi præſtant multa, quæ aliis imputant.
Hominum genus imbelle ac leve eſt Aſiaticum.
Hominum ingeniis ſubjiciunt artes Numina.
Hominum querelas magna pars manu facit.
Honeſta avaritia eſt ſolius temporis.
Honeſta fama auro gemmisque auguſtior.
Honeſta fama è Muſis homini naſcitur.
Honeſta cedunt rebus vtili vltimis.
Honeſta lex eſt temporis neceſſitas.

Honesta nulla crescunt ullo tempore.
Honesta vita honestum nomen comparat.
Honestius vi quid quæras quàm fraudibus.
Honestus error est qui habet magnos duces.
Honos honori digno est indigno est onus.
Honos laboris subsequa, haud anteambulo est.
Honore thuris indignum humanum est caput.
Hora una Auroræ tres valet, certè duas.
Hostem locorum contemnas fiduciâ.
Hostem mora omnis præfrocem fregerit.
Hostilis animos efferos tenet metus.
Hostile nil ultrò inferatur dedutis.
Humana nulla perpes est felicitas.
Humana vita somnus, imò somnium est.
Humana vita unâ constat concordiâ.
Humanitas contra Deum summum est scelus.
Humanitati adversatrix crudelitas.
Humanitus quod sit ferendum humanitus.
Humanus aurem venter ullam non habet.
Hydrops sitim nec totis tollat fontibus.

I

Iactantia est stultitiæ arrogantia.
Iacente Rege apparitorum fit fuga.
Iactura amici major quàm pecuniæ.
Iacula & sagittæ perparum in tenebris nocent.
Iactura vitæ maxima, est dilatio.
Iacturam vitæ, pensat immortalitas.
Iaculis ubi est opus, nil verba conferunt.
Iam non modo furimus privatim, at publicè.
Iam pro maligno est, qui adsentatur parcius.

Ibi te putato natum quò exul mitteris.
Id agere quemque, facere quod scit, optimum est.
Id ne tu miraris, si patrissat filius?
Id optimum est in quoque, cui ipse nascitur.
Ieiunio restinguas & libidinem.
Igni atque aquâ cui interdicitur, exul est.
Ignarus est Spartanus in pugnâ fugæ.
Ignaviam non fert Roma imperantium.
Ignoscitur illi qui puniri debuit.
Ignota circumscriptio est agrestibus.
Illæsa non fert ictum ullum felicitas.
Illi perit quies cui deest securitas.
Imago subest mœroris muto gaudio.
Immodica quæ ira est, fit parens insaniæ.
Immunda quàm moves magis, fœtent magis.
Impar ferè dolori corpus feminæ est.
Impar senex curis quoque est levissimis.
Impatiens est quem prosperæ res obsident.
Impendia belli plura sunt quàm præmia.
Imperia magna haud contineas ignaviâ.
Imperia magna multis sunt sub casibus.
Imperia sæva injustaque, & in servum improbes.
Imperium etiam ignavi odio est ignavissimis.
Imperium inutile bello semper plurium est.
Impingere ad idem saxum bis turpissimum est.
Implere nulla hominem potest felicitas.
Impunis etsi peccas, non lates Deum.
In amore plus fortuna, forma quàm potest.
In amore servus nec dominum fert æmulum.
In amore vinci ab altero fœdissimum est.
In animo opes sunt, non sunt in patrimonio.
In corde, non in linguâ sita sapientia est.
In corpore haud homo est, in solo animo est bonus.

In corpore odos si nullus est, est optimus.
In corpore quod forma, est in animo oratio.
In deterius mulier viro usque consulat.
In deteriora vergit interpres metus.
In ditiorem incipes onera à paupere.
In discordiâ intestinâ esse occulti nihil potest.
In exiguo ponunt mali mendacium.
In exiguo ingens totum claudit artifex.
In exitu pueritiæ, eminet decor.
In fata media multi fugiendo ruunt.
In feminis nullum præ auro membrum leve est.
In flumine ingens navis, parvula in mari est.
In fortiorem sæpè fortis incidit.
In homine rarum iam bonum est humanitas.
In judicando, multitudo non placet.
In judicium quis adversaria protulit?
In laude summâ injuriarum oblivio est.
In liberâ urbe linguas ferto liberas.
In luce blandâ vita arumnosos tenet.
In luce multâ passim vivunt Principes.
In majus augeat fama quævis omnia.
In nocte consilium atra invenias candidum.
In nocte lucent sidera, de die latent.
In omnibus rebus modus res optima est.
In pace vires nemo cognoscit suas.
In pace leones, cervi sunt in prælio.
In pectore amicus, non in atrio quæritur.
In prosperis bonorum ignoratur sapor.
In proprio generosius quidque provenit.
In publicum est humanus, condens mortuum.
In rebus inopibus præcipua est audacia.
In rebus omnibus, optimum est habitu, modus.

In Regum amicis plurima adsentatio est.
In Regibus moderatio res rarior.
In se ipse sævit; hoc habet proprium furor.
In se reponit omnia conscientia.
In sorte utraque semper est idem probus.
In supplices utare misericordia.
In valle apricâ quæ arbor crevit, cerea est.
In vitâ hominum solummodo finis quæritur.
Inanis est, sine actu aliquo sapientia.
Inanis usque est pera mendicantium.
Inaniora ingenia proferre est Asia.
Incauta semper nimia confidentia est.
Incauta fundum non habet largitio.
Incendiis licentius raptum exerceas.
Incerta dum petimus, & certa amittimus.
Incerta verum ignorantis sententia est.
Incertum homini cuicunque est vesper quid ferat.
Incommoda quæ non procreat dissensio?
Incumbit æquè honori iners quàm strennus.
Indicitur malis sterilitas publicis.
Indocti homines quid differunt à mortuis?
Industrio cuicunque pœna est otium.
Infamiam qui metuit miles optimus est.
Inferre bellum satius est quàm ostendere.
Infesta aliis est ira, sibi infestissima est.
Infirmi animi est, non posse divitias pati.
Infirmitatem disciplinâ robores.
Infrenis oris fructus, infelicitas.
Infregit adversa, ipsa qui vidit prior.
Ingenia pauci exercent, multi corpora.
Ingens mala est tyrannis consuetudinis.
Ingentia rura laudes; exiguum colas.

Ingentis iræ quis est exitus? furor.
Ingentibus solùm itur pestibus obviam.
Ingesta quamvis regna sapiens respuit.
Ingratus est quicunque gratus est metu.
Ingratus est qui quod scit scire se negat.
Inimica homini multorum conversatio est.
Inimica inter se, Rex, & libera civitas.
Inimicum ab amico formâ non discreveris.
Inimici famam non ita ut nata est ferunt.
Inimico inimici nomen auribus grave est.
Iniquitatis impatiens quisque est bonus.
Injuria in virum sapientem non cadit.
Injuria non est, quæ ante feceris, pati.
Injuriam multi æstimant potentiam.
Injuriam passo nil eloquentius.
Injuriam potius patiaris quàm inferas.
Injurium ulli est insultare mortuo.
Injurius nemo alteri est quin sit sibi.
Injurius nemo est Deo; quisque est sibi.
Injusta nunquam Numinis sententia est.
Injustitia est probrosa, sed lucro adficit.
Injustum alios irasci, & alios ladere.
Insanit is maledicit qui ipsemet sibi.
Inservitutem cuncta redigunt femina.
Instabilis est animi frequens migratio.
Inter beneficia & fortunam timeas sua.
Inter diem atque sæculum quid interest?
Inter malos nulla est profectò gratia.
Intemperantem amici ægrum coërceant.
Inter se hominum summum vinclum est humanitas.
Inter turpes jacturas, est munus malum.
Interpres animi lingua est: mentiri nefas.

Interpres vulgus veritatis pessimus.
Intra domum quidam sævi, mites foris.
Introrsus abdit dux dolorem industrius.
Inventa sunt speculа ipse homo ut se noscerer.
Invidia nulla cuiusquam boni bono est.
Invidia ut ignis non nisi excelsa appetit.
Invisa quæ sunt, ne impunita dixeris.
Inutilis nunquam opera civis est boni.
Ipsi suas Dij vindicant iniurias.
Iræ puerorum acres magis sunt quàm graves.
Iræ remedium maximum dilatio est.
Iræ remedium præsentaneum mora est.
Iram facilius tollat quis quàm temperet.
Iram gerere in promptu, mera insipientia est.
Iram retrò sæpe egit misericordia.
Iras in unum publicus confert dolor.
Irascere delictis, non delinquentibus.
Irascimur omnes diutius quàm lædimur.
Iratus ab insano distat tempore.
Irritet etiam oviculam contumelia.
Is liber est, qui haud servit turpitudini.
Is maximè opibus fruitur qui minimè indiget.
Is pauca aget cui curæ animi est tranquillitas.
Isto tu pauper es cùm nimis sanctè pius.
Ita fugias, vt ne fugias præter casam.
Ita sunt homines nequam esse eos vt addecet.
Iucunda sunt amicæ dextræ verbera.
Iudex bonus improbanda damnat non odit.
Iudex dies felicitatis ultimus.
Iumenta detrectant jugum habita sæviter.
Iura omnibus sunt urbis æqua libera.
Iuris periti haud apti bello; sed foro.

Iurare

Iurare cauſſas ob leves, perjurium eſt.
Ius barbaris vis una eſt. non eſt æquitas.
Ius faſque ubi eſt, ibi eſt ferè & victoria.
Ius gentium eſt, pretio empta, pretio vendere.
Ius moribus conſtat magis quàm legibus.
Ius omne fert in armis gens ferocior.
Iuri officit rabularum anceps oratio.
Iure omnibus patet, omnibus quod naſcitur.
Iuſtis Superi oculis adſpiciunt mortalia.
Iuſtitia cunctas virtutes complectitur.
Iuſtitia nil ex ſe petit, uſum quàm ſui.
Iuſtitia reddit unicuique quod ſuum.
Iuſtitia Regis, pauperum ſolatium eſt.
Iuſtitia ſola maximus cultus Dei eſt.
Iuſtum eſt egenti ſubvenire, haud diviti.
Iuſtus piusque ſemper non latet Jovem.
Iuſtum videri, haud eſſe, iniuſtitia ultima eſt.
Juvenis paret rem: parta re utatur ſenex.
Juveni potius judex ignoſcat quàm ſeni.

L

LAbante corpore animi labit ferocia.
Labi grave eſt; graviſſimum haud reſurgere.
Labor aſſiduus animorum frangit impetus.
Labor parens Opulentiæ atque Gaudij eſt.
Laborioſa virtus eſt; vitium eſt iners.
Lacrimæ dolorem non ſequuntur; indicant.
Lædit minus jugum ſi ducis, quàm quatis.
Lætare incolumis, Roma, ſalvo Principe.
Lætatur anima intrinſecus laudem ad ſuam.
Lætos parit conſilium prudens exitus.
Largiri aliena pro ſuis, turpiſſimum eſt.

Largitur ultrò qui se, vilem se facit.
Lasso viro ingens adjicit robur merum.
Lassum caveto; à lasso rixa quæritur.
Latere femina vinum quæ bibit nequit.
Latissimè Regum patent infamia.
Latissimè Regum patent injuriæ.
Latrocinium tenebris abscondi solet.
Laudabile valde est esse cum malis bonum.
Latronibus quoque disciplina bellica est.
Laudare eundem & carpere eb eadem, re improbum
Laudare se, vani est, stulti reprehendere. (est.
Laudari utique est honestum à laudato viro.
Laudata improbitas, res est intolerabilis.
Laudato parcè, vituperato parciùs.
Laudator atque adulator, nonne est idem?
Laudatur ille quisquis displicet malis.
Laus Principum rarissima, Innocentia est.
Laude ingenij nemo alteri cedit libens.
Laudi datur versutia, paupertas probro est.
Laudes suas audire res dulcissima est.
Laxat voluptas modica animum, non temperat.
Legatus ipsis nec violatur barbaris.
Lenitur arte omne ingenitum, non vincitur.
Lenocinium antecedens muneri est timor.
Lentum mali remedium præcipitis mora est.
Levem dolorem, dum putamus, reddimus.
Lex ipsa, justi est atque injusti regula.
Lex omnium est, potentiori cedere.
Lex quæque sit brevis: jubeat non disputet.
Lex surda res, lex res inexorabilis.
Lex sit brevis: lex imperet, non disputet.
Legem priorem lex novissima abrogat.

Legem

Legem pudor privatus facere non potest.
Leges bonæ nascuntur moribus è malis.
Leges vetustæ, leges & rectissimæ.
Liberrimè loquitur bona conscientia.
Liberos nutrire sat pauperibus est stipendij.
Libertas est potestas vivendi ut velis.
Litem in suam rem vertere est turpissimum.
Loco parentis Imperator militi.
Livor suis ipsum sese armis conficit.
Longa est rei speratæ omnis dilatio.
Longinquitatem haud facilè quis redarguat.
Loqui facilè, rem sed præstare est arduum.
Lucrosa nulli injustitia fuit diu.
Lucrum est honestum per quod nemo laditur.
Lucrum omne honestum Cretæ est, aut Carthaginiſ
Lucro inflammatur avaritia, haud exstinguitur.
Lucro salutem quis non permutaverit?
Lucro suo omnem destruat probum improbus.
Lugere vivos, verè res miserrima est.
Ludibrium oculorum auriũq, etiam pro veris credita.
Lunâ silente solum infelix navigat.
Lux convenit negotiationibus.
Lux una luctus expers, sat magnum lucrum est.
Luxuria ubi valet, virtus ibi non valet.
Luxuria pestis ingens est rei publicæ.
Luxuriæ & avaritiæ sua etiam copula est.
Luxus animum solvit, firmat frugalitas.
Lynceus & Argus quivis Rege sub bono est.

M

MAge fovet errorem solitudo quàm fugæ.
Mage metuimus offendere hominem, quàm
Mage queritur res, quàm fides clientium. (Deum

Magis ligantur linguæ victis quàm manus.
Magis patemus adversi periculis.
Magis soluta est post vinum licentia.
Magistra solitudo est innocentiæ.
Magistro quemquam discipulum minitarier?
Magna opera emuntur & magnis periculis.
Magnanimus omni rectius stat sub pondere.
Magnanimitatis proxima Arrogantia est.
Magnus diu durare non potest dolor.
Magnus guberna & scisso velo navigat.
Magni duo Dij sunt, Suada ac Necessitas.
Magni est animi despicere posse injurias.
Magnis animi magni fiunt honoribus.
Magni latrones parvos adfigunt cruci.
Magni viri est fortunam mittere sub jugum.
Magnos animos divitiæ magnæ procreant.
Magnis apertum est omne ingeniis saculum.
Magno æstimamus omnes tardiùs mori.
Magnum Deoque vicinum est, non concuti.
Magnũ omne exemplũ aliquid in seipso iniqui habet.
Magnum omne magnas sortitur molestias.
Major minorve calamitas fit tempore.
Majora cupere ex magnis, mos mortalium est.
Majora quùm cruciant, pati non est moras.
Majora quæ ferente sunt onera opprimunt.
Majus malum est injuriam facere quàm pati.
Mala lingua quem carpit, meliorem esse indicat.
Mala mens emitur quotidie, nunquam sed bona.
Mala plura contingunt hominibus quàm accidunt.
Mala res frequenter pro dictis datur malis.
Malagma quæras jam subnascenti ulceri.
Malè auspicatus bella, non melius gerit.

Malè

Male esse mavelim mihi, quàm molliter.
Malè redditur depositum si dato nocet.
Malim mori liber quàm servus vivere.
Malit videre quàm videri femina.
Maledicta contemnit justi conscientia.
Malitia paucis, omnibus virtus prodest.
Malus profectò est quisquis vivit molliter.
Malus prope ipsam cursor metam deficit.
Malus sibi alteri, esse quei queat bonus?
Mali ex ingenio mores alienos probant.
Mali principij finis existit malus.
Malo mihi malè esse, quàm esse molliter.
Malo mihi successum deesse quàm fidem.
Malum alterius ne cum malo misceas tuo.
Malum consilium, consultori pessimum est.
Malum esse quam bonum præstat sæclo improbo.
Malum lucrum non ditat, sed paperat.
Malorum initium ingens, bonorum copia est.
Malos honor pejorat, meliorat bonos.
Malis benè esse solitum est potius, quàm bonis.
Malis vitia omnia insunt, etiamsi latent.
Mandata miles cur inquirat in ducis?
Mandatum obediens verus non procrastinat.
Manent minutas, grandia dona non manent.
Maneant domi matronæ; publicum nocet.
Manum movere cum Minervâ, promovet.
Manu sceleſtâ, esse animus innocens potest.
Marcelli etiam celebravit funus Annibal.
Mater decoris mens regentis publici est.
Matri patrique sunt communes liberi.
Maturius moriuntur qui placent Deo.
Medicus Philosophus ipsi æqualis est Deo.

Medicina

Medicina, ah, artium omnium vilissima est.
Medicina opem sceleratis etiam suppetit.
Medicina apud ægros usus; apud sanos honor.
Meditare mortem; vix unquam peccaveris.
Meditatio mortis quid est? suspirium.
Medium obtinebis summo si adspiraveris.
Melior ferè pars à majore vincitur.
Melior parens virtutis audit veritas.
Melius facile equos frenum nobiles regit.
Memoria facinorum vacua nunquam est metu.
Memoria quidnam, quæso prodest mortuis?
Mendacium calidum, mendacium optimum est.
Mendacia hoc habent ut non cohæreant.
Mendacio adulatorum servit veritas.
Mens æquitatis Principum sententia est.
Mens fama avara obnoxia est jactantiæ.
Mens otiosa nil quàm ventrem cogitat.
Mentis gravitatem nullus discutit locus.
Mentem bonam omnes discere erubescimus.
Mentem videre non promptum cuiquam est Dei.
Mentes ægras lætis studiis permulceas.
Mentimur etiam caussa consuetudinis.
Meretrix habet sub vestimentis retia.
Meretrix minus virum amat, magis marsupium.
Mercede nullâ gratiam emeris Dei.
Meretricum amores sunt pusilli temporis.
Meritis honestè & merita repensaveris.
Merx cuius est, & eius indicatio est.
Metus doloris, per se formidabilis.
Metus sinistra usque augurat de absentibus.
Meus arbitratus est lingua quid juret mea.
Mihi crede, res severa est, verum gaudium.

Miles

Miles ferè animum sumit ex vultu Ducis.
Miles nitidus in primo pulvere deficit.
Miles procul à domo, miles præstantior.
Miles vetus celeriter animum colligit.
Minimè aggrediunda ea sunt quæ efficere non potes.
Minimè est capitat necem optare adversario?
Minimè grave est non appetere id quod nescias.
Minimè virum decet ingenuum adsentatio.
Minimè officit animo corporis deformitas.
Minimè illi honor cordi est, cui non cordi est labor.
Minimè potest fieri multi quod sciunt.
Minimè potest timere qui sperat mori.
Minimè ulla vis rectè factum irritum efficit.
Minimi laboris est volentem cogere.
Minimum loquaris cum aliis, tecum plurimum.
Minimum petit natura, luxus omnia.
Minimum tribuit memoriæ qui spei plurimum.
Ministerio animus quid ni utatur corporis?
Ministerio animi corpus uti, dedecus est.
Minus bene imperium regit quàm auctoritas.
Minus dolet malum quod fers quàm quod times.
Minus nocet malum quod exspectaveras.
Minus periculi est in contemptu quàm metu.
Minora equo senenti impone pondera.
Minora lumina obscurat Solis claritas.
Miratur id plus plebs quod non intelligit.
Mirè juvenem verecundus decet pudor.
Miserrima ô mors, cui caussam præbet stitis!
Miserrimum est alterius arbitrio mori.
Miserrimum est debere amare, quem haud juvat.
Miserrimum est bello civili vincere.

Modestia

Miserrimum est bello civili vincere.
Modestiæ exsors est pax ac felicitas.
Modestiæ fama æstimatur & à Deis.
Modestior sapienti incessus convenit.
Molam fugit quicumque, farinam fugit.
Mœroris est simulacrum tectum gaudium.
Moles mali sæpe arte omni est potentior.
Mollis mali præcogitati ictus venit.
Momenta constant belli occasionibus.
Monstrare juveni rectè, non lenonium est.
Mora nulla discendi est, ubi adest doctor Deus.
Morbus molestus & longus multa imperat.
Morbus senectus ipsa est insanabilis.
Morbus voluptates non tollit, excitat.
Morbis alimentum suppeditat silentium.
Morbis carent queis simplex est alimonia.
Morbo medicina haud fit, nisi cùm iam est cognitus.
Morbo Ducis quoq; disciplina morbida est.
Morbos parit mutatio in contrarium.
Morbos medicina haud vincit insanabiles.
Mori male non potest qui non malè vixerit.
Mori necesse est, quidquid usquam nascitur.
Mores alumni nutritorum præferunt.
Mores bonos congressus corrumpunt mali.
Mores bonos convictus inquinat malus.
Mores ferè sumas à conversantibus.
Mores mali quid sunt humores quàm mali?
Mores pudicarum ipse habitus pronunciat.
Morum argumentum etiam capere ex minimis licet.
Mors corporisque animæque separatio est.
Mors est tributum, officium mors mortalium est.
Mors intermittit vitam, non vitam eripit.

Mors

Mors misera non est: aditus ad mortem est miser.
Mors non timetur, at ejus cogitatio.
Mors præsto ubique est: mors occurrit undique.
Mors, sæpe donum in pluribus veniæ fuit.
Mors sola Divûm, non admittit munera.
Morti nihil debemus, vitæ plurima.
Morti, velint, nolint, vacandum singulis.
Mortem facilius quis, dolorem quàm ferat.
Mortem Medicus non tollit; mortem protrahit.
Mortem quidem ultrà iratæ nil leges habent.
Mortem sibi ipsi inferre, res nefaria est.
Mortem timere noli: ei omnes nascimur.
Mortalibus sui insita est dilectio.
Mortalium nemo horis omnibus sapit.
Moriente mullo an quidpiam est formosius?
Morsu canem qui repetit, an constat sibi?
Mulier profectò nata est ex ipsâ morâ.
Mulier tacere nunquam quidquam est quod queat.
Multa appetuntur, pessimo appetentium.
Multarum opum instar hasta & ensis militi est.
Multi beati sunt ob impudentiam.
Multi docuerunt fallere, falli dum timent.
Multi hostibus melius quàm sibimet consulunt.
Multi incidere in fata, fata dum timent.
Multi incipiunt tunc vivere, cùm mors advenit.
Multi innocentes sunt rerum ignorantiâ.
Multi fugiunt ipsos se; nullus effugit.
Multi potius tormenta quàm minas ferant.
Multi ruinam ei dum obstabant attrahunt.
Multi solent dare, quia servare nesciunt.
Multi studeni plus alta quàm apta promere.

Multi

Multi suis adplausum dant periculis.
Multi vitiis sapientiam inscribunt suis.
Multùs amicus, verè amicus nemini est.
Multis domatur dura quercus ictibus.
Multis humilitatis loco assentatio est.
Multis loco libertatis superbia est.
Multis malitia vicem habent prudentiæ.
Multis odiosus fit qui se ipsum diligit.
Multis profectò & ipsamet obest gloria.
Multis togatis pax bello est operosior.
Multò est amare, quàm ipsum arare, durius.
Multò morimur pejores, heu quàm nascimur.
Multos Amor pellexit in dispendium.
Multos remediis sanes & fallentibus.
Multos clientes esse omnes volunt sibi.
Multum boni mors opportuna possidet.
Multum bono mali confert convitium.
Multum Deorum in populum est efficax metus.
Multum interest, quis auferat an neget tibi.
Multum juventam excusat ignorantia.
Multum latet mali sub Regum fasciâ.
Multum nocet malis si præsto est unitas.
Multum nocet bonis si desit unitas.
Multum refrenat homines conscientia.
Multum reliquit, qui nil retinuit sibi.
Multum solet licere in bello casibus.
Multum timeas homines, sed adhuc magis Deos.
Multum tyrannus, plus nocent satellites.
Munditia illecebræ animis est amantium.
Mundus meliora nondum effœtus edidit.
Mundus muliebris, quid nisi nugæ maximè?
Mundo magis placent, Deo quæ displicent.

Mundum

Mundum sibi sapiens professus patriam est.
Munus superbi, haud munus est, injuria est.
Munus suum multiplicat ultrò qui oggerit.
Murus sibi sola in bello est audacia.
Mutare quis frustra tentet fatalia.
Mutare materiam artifex minimè potest.
Mutare cum re consilium, nil turpe habet.
Mutare naturam verè res ardua est.
Mutare sedes vtile pestilentiâ.
Mutare tyranno mores non licet suos.

N

Narrare victus prælia quis velit sua?
Narratio malorum, consolatio est.
Nascuntur urbes ex initiis infimis.
Natorum honor haud dubiè patris gloria est.
Natalis est æterni postremus dies.
Nati Deorum non sunt vulnerabiles.
Natis potius relinquas virtutem, quàm opes.
Natura ad id quod poscit sola sufficit.
Natura animos in amorem formavit sui.
Natura cùm se homini dedit, multum dedit.
Natura, Fatum, Fors, Dei sunt nomina.
Natura nil desiderat præter cibum.
Natura nobis insita est sapientia.
Natura non dat virtutem; est fieri ars bonum.
Natura non est absque providentiâ.
Natura producit fœtus, non abijcit.
Natura prima disciplina est omnium.
Natura quod desiderat parabile est.
Natura, quod nulla nunquam ætas tulit, capit.

Natura semper in motu cœlestium est.
Natura sequitur facilius quàm ducitur.
Naturam habet constantem quicquid est bonum.
Natus ferè probi parentis improbus.
Natus inhonestè vivere honestè quei queat?
Natus patrem expavescit, & natum parens.
Navem gubernare è terrâ vecordium est.
Navem regit malè gubernator nauseans.
Nave à vitiosâ plus periculi est quàm à domo.
Nautis timori maximè in salo solum est.
Ne bene mirenti sit malo benignitas.
Ne consulas suavissimum, sed optimum.
Ne Diis quidem cuncta obveniunt spontanea.
Ne me in stultitiâ, si deliqui, deseras.
Ne palma detur cuiquam artifici injuriâ.
Ne præfer habitu, verùm animo sapientiam.
Ne quære litem, litem fugere si potes.
Ne quære, quæso, mollia, ne in dura incidas.
Ne quid patres stulti, ante opus delibera.
Nec capere multum corpus, nec potest diu.
Nec deprimit se nec tollit tranquillitas.
Nec eripi possunt virtutes nec dari.
Nec fera, nec ignis feminâ est ferocior.
Nec gratiâ, nec irâ mutatur Deus.
Nec hostium jure irascare liberis.
Nec omnia, nec passim accipe, nec ab omnibus.
Nec pace, nec bello ira cuiquàm profuit.
Nec prodigè spargas, nec serves sordidè.
Nec res mala est, nec res bona est pecunia.
Nec spreta modestia summis est mortalium.
Nec vitæ odium sapienti est, nec vita est amor.
Necessitas quem cogit ut fiat malus.

Neces-

Necessitas ubi non est, beneficentia est.
Necessitàs virtutis desperatio est.
Necessitati iniquè quis succenseat.
Nefaria est erga Deos ignavia.
Nefaria ferè ministeria sunt metu.
Nefas nocere patriæ, quamvis malæ.
Negat sibi avarus quidquid cunctis abstulit.
Negotia magnis magna egent paratibus.
Negotium quis non agit semper suum?
Negotium unus unicum optimè patrat.
Nemo absque lucri spe scelesta perpetrat.
Nemo absolutè natus unquam est optimus.
Nemo absque magno egregius animo nascitur.
Nemo ad bonam mentem occupatus pervenit.
Nemo aliter exit è vitâ, quàm nascitur.
Nemo allocutus surda Divûm numina est.
Nemo alterum nisi causâ diligit suâ.
Nemo ante tempus miles in bello occidit.
Nemo artibus non unis unus sufficit.
Nemo alterum plus, ipsum quam se diligit.
Nemo bene agit invitus, etiamsi bonum est.
Nemo ei cui facit medicinam irascitur.
Nemo Deum quærit, nisi qui invenit prius.
Nemo diu dolere, & extremè potest.
Nemo esse tam potest pauper, quàm nascitur.
Nemo est facilius cui neget quis quàm sibi.
Nemo est miser, nisi comparatus alteri.
Nemo est vocandus hostis Marte desito.
Nemo fateri vitia vult aliis sua.
Nemo favet virtuti, quam sequi nequit.
Nemo fit ab alio tanti, quanti se æstimat.

Nemo gravem egestatem sentit, nisi qui putat.
Nemo hominem ita exuit, animi caussâ ut sit malus.
Nemo hominum agens injustè pœnas non luit.
Nemo imputari patitur sibi vulgaria.
Nemo in vitâ teneri, nisi velit, potest.
Nemo ingenij magni est, qui non item est boni.
Nemo invidere potest, & agere gratias.
Nemo malum malo rependit quam malus.
Nemo miser, nemo felix extra Deum est.
Nemo miser tantummodò est præsentibus.
Nemo nisi culpâ mortalis miser suâ.
Nemo nisi dives honore dignus creditur.
Nemo nocere potest ei cui favet Deus.
Nemo non ultrà verum gloriam tulit.
Nemo oblivisci ejus potest quod diligit.
Nemo obtinet coronam absque adversario.
Nemo patriam amat, quia magna est, sed quia est sua.
Nemo quod ignorat fideliter adpetit.
Nemo regi vult ab quoquam cui par fuit.
Nemo repentè vir ditatus est probus.
Nemo satis per sese vt emergat valet.
Nemo satis solo indicatur nomine.
Nemo sibi errat uni, verùm & proximo.
Nemo sibi vult anteiri à proximis.
Nemo superbit qui memor mortis suæ est.
Nemo uspiam est homo quin rem meminerit suam.
Nescis quâ ætate servire Hecuba cœperit?
Nescit Jovis mentiri os; quæ fatur facit.
Neutralitas in seditione pessima est.
Neptune, navem hanc nunquam nisi rectam auferes.
Nequam illud verbũ est, benevult, nisi qui benefacit.
Neque dedi, neque do, infideli cuiquam fidem.

Nequit

Nequit esse mundo pauper, qui dives Deo est.
Nequitia non est virtute ullâ fortior.
Nequitia aperitur opere, non etiam incipit.
Nescit trepidare fortis ubi non est timor.
Nihil à Deo proficiscitur quod sit nocens.
Nihil Deus fecit facilius quàm mori.
Nihil eodem quo genitum est loco manet.
Nihil est miserius quàm animus hominis conscius.
Nihil grave illi est qui omnia leviter excipit.
Nihil magis grave est viatico levi.
Nihil peccare, opus solius est Dei.
Nihil sapienti tunc licet cùm irascitur.
Nihil sine motu, nec perit, nec nascitur.
Nihil sine sano virtus consilio gerit.
Nihili parasitus est, cui argentum domi est.
Nil æquè amarum spei, pendere quàm diu.
Nil carius cuiquam vitâ mortalium.
Nil comitate morum elcusticum magis.
Nil damnabilius est in milite quàm otium.
Nil debeo illi, nesciens qui profuit.
Nil diligenter in transcursu cernitur.
Nil est amico tardo quidquam iniquius.
Nil est bonum, malè uti quo quisquam potest.
Nil est dies quod non revelet longior.
Nil est dolore apud miseros potentius.
Nil est duorum animos coire quod vetet.
Nil est facilius ipsum se quàm fallere.
Nil est malum nisi boni interpretatio.
Nil est patris nisi mera imago filius.
Nil est quod in majus timor non augeat.
Nil est quod opera non expugnet pertinax.
Nil est sacrum, nisi ritè factum sit sacrum.

Nil est movere quod non possit feminam.
Nil est supra lacrimas veras amarius.
Nil est utilius, quàm fieri utilem sibi.
Nil ex honesto turpe pro gigni potest.
Nil facere iniquè maxima est securitas.
Nil fit manu quod non vetustas destruat.
Nil fœdum in uno est, quod genti suæ publicum est.
Nil fortius quidquam est, quàm desperatio.
Nihil homine amico est opportuno amicius.
Nihil homine libero agri culturâ dignius.
Nil interest Deos infames an neges.
Nil gloriosum fieri ab invito potest.
Nil ipsa acerbi affert loci mutatio.
Nil liberum est ibi, vox ubi nec libera est.
Nil mente sanâ in orbe regium magis.
Nil militis impudentiâ impudentius.
Nil militum non virtus consequi queat.
Nil multitudo contra virtutem potest.
Nil mutuo est amore amantum suavius.
Nil non docet naturæ vim Necessitas.
Nil non nocet quodcunque excesserit modum.
Nil non patrat miles sub adspectum Ducis.
Nil non potest audacia cum prudentiâ.
Nil occupati hominis minus est quàm vivere.
Nil ordinatum est quod festinatur nimis.
Nil pace in orbe toto gratiosius.
Nil publicè turpe est, cuius pretium placet.
Nil quidpiam loquacius est insomniâ.
Nil sanctius est ipsâ fide mortalibus.
Nil sanitate optimius mortalibus.
Nil sat morituris, imò nil morientibus.
Nil simplici sorde invenias felicius.

Nil simplici toto viro orbe ditius.
Nil sine Deo consilium humanum prosperat.
Nil Socrates scit, nisi unum hoc quod nil sciat.
Nil stultius, fastidiosè quàm mori.
Nil stulto amico magis est intractabile.
Nil tam bonum est, cui non admixtum sit malum.
Nil tam capax fortuitorum est quàm mare.
Nil tam dolendum homini, quàm vita longior.
Nil tam vetustum est, quin aliquando novum fuit.
Nil tam utile est, quod prosit etiam in transitu.
Nil triste cuiquam est, cùm effugit mortis metum.
Nil venditori debet, emit qui bene.
Nil verè habent, quàm quod dedere Principes.
Nil verò amico præstat, ipse quàm Deus.
Nil uspiam senectâ hilari est jucundius.
Nil uspiam est quin sit magno plenum Deo.
Nimiâ populus malè lascivit pecuniâ.
Nimia est miseria pulcrum esse hominem nimis.
Nimia humilitas pars maxima est superbiæ.
Nimio dolori hærent libenter feminæ.
Nimium arroganter miles præscribat Duci.
Nimium properanti, quævis longior mora est.
Nisi à volente nunquam beneficium datur.
Nisi facias, quod præcipis, mendacium est.
Nisi occupas, fugit dies quæque optima.
Nisi toxicata venena, nocere non queunt.
Nocens nisi accusetur, damnari nequit.
Nocte unâ amator fit vel æstivâ senex.
Noctis meridiè somnus quemvis occupat.
Noctu duique mens laborat improba.
Nolens volens, senecta saltat ebria.
Noli tibi, plus de te tu quàm aliis credere.

Noli tibi plus de te tu quàm aliis credere.
Nolunt suis obnti donis Principes.
Nondum occupata est: cunctis veritas patet.
Nonnulla fiunt magna, haud summâ, ast tempore.
Nonnulla nox quoque operit ipsa in feminis.
Non absque contemptu ulla contumelia est.
Non ad stultitiam sed sapientiam nascimur.
Non ad rationem; ad similitudinem vivimus.
Non ante edendum est ipsa quàm imperet fames.
Non bene cum Amore convenit Sapientia.
Non condolemus ægrotanti ex crapulâ.
Non convenire in omnes possunt omnia.
Non discitur nobis Metus, sed nascitur.
Non elevat delictum turba errantium.
Non est adhuc bonus, in bonum qui fingitur.
Non est amicus absque temporis morâ.
Non est amici polliceri, sed dare.
Non est amores vt concilies præmiis.
Non est beatus cui quis terror imminet.
Non est beatus qui scit recta; est, qui facit.
Non est beneficium quod fortunam respicit.
Non est beneficium in quæstum quod mittitur.
Non est beneficium quod recusans accipit.
Non est bonum ipsum vivere, sed bene vivere.
Non est diu vivendum; vivendum est satis.
Non est dolor nisi ex eo quod sentias.
Non est homo satis quem aliena non movent.
Non est homini somnus bonus de prandio.
Non est honestum aliquid quod non & liberum est.
Non est leve cum hoste commori solatium.
Non est locus beneficio ubi est necessitas.
Non est locus fortunæ, nil ubi est sui.

Non

Non est mala mors quam vita præcessit bona.
Non est malus qui sponte non fuit malus.
Non est pudori munimentis cedere.
Non est profectò libertas, nihil pati.
Non est sacrificium quod invitus exprimis.
Non est sapientis dicere, Non putaveram.
Non est suo sine creditore debitor.
Non expedit videre & audire omnia.
Non facile est scribere in eum proscribere qui potest.
Non facit ad aulæ mores contumacia.
Non id quod est opus, sed quod necesse emas.
Non in pauperie vitium est; est in paupere.
Non ideo quid bonum est, quoniam non est malum.
Non imminet fortuna ulli unquam ignaviæ.
Non invenit magnum exemplum nisi sors mala.
Non judicant homines prius, quàm pœnitet.
Non semper est pars quæ triumphat justior.
Non lata currere ad Musas datur via.
Non liberalis est, qui non est de suo.
Non magna eloquitur magna sed vivit probus.
Non maximus modo Iupiter est, at & Optimus.
Non membra Furiæ, Furiæ mentem vulnerant.
Non mentiuntur astra, sed ipse tu tibi.
Non multum ab homine timendum est, à Deo nihil.
Non nos relinquunt; antecedunt mortui.
Non omnia habet quæ fugias ætas grandior.
Non omnia eidem Dij dedere cælites.
Non omninò temerè est quod vulgò dictitant.
Non omne quod prodest homini, etiam hominem obligat.
Non omnis ætas hominis ludo convenit.
Non omnibus quatuordecim gradus patent.

Non paupera est; est dives continentia.
Non ad vitia modò pronum, est & præceps iter.
Non pugnat in bello comatus; pectitur.
Non quàm diu vivas refert, sed quàm bene.
Non quale sit, sed quanti, quidque quærimus.
Non qui parum habet, est pauper; sed qui plus cupit.
Non qui sapit repentè, etiam tutò sapit.
Non quid faciant alii, sed te deceat, vide.
Non quid feras, verùm quemadmodùm interest.
Non quid loquaris refert, sed quid sentias.
Non rara jam, sed nulla est innocentia.
Non res in amicis sed voluntas quæritur.
Non se suosque mulier quit defendere.
Non semper hominum culpa est, culpa & temporũ est.
Non semper hospitem esse oportet hospitem.
Non semper uno corpus atque animus loco est.
Non sic sapit lucrum homini, quo damnum dolet.
Non sum occupatus unquam amico operam dare.
Non sunt amici, amici qui degunt procul.
Non sunt beati quorum opes cunctos latent.
Non sunt mala nisi quæ mentem crimine implicant.
Non sunt sui, sunt subditorum Principes.
Non supplicat Deo mala conscientia.
Non tam adsequi turpe est, quam turpe est non sequi.
Non tam jucundè habeas amicum quàm pares.
Non tam merita altè descendunt, quàm injuria.
Non tam moritur aliquis tardè quàm nascitur.
Non transeunt beneficia in formam credit.
Non veritate, at raritate, aurum bonum est.
Non vincitur facilè in bello innocentia.
Non vivit is sibi qui vivit, sed qui alteri.
Nondum omnium dierum Lucifer occidit.

Nos judicamus, judicantes alterum.
Noti magis patricii sunt quàm nobiles.
Noverca bona nulli non magno constitit.
Noverca cuivis virtuti fors prospera est.
Noverca eruditionis negligentia est.
Noverca virtutum omnium est felicitas.
Noverca virtutum omnium otiositas.
Novum ancupantur herum quos continet metus.
Novissimum malum tolerabile maximè.
Nox vera animi, ira est, cernere verum nam vetat.
Nulla absque magnis magna agas periculis.
Nulla absque termino immortalitas suo est.
Nulla ars sine motu, nullave est mutatio.
Nullus dolor supra dolorem femina.
Nulla esse legibus altior debet manus.
Nulla esse potest religio, ubi nullus metus.
Nulla est fides ulli naturâ barbaro.
Nulla est honoris gaudiique copula.
Nulla est ibi ratio, est ubi sortitio.
Nulla est, nisi aliquo in actu sit, sapientia.
Nulla est, nisi profecta à consilio injuria.
Nulla est voluptas cui non sit comes dolor.
Nullus profecto agenti longus est dies.
Nullus sibi est similis ubi adest periculum.
Nullus suum unquam successorem sustulit.
Nullius auctor populus est rei bonus.
Nulli est amicus, sibi qui amicus est nimis.
Nulli æmulus suæ carus potentiæ est.
Nulli Dei sunt hominibus felicibus.
Nulli Deus sese injusto communicat.
Nulli Deo exul esse curæ creditur.
Nulli duravit gaudium rapti in posterum.
Nulli hodie amici sunt quam temporarii.

Nulli labores sunt oneroſi amantium.
Nulli invidiæ cara eſt annona in proſperis.
Nulli lucrum eſt, quam ex alterius incommodo.
Nulli magis nocet malitia quàm ſibi.
Nulli malo non etiam inter tuta eſt timor.
Nulli malum eſt paupertas, niſi qui fert malè.
Nulli modum ſatietas imperij fæcit,
Nulli non ad nocendum virium eſt ſatis.
Nulli perennis obtigit felicitas.
Nulli placent ſua, qui ad aliena reſpicit.
Nulli vigent ſub rege magni ſpiritus.
Nulli vitium eſt, niſi eſſe cui virtus poteſt.
Nullum abluit peccata pectoris mare.
Nullum animal abſque mortis editur metu.
Nullum conſilium inutur ſine prudentiâ.
Nullum eſt animal quod homine ſit moroſius.
Nullum eſt bonum, male uti quo quis non queat.
Nullum eſt malum cui non effugia ſint ſua.
Nullum eſt vitium, cui non amator ſit ſuus.
Nullum gravius ſupplicium eſt odio publico.
Nullum tugurium ullam virtutem reſpuit.
Nullum invenias animal rude ad uſum quod ſui.
Nullum invenire eſt in quo carpere ſit nihil.
Nullum malum eſt, cui non bonum admixtum ſuum eſt.
Nullum malum ſi fers in amore prægravat.
Nullum malum ſupra malum eſt inſcitiæ.
Nullo inquinantur radij Solis ſtercore.
Nullum malum magnum eſt, quod eſt & ultimum.
Nullum meretur auxilium, auxilium qui negat.
Nullum periclum eſt, quod ſciam, ſtipularier.
Nullum requirit præmeditari veritas.

Nullum

Nullum suâ absque prædâ latrocinium est.
Nullum finit rumor populi sine æmulo.
Nullum suo sine exemplo exiſtit nefas.
Numerandus inter servitia est & spiritus.
Nunquam ægra possis absque questu tangere.
Nunquam antecedit crimen emendatio.
Nunquam benè ferrum irato homini committitur.
Nunquam bonâ vitia ulla manſuescunt fide.
Nunquam coeunt simul in unum bonum ac malum.
Nunquam coeunt vitia ipsis cum virtutibus.
Nunquam documentum nolle virtutis fuit.
Nunquam dedit fidele consilium timor.
Nunquam Deo fons deficit clementiæ.
Nunquam Deos primi consilij pœnitet.
Nunquam esse sera homini potest correctio.
Nunquam expaveſce mortem: semper cogita.
Nunquam id bono multum est, quod dignus accipit.
Nunquam in popinis frugi servus delitet.
Nunquam ipse mentis absque adsensu est impetus.
Nunquam malus benè usus solitudine est.
Nunquam ore aliud loquare, animo aliud sentias.
Nunquam otioſus ullo in homine amor Dei est.
Nunquam parum esse cui potest, quod est satis.
Nunquam patronus deficit pejoribus.
Nunquam rei fucum sectatur veritas.
Nunquam sapiens de fato questus est suo.
Nunquam sapiens duo bella suscipit simul.
Nunquam sapiens fortunæ dixerit malè.
Nunquam sat est spei datur quod improbæ.
Nunquam sua est rebus falsis constantia.
Nunquam suo virtus latet dispendio.
Nunquam tacet morbus loquendi quem tenet.

Nuptæ

Nupta ad maritum; ad patrem virgo pertinet.
Nuptæ recenter haud sequuntur funera.
Nusquam caret vitio cultus lascivior.
Nusquam magis cavendum est quàm in victoriâ.
Nutrit quietis gratiam exercitatio.
Nutritur animæ duris, mollibus caro.

O

O Quàm, mori nescire, res miserrima est!
O quàm sit laudandum juris otium est!
O solitudo, quàm bonis merè aurea es!
Obesse nobis nec volunt Dii, nec queunt.
Ob debitum nec-rectè corpus nectitur.
Objecta verbo quid ni item verbo neges?
Objectu pecoris hostem in insidias agas.
Oblivionis mater negligentia est.
Oblivioni honestus haud datur labos.
Obniti adversis maximum est munus Ducis.
Obnoxia maximè invidiæ excellentia.
Obnoxiæ non sunt laboribus capræ.
Obnoxiæ omnis novitas est sermonibus.
Obscura quantumvis, nunquam virtus latet.
Obruitur urbis parte vastum incendium.
Obsonii loco labores sunt viris.
Obsurduerunt aures vero Principum.
Obscæna lingua? obscæna conscientia est.
Occasio nequicquam amissa quæritur.
Occidere subitò, misericordiæ est genus.
Oculis fides habenda major quàm auribus.
Oculorum aciem ferè fallit longinquitas.

Oculos

Oculos quidem fugis Dei, non effugis.
Odii paterni iniquè hæres fit filius.
Odio beneficium est, expectatum quod diu est.
Odio est animus invictus contra gratiam.
Odiosa cuivis quævis est mutatio.
Odiosa laudes in proprias jactatio est.
Odisse non potest hominem, qui amat Deum.
Odisse, res est omnium liberrima.
Odisse turpe est, dignum laude quem putas.
Odore quis nam glorietur, ceu suo?
Offendere quosdam quàm obligare tutius.
Officiosissimè homines medicus enecat.
Officia nobis nostra quidam ultrò imputant.
Oleri & piper miscet cui piperis copia est.
Olim imperare officium erat, hodie potentia est.
Omnis Deum benignitas spontanea est.
Omnis dolor, certè recens, est contumax.
Omnis homo miles est in hostes publicos.
Omnis viro locus sapienti patria est.
Omnis parens est disciplinæ instantia.
Omnis superstitionis est morbus parens.
Omne est molestum invitus quidquid perficis.
Omne imbecillum est à sese quod improbum est.
Omne instabile est, fortuitò quod evenit.
Omni arte Deus naturaque est potentior.
Omni loco virtus quoque omnis nascitur.
Omni vitio deterior est superbia.
Omnem verecundiam illico excludit fames.
Omnem latebram mortis pervadit metus.
Omnem moratur impetum suspicio.
Omnes cinædos esse censes, tu quia es?
Omnes dies sapiens, tanquam ultimam ordinat.

Omnes

Omnes mali vivunt: jam contextum est scelus.
Omnes habet virtutes qui vel unam habet.
Omnes volente plorant vel rident Deo.
Omnibus amicis quod mihi est, cupio esse idem.
Operas solent Reges præstare mutuas.
Opere aperitur nequities, non incipit.
Operis reprehensio opificis contumelia est.
Opes avaro pœnæ sunt, non sunt opes.
Opes bonum generis humani maximum.
Opes Deorum in prædas militi haud cadunt.
Opes mali facilius quàm boni obtinent.
Opes malis contingunt sæpius, quàm bonis.
Opes onus profectò mentis sunt bonæ.
Opes sapientis sunt, insipiens est opum.
Opes senectæ subsidium serè optimum.
Opes suas urget præceps licentia.
Opes tuas non unquam ostentes hostibus.
Opibus homini benè uti difficillimum.
Opinio populum ducit non veritas.
Opinionem malis quam vitam bonam.
Oportet emere, obedire quem tibi velis.
Oportet esse amatoris celerem manum.
Oportet esse, ut vivas; non vivere, ut edas.
Optare cladem summum publicam nefas.
Opum appetitus sapientiæ est exclusio.
Opum cupido factionum nutricula est.
Opum, voluptas atque luxus adsecla.
Opum facit latrones indigentia.
Orationis vinculum ingens est timor.
Orationem ira omnem prima respuit.
Otium tuum haud emineat, verùm appareat.

Paci

P

PAci probrosæ infelix bellum præferas.
Palam argue crimen crimen quod palàm nocet.
Panem malum reddit siligineum fames.
Par dux duci eligendus, aut præstantior.
Par est referre pro beneficio gratiam.
Par feminis vigor, mihi crede, qui viris.
Pari fugienda ornatus ac sordes modo.
Parum est dedisse munus, si non & foves.
Parum petit natura, immensum opinio.
Parcit sibi Princeps cùm parcit alteri.
Pare Deo libenter, & parentibus.
Parere miles qui scit consilio, utilis est.
Parere sueti, mansuetissimè imperant.
Pars æquitas prima, ipsa est æqualitas.
Pars consilii vel maxima est in tempore.
Partes suorum sunt parentes liberi.
Parvo colas virtutem, magno vitia.
Parvum adde sæpè parvo, opes magnas strues.
Pati optimum est quod emendare non queas.
Patientiâ virtus quid possit indicat.
Patientia virtus nunquam est in prosperis.
Patitur bonus vir non infert injuriam.
Patri senenti robur dat proles novum.
Patrem haud minus quis diligat quam liberos.
Patrare fortia ut est Romanum, ita & pati est.
Patruus pupillis est parentis in vicem.
Pavore semper tutior est audacia.
Paucis laboris expers gaudium obtigit.
Paucis opus est ad mentem literis bonam.
Pauci naturâ, plures sunt studio boni.

Pauciſſimi vitæ; omnes diſcimus ſcholæ.
Pauciſſimi volunt hodie eadem, quæ heri.
Pauciſſimis rector ſui animus optimus.
Pauper Dei eſt in animo, non in ſæculo.
Pax & juſtitia amicæ ſunt duæ invicem.
Pax eſt etiam in obſeſſâ pauperi viâ.
Pax talis eſt cui qualis belli eſt exitus.
Pax veritatem magè quàm bellum examinat.
Pax fictâ mox in prælium convertitur.
Peccamus omnes plura, quàm facimus benè.
Peccare ſe qui neſcit, non vult corrigi.
Peccaſſe, pœna vel ſumma eſt peccantium.
Peccata habe odio, peccatorem dilige.
Pecoris voluptas certè, non hominis bonum eſt.
Pecunia in judiciis plurimum poteſt.
Pecunia neminem unquam fecit divitem.
Pecunia pauperi officio eſt antiquior.
Pecuniæ contemptus, fructus maximus eſt.
Pecuniæ etiam exacto male creditæ.
Pejora dum timentur, in voto eſt locus.
Pejora quis non præ melioribus eligit?
Pejora ſemper ſerviunt meliortbus.
Pejus meditari, quàm loqui, mendacium.
Penè anteqnam ſe noverint, amant mali.
Per alta virtus it; ſectatur tuta iners.
Per comitatem facilè diſſipes tua.
Per pericula aliorum in ſuum improbus ruit.
Perdit ſuas res, publicas qui negligit.
Perdit fides hominem aquè ac diffidentia.
Perdit parentum natos adſentatio.
Perdit repentè venter quidquid accipit.

Perdunt

Perdunt suam vim cuncta consuetudine.
Perdura pugna est vincere consuetudinem.
Perenne nil est rebus in mortalibus,
Persacilè avarus ictus fert argenteos.
Perfectus in patriâ esse monachus non potest.
Periclitatur in delicijs castitas.
Periclitatur in multiloquio veritas.
Periclitatur inter opes modestia.
Periclitatur pietas in negotijs.
Pericula dum vult ira inferre ipsa incidit.
Periculosa res est dux audentior.
Periculosa temeritas: res bona est quies.
Periculosi amores, jucundissimi.
Periculum omne tyranno à conjunctissimis.
Perinde res sunt omnes, ipse ut eas agis.
Perit dupliciter quod nescienti elabitur.
Perlucet omne, si inspicitur, mendacium.
Permulta multi; sed rumor scit plurimum.
Permulta scire, res verè vanissima est.
Permixta falsis vera, loci verum obtinent.
Pericla ubi præveniunt, frustra consulas.
Periculosus in bello error nominis.
Periculosum vivere innocentiâ.
Perpauca sunt diuturna: perpetuum est nihil.
Perpes profectò servus mercenarius est.
Perpetua nulla est peccantis felicitas.
Persæpe bellum sola fama conficit.
Persæpè caussa moriendi est, timidè mori.
Persæpe gloria ut adquiratur spernitur.
Persæpe vulnere alieno victor sternitur.
Persæpe hiems nocet plus quàm hostis militi.
Persæpe morbus non est corporis, loci est.

Persæpe ne quidem Dii verum dicimus.
Persæpe pœna poscitur pro munere.
Persæpe pestem invenias in victoriâ.
Persæpe pacis nomine bellum involvitur.
Persæpe quis Nero intus, est foris Cato.
Persæpe pondus muneri imponit fides.
Persæpe qui vixit diu, vixit parum.
Persæpe res mala in bonam convertitur.
Persæpe post veteranus vicit sanguinem.
Persæpe sub calone tribunus latet.
Pene supervacuum est tardum solatium.
Perturbat animum homicidii cogitatio.
Pestifera vis est ad nocendum quæ valet.
Perversa sunt, quæ non sunt à Deo omnia.
Philosopham animam nullus cupido vulnerat.
Philosophus haud vivit sibi, sed omnibus.
Philosophiam amittes, si vel intermiseris.
Philosophiæ totius historia est parens.
Piè Deo litamus innocentiâ.
Pietas ferè magna impatiens injuriæ est.
Pietate & Justitiâ Dii fiunt Principes.
Pietas vel ipso sæpè vultu læditur.
Plebi venenum agitandæ lex agraria est.
Placent sibi mores boni atque permanent.
Placet sibi suis poeta in canticis.
Placidè ferendo lenimuntur aspera.
Plenæ superbis maximæ servis domus.
Plenissima est parens errorum Antiquitas.
Pleraque injurias qui nescit non accipit.
Plerique amicitiam cum amico unà efferunt.
Plerique fundunt, ut ostentent, lacrimas.
Plerique nolunt vivere, & nesciunt mori.

Plerunque

Plerunque etiam odia acerba comprimit metus.
Plerunque gignit veritas molestiam.
Plerunque fidi infestis socii ex hostibus.
Plerumque fortis pallet arma dum induit.
Plerumque peccat plebs ob imprudentiam.
Plerumque pro innocentiâ imprudentia est.
Plerumque fracta deficit fides malis.
Plerumque Regum stulti illudunt viribus.
Plerunque vincunt vitam qui minimi æstimant.
Plures amant amicos cùm sunt mortui.
Plures animo sunt morbidi quàm corpore.
Plures hominum conservat quàm perdit pudor.
Plures malâ sunt homines linguâ quàm bonâ.
Plures metu boni sunt quàm innocentiâ.
Plures sui similes ut sint, optat malus.
Plus adgravant mala quæ non exspectaveras.
Plus arbitro semper licet, quàm judici.
Plus caussa belli pollet, quam potentia.
Plus gratiæ confert quàm tollit orbitas.
Plus Imperatore uno esse in bellis malum est.
Plus in re alienâ omnes quàm nostrâ cernimus.
Plus ira nobis noxia est quàm injuria.
Plus iis timemus quos diligimus amplius.
Plus proficit postremò virtus quàm dolus.
Plus peregrino homini livor quàm civi nocet.
Plus quam capital scrutari fata Cæsaris.
Plus sæpe quàm hostis vexat asperitas loci.
Plus scire satius est servum hominem quàm loqui.
Plus scire oportet hominem servum quàm loqui.
Plus viva cui vox proficit, quàm oratio.
Pluris parentes faciunt filiæ quàm mares.
Pœnâ patres contenti sunt mollissimâ.

Pœnæ satis est improbitas ipsamet improbo.
Ponenda pœna sceleribus ultima ultimis.
Ponenda semper ante amicum Veritas.
Populi ruinæ causſa sacerdotes mali.
Populi salus Regi anteferenda liberis.
Populi sui vitalis est Rex spiritus.
Portenta magna telis magnis straveris.
Portus salutis homini pœnitentia est.
Posse unum hominem agere, res vel arduissima est.
Posterius est peccare ipsum, quàm corrigi.
Potentia est ruinæ multos tollere.
Potentiores quos læsere & oderunt.
Potest cavere sortem, ferre qui potest.
Potiora Duci oportet pectora sint manu.
Potiora sunt sano privatis publica.
Præscinde fontis venam, arescent rivuli.
Potius opes à te quàm à fortunâ petas.
Prandere apud se melius quàm in palatio.
Præbet viam flumen majus commerciis.
Præcipua passim est virtus hospitalitas.
Præclusa nulli est virtus: omnibus patet.
Præclara res est muneri immori pio.
Præcogitati mollis est ictus mali.
Prædator ipse à prædâ sæpe ducitur.
Præponderat salus necessitudini.
Præsagium præsens timor victoriæ est.
Præscripta mors est ordinem egredientibus.
Præfertur utique utilitas consuetudini.
Præstantior quavis ars, quovis robore.
Præstat docere vitâ quàm sermonibus.
Præstat mori in patriâ quàm externis in locis.
Præstat mori profectò, audire quàm male.
Præstat mori quàm deridèri ab hostibus.

Præstat mori quàm libertatem amittere.
Præstat pudorem mente, non facie, probus.
Præstat redire serò quàm nunquam in viam.
Præstat venire tardè, quàm nimis citò.
Præsume futura, nulli tyro eris malo.
Præter hominis est naturam, lædere alterum.
Præterita cures, sed magis præsentia.
Præterita nec condemnant quem nec judicant.
Præterita reprehendi possunt non corrigi.
Præterita carpi mage queant quàm corrigi.
Prævisa tela, si nocent, nocent minus.
Pretiosa multa tempore fiunt, vel loco.
Pretiosior virtus hoc est quò rarior.
Pretiosum habetur omne templis quod datur.
Pretium rei omne honestæ in ipsâ clauditur.
Pretium suum cuique rei pro tempore est.
Primi ad periclum ad honores sunt ferè ultimi.
Primum bonum, non nasci; citò obire alterum est.
Primum ipse fletus omen est nascentium.
Primos modicus motus remediis comprimas.
Princeps Philosophus, populis fit Deus suis.
Privata non servat qui prodit publica.
Privata perdit, qui non curat publica.
Privas animâ urbem, leges aufers si bonas.
Prius cavere quàm pudere est æquius.
Prius dole ipse, flere si vis alterum.
Pro bestiolâ qui perdit hominem, hominem exuit.
Pro homine est habendus, quisquis hominem te putat.
Pro jure & æquo est, usurpata licentia.
Pro licito habetur omne quod jam publicum.
Pro mille sæpè est testis unus testibus.
Pro munimento sæpè loci est angustia.

Pro noſtro habemus quod diu poſſedimus.
Pro veritate honeſta unâ eſt conſtantia.
Pro vana veris maximè in bello valent.
Probro afficis vatem? afficis vatis Deum.
Probus ſuam & domum ſceleſtam deſerit.
Procraſtinatori uſque lucta cum malo eſt.
Prodeſt alius magis juſtitia quàm ſibi.
Prodeſt magiſtratus mutatio annua.
Prodeſt parum ſapientia abſque eloquentiâ.
Prodeſt pudor aliquando, aliquando obeſt pudor.
Prodeſt ſibi quicumque prodeſt alteri.
Profectò deliramus interdum ſenes.
Proficere velle, pars profectus maxima eſt.
Prohibere naſci, homicidii feſtinatio eſt.
Proles amatur partus maximè ultimi.
Prolixitas ingeſta addit faſtidium.
Promiſſa non ſunt ſemper ſolvenda omnia.
Promiſſio actionem nuda non parit.
Promum requirit condus, prodigum tenax.
Promptus manu parum conſilio providet.
Propellere armis arma, jus eſt gentium.
Propriis redimunt ſuos periculis beluæ.
Prorumpit ira fermè in bella Principum.
Propter Xenophontem Gryllus notus eſt pater.
Provincia habita avarè, ad hoſtem deficit.
Prudentia ſumma confeſſa imperitia eſt.
Prudentia rarò ibi eſt ubi eſt potentia.
Prudentis animus pauca verba fundit.
Pudica ſunt probis convivia & ſobria.
Pudicit decus mulieri maximum eſt.
Pudor reorum ſæpe lenit judices.
Pudor rei perit multis peccantibus.

Pudo-

Pudorem alienum qui appetit perdit suum.
Pudore victus arma segniter capit.
Puer est homo omnis, maximè verò senex.
Pugnantibus nocent locorum angustiæ.
Pugnâ secundâ animi incitantur hostium.
Pugnare noli ventis: servi tempori.
Pulcerrimum est idem quod est justissimum.
Punire debet rex, non judex, nobilem.
Punit Deus severius quo serius.
Putamus omne quod nescimus dulcius.
Putet innocentem se esse civitas: erit.

Q

QVæ corrigi desperas, stultè fleveris.
Quæ corporis pars peccat, & pœnas luat.
Quæ lex punire possit conscientiam?
Quæ magna cunque sunt, sunt vulgò pro bonis.
Quæ mala putantur hîc, sunt in cælo bona.
Quæ non queunt fieri, sectari insania est.
Quæ præstat obsequium votis felix est necessitas.
Quæ pulcra non sunt, autumat pulcra esse amor.
Quæ pulcra sunt pulcris constant laboribus.
Quæ quis didicit puer, meminit quamvis senex.
Quæ scelere adimpletur promissio, impia est.
Quæ justa bella, eadem sunt & felicia.
Quæ vera sunt nunquam refutari queant.
Quæ vindicantur sæpe, fiunt sæpius.
Quîn mente quid fiat refert, non quid datur.
Quà noceat ira, non quà caveat, aspicit.
Quædam facilius abscindas quàm temperes.
Quænam sibi necem ipsi unquam fera intulit?
Quamplurimum in bello valet prudentia.

Qualis leænæ, talis ira fœminæ est.
Quamplurimum est egenâ in vitâ audaciæ.
Quamvis docet naturæ artem necessitas.
Quamvis potentum populorum arbitri Dei.
Quamvis vetustum arbustum transferri potest.
Quando suo absque sanguine est victoria?
Quandoque etiam licet jurare pro altero.
Quandoque & ipsius corrigit reum metus.
Quando hostis à captivis accepit modum?
Quando enatavit naufragus cum sarcinis?
Quantò licet probis plus, hoc minus libet.
Quantò altior quis est hoc fœdius ruit.
Quantum est adhibere amicum hominem, ubi rei quid geras?
Quantum est suis necessitatibus obsequi!
Quærenda nulli, paria quæ sunt omnibus.
Quærenti opus medico nil est infamius.
Quæras opes florentum diffisus tuis.
Quæri in dominos de servis injustissimum est.
Quærit novas res vulgus, atque idem pavet.
Quæstus sui properare caussâ, nauticum est.
Quas non à tergo opes sequitur mendicitas?
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.
Quasvis profanat res sacras necessitas.
Quævis ferant obsessi, præterquam famem.
Quàm maximè excit bilem fatigatio.
Quàm rarus est qui luce quid dignum facit!
Quàm sit bonæ fons venæ flumen indicat.
Quemadmodum vult victo victor imperat.
Quem texerat dolum nox prodidit dies.
Quem continens non conficiat tandem labor?

Quem-

Quemcunque vult animus quotidie conſpicit.
Quemquam ferat, qui ferre vinum non poteſt?
Queis accubat livor vita illis ſplendida eſt.
Queis lingua docta, ignava firmè dextera eſt.
Queis terra, eiſdem animus quoque eſt ardentior.
Quia noſtra amamus vitia, etiam defendimus.
Qui cogitat de victu, altum nunquam ſapit.
Qui cogitat ſcelus facitve, idem Deo eſt.
Qui conſilium effert optimum, illi obtemperes.
Qui conſulit ſibi ipſi, uxori conſulit.
Qui contrahunt domi ſe, dilatant foris.
Qui cùm poteſt non vult, non poterit cum volet.
Qui cuncta timet nil ei quod timeat naſcitur.
Qui curſitantem hortatur, eundem & adjuvat.
Qui deſiit ſperare, timere deſinit.
Qui didicere nunquam, nolunt diſcere.
Qui divitiis ſimul vitiis quoque incubant.
Quisquis dubitavit, eſt neganti proximus.
Qui feminam miratur, miratur lutum.
Qui ferre apes gravatur, is nec mel feret.
Qui juſtitiam colit, pulcrè litat Deo.
Qui luxuriatur an non vivens mortuus eſt?
Qui ſentit aliud, aliud loquitur, eſt malus.
Qui magna gaudet, parva haud contentus loqui eſt.
Qui magno æſtimat libertatem, alia parvo omnia æſtimat.
Qui moritur in armis, moritur, non vincitur.
Qui multa dicet, opportuna haud dixerit.
Qui mutuus eſt amor, eſt amor cultu optimus.
Qui negligit Deum, fidem equidem negligit.
Qui negligit parva, excidit majoribus.

Qui

Qui nesciet parvo uti, æternum serviet.
Qui non sapit sibi ipsi, nequiquam sapit.
Qui nil rogat fortunam, privatam facit.
Qui nimium properat, solvi vult, non solvere.
Qui non facit quod præcipit, fidem elevat.
Qui non habent pecuniam, hanc optant minus.
Qui nucleum desiderat frangit nucem.
Qui nullam habet rem, quei rem curet publicam?
Qui perdidit fidem semel, nunquam invenit.
Qui perdidit vereri, cuncta perdidit.
Qui prælium fugit fatetur se imparem.
Qui plurimum potest, pugnat potentiâ.
Qui publicat divitias, fures provocat.
Qui rectè agit pœnam fert, regnum qui malè.
Qui scurra semel, nunquam familias fit pater.
Qui se utitur vivit; qui non, est mortuus.
Qui serviunt serò, nec-rectè serviunt.
Qui servus est gerit serviles spiritus.
Qui sponte it obviam irascenti, eum incitat.
Qui sponte peccat aram injuriè occupet.
Qui sub jugo sunt quei se possint flectere?
Qui vivere semper incipiunt, vivunt male.
Qui violat inducias, violat jus gentium.
Quibus timori est quisq; eum invicem timet.
Quivis labor levior fit consuetudine.
Quicunque avarus, jusjurandum negliget.
Quicunque prudens cedit multitudini.
Quicunque certat, quamvis vincat, par fuit.
Quicunque mortis est memor, memor sui est.
Quicunque non facit bonum, malum facit.
Quicunque opes contempsit, dignus est Deo.
Quicunq; amat, quod amat si id habet, ei pro cibo est.

Qui-

Quicunque peccat, dat pœnas ſtatim ſibi.
Quid aggrediatur Dux quæ nequet perfici?
Quid aliud hominum vita, præter ſomnium eſt?
Quid aliud iracundia eſt, quàm inſania?
Quid eſt fides, niſi quod non cernis credere?
Quid exilium eſt, niſi commutatio loci?
Quid is boni habet, ſub quo nemo eſt niſi vir malus?
Quid pertimeſcat cui beneficium eſt mori?
Quid poſtules è pumice aquam, qui ipſus ſitit?
Quid regna ſunt, niſi magna latrocinia?
Quid ſanitas boni ſit, languor indicat.
Quid ſit fides fruſtra à fugitivo quæritur.
Quid ſtas ad unam in tempeſtate atrâ anchoram?
Quid turpius, quàm vivere incipiens ſenex?
Quid vita noſtra eſt, temporis quàm punctulum?
Quid vita noſtra aliud quàm anima eſt ergaſtulum?
Quidam fugiunt honorem ut honoribus obvient.
Quidam gladium faciliùs recipiunt quàm vident.
Quidquid loquitur adulator, ſal eſt merum.
Quidam odia habuerunt, queis inimicus defuit.
Quidquid bene ubique dictum eſt, id ſacito tuum.
Quidquid Dei dicunt, id rectum eſt dicere.
Quidquid diu exſpectatum eſt, levius accidit.
Quidquid labor contraxit, tollet id quies.
Quidquid merâ vi conſtat, haud durabile eſt.
Quidquid neceſſe eſt, non habet faſtidium.
Quidquid poteſt fieri, ut futurum proſpice.
Quidquid potuit fieri olim, & poſt fieri poteſt.
Quidquid perit victis, perit victoribus.
Quidquam quisquam cuiquam quod conveniat neget?
Quidquid regi nequit, durare nequit diu.
Quidquid ſenex debebat nolle, non poteſt.

Quidvis cibum inclemens facit necessitas.
Quidvis queas celare homines, nihil Deum.
Quin jam vel ipsa officia sunt convivia.
Quin simus in bello justi, nihil vetat.
Quis esse magnus in pusillâ re potest?
Quis est alienis qui admoneatur casibus?
Quis est aperto qui ausit vivere ostio?
Quis est sapiens? qui vivit cum Diis ex pari.
Quis invideat stulto, nisi qui est stultissimus?
Quis invenitur qui reprehendi se velit?
Quis exigat, quàm non præstat modestiam?
Quis lubricum linguæ facilè ad pœnam trahat?
Quotidiè ferro aurum servit Pannonum.
Quis non ab uno ad alterum spectat scelus?
Quis non amet sobolem suam etiam mortuam?
Quis non fidem mutaverit cum tempore?
Quis non amet parentes quamvis mortuos?
Quis non sui sequatur exemplum Ducis?
Quis miles ad bellum pergit cum conjuge?
Quis nam potentem habere vicinum velit.
Quis non adhuc victurum annum unum se putet?
Quis non habere in alios imperium cupit?
Quis non patri supremum optat suo diem?
Quis non parentum exspectat mortem filius.
Quis non sibi membra abscidit tardè sua?
Quis, obsecro, es cuius lædi aureis est nefas?
Quis pauperem cui nil deest, judicaverit?
Quis quæso nostrum se mortalem cogitat?
Quis quæso se quotidie intelligit mori?
Quis veritatem non Honori præferat?
Quis vestimenta unquam æstimavit arculâ?
Quis veritati unquam potuit præscribere.

Quis vota Dijs non insusurrai turpia?
Quisnam suos mutatos in melius fleat?
Quisquis libenter moritur, moritur & bene.
Quisquis malum tuetur, ipsus est malus.
Quisquis nimis gaudet, mox & dolet nimis.
Quisquis tegit pauperiem, eam sibi objicit.
Quisquis timetur, esse securus nequit.
Quisquis præest cunctis, & cunctis indiget.
Quo chorda plus tensa est lyræ, plus musica est.
Quo major est fors hoc ei credas minus.
Quo ditior quis, hoc est & sapientior.
Quo divitiæ, si non sunt fructui & usui?
Quo justior quis, hoc est religiosior.
Quo more cœtus publicos virgo petis?
Quo pejus animo quis se habet, sentit minus.
Quo plura quis facit, hoc & peccat pluries.
Quo quisque major, hoc magis est placabilis.
Quo rarior scientia, hoc pomposior.
Quo sunt propiora pericula hoc terrent magis.
Quo tardior pœna est Dei, hoc est grandior.
Quocumque honestum ducit ac vocat veni.
Quoniam æmulari non licet, nunc invides.
Quovis cibo parasitus perduci potest.
Quod ante non provisum est valdius ferit.
Quod approbatur usu, verè est optimum.
Quod bene morata oratio suadet imperat.
Quod concupiscis, fit vetitum jucundius.
Quod conditum malum est, cave illud moveris.
Quod dulce præter jus est, in fel vertitur.
Quod est honestum, id unum imò unicum est bonum.
Quo maior est potestas, hoc & servitus.

Quod

Quod est satis naturæ, luxuriæ parum est.
Quod est sine exemplo, est sine metu item malum.
Quod fit figuratè, non est mendacium.
Quod vis fieri tibi, hoc & facias alteri.
Quod gentium nusquam est, poëta repperit.
Quod invenire nolis, noli quærere.
Quod invenis, nec illicò reddis, rapis.
Quod maximum est, jam surgere ultrà non potest.
Quod nemo culpet, nullum reperias opus.
Quod non dedit fortuna, etiam non eripit.
Quod non jubet repeti lex, repeti lex vetat.
Quod non opus est, carum est etiamsi asse emeris.
Quod non potes ferro occupare, auro occupa.
Quod quis timet ne patiatur, patitur metu.
Quod quis facit minus sæpè, & minus probum est.
Quod turpe factu est, ne dictu pulcrum quidem est.
Quod validius in summâ est fortunâ, id & æquius.
Quod vivimus, punctum est, & adhuc puncto minus.
Quodcunque cœpit esse, & esse desinet.
Quodcunque cordi est Cælitibus facilè evenit.
Quodcumque virtuti est infestum, eam incitat.
Quodcunque fingit gaudium timor, tremit.
Quodvis grave est tenellæ cervici jugum.
Quodvis malum in propinquo est oscitantibus.
Quota est placere quin aveat extraneis?
Quotus parentum exspectat mortem filius?
Quos sæpè vexat durat infelicitas.
Quosvis honores consequare industriâ.
Quot vitia sunt hominis tot sunt animæ cruces.

R

R*Adix malorum est omnium, pecunia.*

Radix

Radix malorum est omnium superbia.
Rara in senibus infantium innocentia est.
Rarissimè invidiam effugit felicitas.
Rarò exitus bello is est qui præsumitur.
Rarò modus rebus lætis intervenit.
Rarò obtigit cui sine sacris hereditas.
Rarò placent ingenia populo maxima,
Rarum esse cures, esse quod gratum voles.
Rarum juveni triumphare est de moribus.
Rarum omne carum est: contrà vile est quod domi est.
Ratio excutit terrorem omnem prudentibus.
Ratione nil fit bellis in civilibus,
Rebus secundis sapiens imponit modum.
Rectè illa nemo fecerit quis, quæ oderit.
Recti tenet locum error, factus publicus.
Rectoris artem obnubilat malacia.
Reddat libenter qui libenter accipit.
Regere imperantis est, parentis est sequi.
Regina vitiorum omnium Superbia est.
Reginæ eadem mors quæ ejus ancillæ imminet.
Regnare nolle, cùm queas, regnum merum est.
Regni tui prô quanta, Venus, potentia est!
Regni vetustas ingenerat audaciam.
Regnum Dei haud obvenit dormientibus.
Regnum omne leges atque arma unà continent.
Regnum quod est, cui non ruina proxima est?
Regnum paratum scelere & invisum est Deis.
Regni cupido ne quidem parcit patri.
Regni cupido suis nec parcit liberis.
Religentem oportet esse, religiosum nefas.
Religio ubique congruit cum moribus.
Religionem sine metu non custodias.

Remedia variis præstant morbis balnea.
Remedia ne sint duriora periculis.
Reparare amicum satius est quàm plangere.
Repudia Regum, uxoribus haud dant exitum.
Res delicata sanè non est vivere.
Res est profectò animæ loco mortalibus.
Res ex honestâ re esse turpis non potest.
Res facta ubi est, supervacuè dissuaseris.
Res gloriosa, perire pro innocentiâ.
Res magna non est vivere, sed magna est mori.
Res multiplex malum est, res est simplex bonum.
Res nulla citius venit in odium quàm dolor.
Res nulla consummari dum incipit potest.
Res nulla longa miseris est mortalibus.
Res perridicula est, elementarius senex.
Res sordida est viâ vulgari vivere.
Res una eademque est, omnia amplecti, & nihil.
Res ira vana est, destituta viribus.
Re turbidâ vel Androclides imperat.
Rerum dolor res simplicissima omnium est.
Rerum omne honestarum est in ipsis præmium.
Rerum magister usus omnium optimus.
Rerum magistra præsens experientia est.
Rerum minus jucundæ sunt origines.
Rerum omnium rapina est: vivendum est fugâ.
Rerum omnium justissima est res veritas.
Rerum omnium nil pulcrius Concordiâ.
Rerum omnium quæ in orbe sunt, lis est parens.
Rebus malis extollere cuncta amat motus.
Rebus gerendis maximè aspera est hiems.
Rebus sapiens non tradit se, sed commodat.
Rebus superbis detrahas superbiam.

Remitte

Rebus suum constituit pretium raritas.
Remitte debitum, doloris sanguini.
Rempublicam pœnâ regas & præmio.
Rempublicam qui vendunt, ipsi veneunt.
Retulisse jucundum est, acerbum quod fuit.
Reverentiæ ferè ad situs semper metus.
Rex à populi mansuescit innocentia.
Rex dicitur bene qui se regere noverit.
Rex gaudeat doleatque principaliter.
Rex justior putatur, qui potentior.
Regis vitia æmulari, est obsequii genus.
Regi decora maximè clementia est.
Regi exprobrat scelus, scelus qui non facit.
Regem sequuntur aures atque oculi omnium.
Reges boni ferè pœnas dant cùm exigunt.
Reges boni minuunt tributa; augent mali.
Reges repellunt auro quem ferro haud queunt.
Reges memoriam sceleribus improbi merent.
Regum administri cuncta agunt ad gratiam.
Regum voluntas lex legum primaria est.
Ridicula multa Philosophus pallio occulit.
Ridiculis æquè nullus est, quàm qui esurit
Regnum imperium grave quidquid quærit invenit.
Reverere Nemesin, si mortale nil times.
Romæ imperium ingens sola corrupere opes.
Romanus orbem totum ceu præsens regit.
Rumor statim malus palàm est bonus latet.

O

SÆpè absque artifice materies cessat bona.
Sæpe esse surdam, & mutam Principi optimum est.

Sæpe est bonæ necessum cui esse ingratis.
Sæpe & genus pietatis est crudelitas.
Sæpe ex dolore parvo natus grandior.
Sæpe ex injuriâ postmodum orta gratia est.
Sæpe in fuga hostis orbem intrat cum civibus.
Sæpe impares tormentis non vera adnuunt.
Sæpe obsidentes urbs obsessa proterit.
Saltem timor sit custos innocentiæ.
Saltem exsecremur quos ulcisci non licet.
Salubritati urbis nocet Solis vapor.
Sanam sitim facillimum est exstinguere.
Sanos etiam vini dementat copia.
Sanare præstet, ulcisci quàm injuriam.
Sapiens, homines si desunt, loquitur cum Deo.
Sapiens miser, miser mage est quàm rusticus.
Sapiens per ipsam cuncta virtutem gerit.
Sapiens putatur omnis esse dignitas.
Sapiens putat illud quòd vivit, stipendium.
Sapiens ubique civis est quò accesserit.
Sapientis animus in mortem omnis prominet.
Sapientia aliud nil est, notitia quàm Dei.
Sapientia hominum, stultitia est apud Deum.
Sapientia verbis non stat, stat virtutibus.
Sapientiæ res nulla investigabilis.
Sapientiæ signum ingens est silentium.
Sat est negare verbo, qui verbo arguit.
Satis coluit imitatus quisquis est Deos.
Satius recurras, quàm porrò curras malè.
Scalæ altiores ipsis sunto mœnibus.
Sceleſta quis non jussa spernat Principis?
Scias oportet multa, queis fallas Deum.
Scitè ferentes gravia non multum premunt.

Scripta

Sciunt tyranni multa, at non ignoscere.
Scripta facere animum non queunt, quem non habent.
Scriptam salutem dignum est dignis mittere.
Se sæpe dat fortunæ quisquis multa agit.
Se viliter ipsum colere, contemptus sui est.
Secum vetustas cuncta abducit longior.
Securius nihil unâ est innocentiâ.
Secreta cura quos lacerat, urit magis.
Secreta quævis Liberi vis detegit.
Secum suas ferunt virtutes exules.
Secundas fortunas decent superbiæ.
Secura nunquam sunt rei præcordia.
Secura mens tristitiam leviter sustinet.
Securitas certa est ex mansuetudine.
Securitas parens est negligentiæ.
Securitas ruinæ proximæ parens.
Securitati cuivis diffidit malus.
Securiter solummodò laudes Deum.
Seditio magna imperia facit fatalia.
Seditio plebis labes omnium urbium est.
Semper aliquem incrementis figas terminum.
Semper doloris remedium est oblivio.
Semper famem voluptas magnam habet sui.
Semper gravis status præsens est civibus.
Semper juventus circumfert superbiam.
Semper libido saturitatis adsecla est.
Semper legi antiquiori lex novissima abrogat.
Semper malo lubentes muliebri viri.
Semper parit quicunque lætitiam labor.
Semper petitur à vero falsis veritas.
Semper piis contingit finis dulcior.
Semper redundat ipse in auctores timor.

Semper saturitati juncta est lascivia.
Semper suo ipse lumine ignis proditur.
Semper suis salvis sunt servæ semina.
Senex cum extemplo est, jam nec sentit nec sapit.
Senex quoque curis impar est levissimis.
Senilis anima primis hæret in labris.
Sentire aliud, aliud loqui turpissimum est.
Sequentibus Deum omnia eveniunt prospera.
Sequere optimam vitam, non jucundissimam.
Sequi pudet naturæ legem divites.
Sequimur quà ratio, non quà veritas trahit.
Sequitur fugientes gloria, sequentes fugit.
Sermo facundæ interpres est sapientiæ.
Sermo senilis ut gravis sic est brevis.
Sermonis haud doctor malus silentium est.
Sermo ne destituta hilaritas marcida est.
Serò dedit munus, roganti qui dedit.
Servare cives, maximum regis decus.
Servare fas propinquos, non fas perdere.
Servanda item reverentia est natalibus.
Servos pares dominos facit captivitas.
Servire jam dedicit qui didicit mori.
Servit quidem Deo Ate, at invisa est Deo.
Servis moderatè dominus imperat bonus.
Serum est venire depugnato prælio.
Serum nimis est auxilium rebus perditis.
Servorum obsequia honestat herorum dignitas.
Si cupidus es discendi, disces plurima.
Si longus est dolor, esse magnus non potest.
Si mihi cadendum est, cecidisse è cœlo velim.
Si non potis es iram vitare tempera.
Si non venerabilis, est verendus conscius.

Si prædia

Si præda cum curâ haud habetur, interit.
Si quando Rex iraſcitur, quævis tremunt.
Si quidem amicitia habenda, habenda eſt cum bonis.
Si magnus eſt magiſtratus, ſit perbrevis.
Si non latrant at hirriunt tamen canes.
Si tibi machæra, & nobis vervina eſt domi.
Si tibi ſunt ruri virgæ, eſt & mihi tergum domi.
Sibi alia animus rectus, ſe nulli ſubjicit.
Sibi imperare imperium verè maximum eſt.
Sibi miniſtrat, imperatque idem bonus.
Sibi quisque ruri æſtate metit, non alteri.
Sibimet manus ſeditio infert domeſtica.
Sic cuncta fac tanquam aliquis te adſpectaverit.
Sic eſt profectò: regere hominem ars eſt artium.
Sic omnia habet ſapiens, ut ſint & omnium.
Signum rei imperfectæ eſt, poſſe creſcere.
Signis Deorum quis temerè admoveat manum?
Silentii fides ſua eſt myſteriis.
Silentio tegenda, oblivio deleat.
Silere præſtat; quàm diſſuadere irrito.
Similis Deo eſt qui injuriæ haud iraſcitur.
Simplex valetudo eſt è cauſsâ ſimplici.
Simulacra habendi nil niſi vacua ſyngraphæ.
Simulatione turgida invidentia eſt.
Sine bonitate nulla majeſtas Deo eſt.
Sine corporum contactu haberi uxor nequit.
Sine hoſte victus marcet, qui Veneri vacat.
Sine miſſione homines in orbe naſcimur.
Sine remedio timere quid, ſtultiſſimum eſt.
Sine reprobatione nulla electio eſt.
Sine Venere vita non eſt, nec jucunditas.
Siſte impetus, & quanta tentas, cogita.

Sit cura vitæ, sed magis sit gloriæ.
Sit gratuita Principis severitas.
Sitis bibendo augetur, non exstinguitur.
Sol cuncta cernit, cuncta Sol dijudicat.
Solatium rei adversæ spes ultimum est.
Sola allevat miserias misericordia.
Sola ingenii memoria vivit perpetim.
Solamen est epistola infelicium.
Solatio est miseris, queri de injuriâ
Solatur & laborem spes victoriæ.
Solus manum pauper Cæsaream non timet.
Soli sibi tantus quantus est, notus Deus.
Sollicita non decet Philosophum oratio.
Sollicita nupta est conjugi ut placeat suo.
Solum beata dia est Immortalitas
Solutio dolorum mors est omnium.
Somnus gravis vel ipsa exstinguit somnia.
Somnus profectò mors est; vita vigilia est.
Sophisticâ omni potior experientia est.
Sors re secundâ freno maximè indiget.
Sortis mediocris homini, multa commoda.
Sorbere nemo ac flare quiverit simul.
Specie amicitiæ sæpe paratur dolus.
Specie auxilii, sæpe socius vincit sibi.
Speciosius rem vi quàm fraude adaugeas.
Spectanda fama hominis quidem, facta at magis.
Spectandus animus: pulcritudo nil juvat.
Spectat beneficium commoda ejus cui datur.
Speranda sunt homini dum spirat omnia.
Sperat quidem animus; quo eveniat, Diis in manu est.
Spernentibus Deum adversa omnia accidunt.

Sperat

Speres tibi accidere, alteri quod accidit.
Spes præmii laboris est solatium.
Spoliis opes ex hostium speciosissimæ.
Sponso seni mulier juvencula imperat.
Squalor gemitusque comites sunt tyrannidis.
Statim patet re quid queat facundia.
Statim exoritur invidia ex magnificentiâ.
Stomachi æstuantis rosa nix solatium est.
Stultè è malis nisi quod minimum est elegeris.
Stultitia laborat omnis fastidio sui.
Stabili prius rem, deinde exorna publicam.
Studeant amari non timeri Principes.
Stultissimum est docere alios quod nescias.
Stultissimum est docere alium quod noverit.
Stultus futura haud spectat, sed præsentia.
Stultus lucro semper, nunquam sapiens studet.
Stultus medicum fugit, prudens medicum appetit.
Stultus potest sapiens haberi dum silet.
Stulti est eundem ad lapidem bis offendere.
Stulti est fugare mortis morte ipsâ metum.
Stulti invident cunctis; bonus vir nemini.
Stultum est metu futuri præsens perdere.
Stultum est properare ad mortem vitæ tædio.
Suâ laborat Roma magnitudine.
Suave est amici amico vox re improsperâ.
Suavis laborum præteritorum memoria.
Suavissimus somnus qui idem est altissimus.
Sub casibus sunt regna multis maxima.
Sub jure summo, summa sæpe injuria est.
Sub clade alienâ & cladem nostram plangere est.
Sub melle linguæ sæpe fel mentis latet.
Sub nomine honesto, sæpe inhonestæ res latent.

Sub nube Sol non est minor; fulget minus.
Sub pædagogo quisque vivit sanctius.
Sub rege justo, status urbis optimus.
Sub rege tyranno fit nocens, non quæritur.
Sub rege tyranno, quidquid excelsum est cadit.
Subdunt reos tyranni flagitiis suis.
Sudoris expers nulla crevit gloria.
Successus auget militarem audaciam.
Sueti imperare ægerrime inde serviunt.
Summus dies idem Hectoris ac Trojæ fuit.
Summum bonum mage corpus, quam animũ respicit?
Summum bonum est juxta naturam vivere.
Summum bonum est quod supra se gradũ haud habet.
Summum bonum, in bonâ exstat conscientia.
Summum bonum non est decrescere quod potest.
Summum bonum, sola ipsa est immortalitas.
Summum est nefas aliquem interimere post fidem.
Summum remedium ærumnarum, est oblivio.
Sumptus superborum omnis est superfluus.
Sunt cuncta pœnâ præmiove pervia.
Sunt efficienda pro opibus nostra mœnia.
Sunt ipsa rerum caussæ semina omnium.
Sunt magna semper nova, seu bona sunt, seu mala.
Sunt maximè in sublimi casus lubrici.
Sunt omnia nutu constituta sub Dei.
Sunt pleraque in queis vincimur nostro bono.
Sunt plura quæ nos territant, quàm quæ premunt.
Sunt pulcra cuncta queis juventa adest sua.
Sunt pulcra, tempestiva quæ sunt, omnia.
Superba sunt potentiorum limina.
Superbia usque gaudet contumeliis.
Superstitione religio subvertitur.

Super-

Superstitio cuivis astutiæ patet.
Supervacua est, nisi post crimen, clementia.
Supposita semper aulicis manus lucro est.
Suspenditur è futuro præsens cui irritum est.
Superstites relinquere quisque avet suos.
Suspectum habe qui habet captivos lenius.
Suis oneratur corpus grande viribus.
Sua ipsemet Deus sibi est necessitas.
Suâ regit fortuna lege tempora.
Suas Dei ipsi vindicant injurias.
Suus cuique rei habendus est honos.
Suo doceri ab hoste nullus est pudor.
Suum facit bonum qui alterius adjuvat.

T

Tacente linguâ sæpe vultus garrulus.
Tacere nosse, quàm loqui mage arduum est.
Talis esse herus solet qualem servi volunt.
Tam cedere est Ducis, Ducis quàm vincere est.
Tam clara Regis quâm rara est modestia.
Tam credere omnia vitium est quàm nil credere.
Tam diu homini est discendum, quam vivit diu.
Tam genere nullo ægrotamus quàm vivimus.
Tam quisque, sese quàm esse credit est miser.
Tanquam domum paternam, Rex suos regat.
Tanti malum quodque est, quanti taxavimus.
Tantum deest avaro homini quantum cupit.
Tam laudibus gaudet miles quàm præmiis.
Tantum impotentes formidant, quantum nocent.
Tantum onere patribus sentiuntur liberi.

Tantun-

Tantundem in heros ac servos fortunæ licet.
Templis sacra arma etiam abstrahit necessitas.
Temeritas est damnare quem quod nesciat.
Tempestuosa semper interlunia.
Telum ultimum est, sed maximum necessitas.
Tempus locusque hominum mutat ferociam.
Tentata ubi est patientia, ibi contemnitur.
Tenere sub freno voluptates, viri est.
Tenerum quod est, omne adplicatur proximis.
Teneto medium perdere si non vis modum.
Tentes per artem quæ natura denegat.
Ter maximum in bello numen silentii est.
Terræ ingenio non vincas naturâ insita.
Terret minus malum omne quod prævideris.
Terrentur alii pœnæ magnitudine.
Terribilis esse nemo securè potest.
Terret potentum latius vis quàm nocet.
Terror hominibus mentem consiliumque eripit.
Terrore plures quàm virtute sunt boni.
Terrore recenti utare: quidvis conficit.
Testis profectò est omnium rerum Deus.
Tete adplices potentibus, non implices.
Thesaurus est, beneficium datum proba.
Tigres feritatem submittunt, non exuunt.
Time senectam, non enim sola advenit.
Timere leges, maxima est securitas.
Timidus sibi optat mortem, conscit fortior.
Timidissimis etiam audax est oratio.
Timore mortis summa stultitia est mori.
Tinea regiminis, muneris est oblatio.
Tolerabile quidvis, præter turpitudinem est.
Tolerabilius non acquirere quàm amittere.

Tollas

Tollas videri, pompas tollis publicas.
Tolli bonum necesse sublato malo.
Tollit rei pudorem agmen peccantium.
Tormenta multos vincunt ut falsa annuant.
Tormenta quos non vincant, vincit hos pudor.
Torquet ferè magno ducta uxor ambitu.
Tot sunt tyranni, quot habent satellites.
Totas levis pernicies urbes non movet.
Totius instar vitæ sapienti est dies.
Totus sapienti mundus est possessio.
Trabs cæsa post solstitium æstivum non putret.
Tractanda res sine quæstu frumentaria.
Tractantur inter aras lenocinia.
Trahit malos fortuna, præcedit bonos.
Tranquillitas animi unâ à conscientiâ est.
Tranquillitati animus plus confert, quàm locus.
Transfert citò sua fors fortuna munera.
Transire flumen qui cupit sese exuit.
Tristitia semper adsita iracundiæ est.
Tristitiæ immodicus, immodicus est & gaudii.
Tumidas Erinnys semper comitata est domos.
Tunc fama vera est, cùm esse veram nolumus.
Tunc statur, ubi non est incremento locus.
Turbare pergunt usque queis res turbida est.
Turpe est bono si ventri serviat ac gulæ.
Turpi otio periclum honestum præferas.
Turpis fuga est, relictis quæ fit sauciis.
Turpissima est res ebrietas in Principe.
Turpissimè quis summo in clivo deficit.
Turpitudini est patronus crimen cælans conjugis.
Tuta est parum majestas absque viribus.
Tutum otium pares tibi laboribus.

Tuta

Tuta est etiam sua similitudo inter feras.
Tuta inter est sepositum id quod jam præterit.
Tutum facit consilium festinatio.
Tutum potest scelus esse, securum haud potest.
Tuo ex ingenio mores alienos probas.
Tuum est etiam, quod lege sub certâ tuum est.
Tua omnia uni nunquam navi credito.

V

Vadatum amore meretrix, vinctum attinet.
Vagina gladium nec bonum aut malum facit.
Valet ad oculos circumscribendos magica.
Variâ ferè famâ instituta sunt novâ.
Ubi amicitia est, ibi nil est expugnabile.
Ubi arma fulgent, justitiæ est ibi fuga.
Ubi deficit merces, ibi & ars deficit.
Ubi desit hostis, desit & victoria.
Ubi dux fugit, jure etiam ibi miles fugit.
Ubi est amicitia est ibidem æqualitas.
Ubi est egestas, ibi est simul moderatio.
Ubi est inopia, ibi est libertas maxima.
Ubi est tyrannus nil tutum innocentiæ.
Ubi imperant plures, ibi nemo imperat.
Ubi est Deus, gravitas, ibi est, ibi est pudor.
Ubi imperator, Fortuna etiam illic agit.
Ubi nil proprii est, ibi nulli etiam est frugalitas.
Ubi noveris quid homo sit, vives dulcius.
Ubi publicanus jus ibi vanum publicum est.
Ubi sunt opes, ibi est & immodestia.
Ubi tutus est Rex ibi securi & subditi.

Vbique iidem sunt immortales Dei.
Vbique honesti cura quàm utilis minor.
Vbi vitia non sunt, ecquis virtuti est locus?
Vbi utilitas, ibi pietas, ibi Deus.
Vbi regnat ebrietas, ibi exulat ratio.
Vbicunque homo est, ibi & beneficio est locus.
Vbique citò Sanium vas confringi solet.
Vbique profectò molesta intempestivitas.
Vbique turba est argumentum pessimi.
Vel jure propulses arma armis gentium.
Vel maximi totum aretis laqueo illuseris.
Vel consanguineus fiet ob lucrum improbus.
Vel pessima ars hominem unicum nutriverit.
Vel testis unus sæpius facit fidem.
Vel verba caussæ, tria bonæ suffecerint.
Vel usque fallit, vel nocet mendacium.
Velle unicum adsit; consequeris omnia.
Velle atque nolle idem res est dulcissima.
Velocitate nemo par lepusculo est.
Venæ justitiæ, pietas sunt & Æquitas.
Venale caussidicis etiam silentium est.
Venatio contingit etiam inertibus.
Veneratio debetur præceptoribus.
Venena non dantur, nisi melle sublita.
Venere multi ad fatum, fata dum timent.
Veniam meretur qui delinquit non volens.
Veniam meretur, qui pœnæ ultrò se objicit.
Venter suus summum est Numen Cyclopibus.
Ventura quæ sunt omnia, in incerto jacent.
Venus perosa dura amantum pectora est.
Vera innocentia ne quidem inimico nocet.
Verbum irritum omne, nisi & res ipsa accesserit.

Vetò

Vera esse optamus inimicorum crimina.
Verè domus oculus domini præsentia est.
Verè imperat, sibi uni quicunque imperat.
Verbo atque numero vita hominum planè indiget.
Verbis iniquè accuses, ipse quæ facis.
Verissimum quodque, idem est & antiquissimum.
Verissimus animi vultus est oratio.
Verus nobis Deus est dominus, verus pater.
Verum æstimare hominem si vis, nudum inspice.
Vestigia amici sunt absentis literæ.
Vestes leves, solo facias pretio graves.
Vetus sepulta est gratia, vix præsens juvat.
Viaticum magnum onerat vitam, haud instruit.
Vicem Deorum in terris Princeps fungitur.
Vicina semper opibus est superbia.
Victi est triumphus, si unà victor interit.
Victum bello vincas & benevolentiâ.
Victoribus plerunque adest auctoritas.
Vidi petere milvium, etiam cùm nil auferret tamen.
Vigilandum est semper: multæ insidiæ sunt bonis.
Vile illi honestum est, cui corpus carum est nimis.
Vile imperium est & noxium absque gratiâ.
Vim frebrium inquietudo auget non discutit.
Vim veritati sæpe infert opinio.
Vincendi initium præstat confidentia.
Vinci nequit quod in certamen non venit.
Vinci parentem à filio optatissimum est.
Vindicta lege nulli contumeliæ est.
Vindicta res est homini jucundissima.
Vinum æmulatur mores sese utentium.
Vinum bibentis replet os facundiâ.
Vino medicina somnus præsentissima est.

Vinum

Vinum quibusvis hominum proficit malis.
Violant homines ea quæ præstare nesciunt.
Violantibus Dii sunt infesti fœdera.
Violantibus fidem irascuntur Numina.
Violentiam imatam auget vinolentia.
Vir feminis obnoxius, vix femina est.
Vir nascitur suæ solummodo conjugi.
Vir ubi imperat, mulier paret, recta est domus.
Vires hominum nullæ sunt adversus Deos.
Viri optimi consilium item crede optimum.
Vires supra sua Athenis est audacia.
Viro erudito cogitare, vivere est.
Viro seni puella uxor non convenit.
Vires & iræ & luctui subtrahit dies.
Vires tuas externo robore augeas.
Virum bonum absque opere esse ullo minimè decet.
Virum Deus pium ex omni malo eruit.
Virtus ad immortalitatem provehit.
Virtus amatorem haud admittit sordidum.
Virtus animo nisi instituto haud accidit.
Virtus etiam infelix hosti in reverentiâ est.
Virtus facit bonum quem, non facit gradus.
Virtus in exercendo sese usu valet.
Virtus nihil est, sublatâ hominum concordiâ.
Virtus proferri ultra, nec referri potest.
Virtus semel recepta exire non potest.
Virtus sibi multum lacessita adjicit.
Virtus sibi sufficit ad beatitudinem.
Virtus sine ullo marcet adversario.
Virtutis ac fortunæ rara copula est.
Virtutis haud pusillum initium veritas.
Virtutis ira calcar est, sed improbum.

Virtutis usque fida & constans gloria est.
Virtuti etiam suus est in lectulo locus.
Virtute nil præstantius, nil pulcrius.
Virtute parta servat bellè humanitas.
Virtute qui caret una, & omnibus caret.
Virtute vel solâ fieri felix queas.
Virtute verâ Roma vincit non dolo.
Virtutibus vita ipsa fit contractior.
Vis esse nunquam tristis? vitam agas bonam.
Vis imperii est in consensu parentium.
Vis nulla lædit imperii formam boni.
Vis relligionem augere? relligionem premas.
Vita absque sorte adversâ, mortuum est mare.
Vita homini qualis, talis & jam oratio est.
Vita inquieta est omnis ob Meum & Tuum.
Vita occupatorum, omnium brevissima est.
Vitæ carere usu quàm fructu suavius.
Vitæ genus dulcissimum agricultio.
Vitæ malo reperta humanæ sunt opes.
Vitam alteri quicunque debet, perdidit.
Vitam brevem haud accepimus, sed fecimus.
Vitam ferè nobiscum somnus dividit.
Vitâ parantur vita in queis consumitur.
Vitâ potius fortis loco quàm cesserit.
Vitia animi culpes; naturæ excusaveris.
Vitia otii mox discutit negotium.
Vitium aut ferendum aut est tollendum conjugit.
Vitiosius nihil ipsâ est Impudentiâ.
Vitium quieti levitas inimicissimum.
Vitium specie virtutis sæpius subit.
Vivendum homini est, non ut libet, sed ut licet.

Vix alia quàm in rebus novis ſpes prodigo eſt.
Vix continetur honeſtis artibus pudor.
Vix conſilio valet manus cui ſtrenua eſt.
Vix eſt bene ut moriatur, qui vixit male.
Vix eſt ſuperbus ut diu Rex imperet.
Vix eſt bonum ut ſit illud quod permittitur.
Vix eſt uti fiant ad exemplum omnia.
Vix invenire eſt fidos regum cladibus.
Vix magna cuiquam & duratura ſunt bona.
Vix quisquam aperto poſſit vivere oſtio.
Vix ullæ nobis vitæ pars quam vivimus.
Vix ulla nunc cuiquam eſt, fides niſi cùm expedit.
Vix ulla ſummis in rebus concordia eſt.
Vix ulli ingenium commutatur cum loco.
Vix unus artes plures rectè exerceat.
Vixiſſe miſero ſatius eſt quam vivere.
Ulciſci inimicum vis? de ipſo bene dicito.
Unicum tyrannidis tutamen diffidentia eſt.
Unus beatum facere quisque ſe poteſt.
Unus dies par eſt diebus omnibus.
Unus mihi pro populo, & populus pro uno mihi eſt.
Unus Timon ſibi amicus, hoſtis ceteris.
Unius avaritia eſt honeſta temporis.
Unius infirmum hominis teſtimonium eſt.
Uni bono mala annexa ſunt à Diis duo.
Uni bono placuiſſe, non eſt claritas.
Uni ſenectæ minimè intercedi poteſt.
Una eademque nec ſemper nec diu obvia eſt occaſio.
Unum efficit è mille hominibus caritas.
Unum diem hoſpes gratus es: ergo abi altero.
Uno flagello multos incitaveris

Una improbis ærumna, probis accidit duplex.
Unâ creari nocte vix fortis potest.
Una editæ sunt horâ vita ac lacrimæ.
Vox innocentis cum capite haud præciditur.
Urbanitas in ore hominum temeraria est.
Urbana vestis animæ, forma fœminæ est.
Urbes flagitia citius grandes pertegunt.
Urbem diu coronâ si oppugnas, capis.
Urbeis tuentur arma, sed leges regunt.
Ubs capta, promptius retinet obsequium integra.
Urbs, itinera cui sunt arcta, obnoxia est incendiis.
Urbis salus ab ipsis pendet legibus.
Urbis venenum est ordinum discordia.
Urbem obsidere miles per brumam nequit.
Urbium turres; virorum sunt corona liberi.
Usu levantur armorum onera militi.
Usu libido crescit, usu deficit.
Usum sapientia rerum novit omnium.
Ut commodatus vir sapiens vivit sibi.
Ut feceris sementem, sic item metes.
Ut flos, ita amicus, gratus est quam diu est recens.
Ut nec chori finis, ita nec est exordium.
Ut prodiere docti, boni desinunt.
Ut qui deliquit, supplex est ultrò omnibus!
Ut quid bonum sit aut malum, sensus facit.
Ut vera laus ornat, sic non vera arguit.
Ut sunt humana; nil est perpetuum datum.
Ut supplicium non sit nasci, mors efficit.
Utamur irâ, non duce, ast ut milite.
Utaris hostium errore ad victoriam.
Utrum neces ferro, an verbo, nil interest.
Vulpes pilum mutare potest, animum haud potest.

Vul-

Vulgus maris instar, aut quietum aut turbidum est.
Vulnus renovatum pejus post curam dolet.
Vulneribus adversis pulcrè in pugnâ cadas.
Uxor bona, optima: uxor mala, est res pessima.
Uxor contenta est, quæ bona est, uno viro.
Uxor generosa longè præstat diviti.
Uxor virum, patrem sequuntur liberi.
Uxorem amat curatque vir cui cor sapit.

TROCHAICI
VEL
QUASI.

TROCHAICI, VEL QUASI.

A

A Certamine se abstinere facilius est, quàm abdu-
A felicitate non vinci magna est felicitas. (cere.
A negotio secretum minimè durat otium.
A potentiore vis juvari? inferiorem juva.
A quo multa bona accepisti, ejus quoque fer injurias.
A quo quisque fert molestè sperni, gaudet suspici.
A recenti tempestate littus omne est spissius.
Abdicat se humanitate religionem qui abdicat.
Abdicati hereditatem haud obtinent patris sui.
Absque comploratione nulla est, aut fiat domus.
Absque muris urbes multæ sunt, nulla absque legibus.
Absque consensu parentum uxorem ut ducant liberi?
Absque vate manca virtus claudaq; orbis gloria est.
Accipiuntur fermè verba ut sunt animi audientium.
Acta si Ducum rescindis, segnes sunt in posterum.
Ad culpam levandã, ingenia humana facundissima.
Ad canum latratum immanis lenta respicit fera.
Ad casum nequit referri, sæpius quod accidit.
Ad faciendũ quàm dicendũ solus Parthus promptior.
Ad ferrum multi fuere meliores malè sobrii.
Ad florentem amicitiam ab concussâ quivis devolat.
Ad fortunæ omnem projecti contumeliam sumus.
Ad legem bonum esse, valde angusta est innocentia.

Ad minorum injurias nimis efferuntur divites.
Ad pejora calle valde declivi descenditur.
Ad populi favorem rectà nunquã ullus latus viâ est.
Ad postremum, nil apparet: malè partũ malè disperit.
Ad quæ justa sunt dicendũ, quodvis tempus convenit.
Ad supervacua, heu, sudatur: ad manum est, quod est satis.
Ad tactus suspicionem, condolescunt ulcera.
Adpetit modestiæ famam expleta jam superbia.
Adsiduitate injuriarum discitur patientia.
Adversari sine dedecore & scelere summo haud est patri.
Advocati non est, hinc stare, illinc causſam dicere.
Æquè è castris urbem, ut castra è quavis urbe feceris:
Æquitas simulata nil est quàm duplex iniquitas.
Æstimari toties nos putamus, quoties adspici.
Affectus hominum felicium, est ambitio gloriæ.
Affectus quidem ministri tam mali sunt, quàm duces.
Affici satius malo unico unum, quàm omnes publico.
Afficiunt Regem mage ærumnæ aliorum quàm propriæ.
Alligat summos & imos mortis trux necessitas.
Alius de alio judicat dies; supremus de omnibus.
Alius esse non potest ingenio, alius animo color.
Aliud est favere consilio, aliud est manus dare.
Alteri vivas oportet, si tibi vis vivere.
Altero nemo est nobilior nisi cui ingenium rectius.
Altius multi tolluntur, ut cadant funestius.
Ambitio nisi per indigna ad honores ducit neminem.
Amplius terret formido injuriæ quàm injuria.
An mors veniat ad nos, an adeam nos ecquid interest?
Animus cernit, animus audit, reliqua surda & caca sunt.

Animus

Animus æquus ærumnarum condimentũ est optimum.
Ante mortem consummare vitam, res pulcerrima est.
Ante causſas indigentum quàm personas inspice.
Apage hujusmodi salutem, cum cruciatu quæ venit.
Aptiora oneri jumenta sunt equi quàm nobiles.
Arbores præcisæ ramis plurimis repullulant.
Arduam optat generi humano rẽ, optat qui innocentiã.
Arduum valdè est placere in rebus magnis omnibus.
Ars dignationis expers, primùm ægrescit, dein perit.
Ars citius defuerit civem regere quàm hostẽ vincere.
Artes laus alit; corrumpit artes sed laudatio.
Artibus malis opes facilè assequi est, non & bonis.
Artifices minimè admirantur qui artes non intelligunt.
Artifices amare nescit, quisquis exors artium est.
Artificum supellex optimorum simplicissima est.
Assiduis convitiis & depudere discimus.
Attulit causſas timendi multis, posse timeri.
Auditori credulo haud delator defit improbus.
Audientiæ parit fastidium prolixitas.
Aufiretur id præmium à me, quod promisi per jocum.
Auribus peraudienda sunt, ne dentes dentiant.
Aurum auro expẽdetur, argentũ argento exæquabitur.
Aut fame aut siti otiosè quamvis urbem proruas.
Aut manu, aut naturâ, aut utroque, urbem quamvis munias.
Aut nõ est labor in amore, in amore amatur aut labor.
Aut ridenda sunt humana, aut certè sunt flenda omnia.
Aut silere oportet, aut meliora adferre silentio.
Aut timore natura aut pudore perfudit malum.

B

Bacchides non Bacchides sed Bacchæ sunt acerrimæ.
Barbarè alios insectari, audientium contumelia est.

Bar-

Barbaris servire præstat, quàm perire in patriâ.
Barbarum hospitem mihi in ædeis nil moror: sat litium est.
Bellum honestius geras contra Regem quàm perfugas.
Bellum sanguinis circa cor index est certissimus.
Belli summa de momentis fermè minimis pendula est.
Benè equidē tibi dico, qui te digna ut eveniant, precor.
Benè promittis multa: ex multis omnia incassum cadunt.
Benè, quæso, inter vos dicatis & mihi absenti tamen.
Benefacta benefactis aliis pertegito ne perpluant.
Benefacti statim memoria; malefacti nunquam interit.
Beneficis oratione, ad rem auxilium est emortuum.

C

CÆlites violat superstitio, relligio percolit.
Calcei novi ostentantur: sub lecto veteres jacent.
Captivos redimere ab hoste magnamini verè est opus.
Captus est à Pœnis, non à Pœnis victus Regulus.
Carceris diaria vitam prorogant, non nutriunt.
Caritate Regi summus, & antecellit præmiis.
Carius res nulla constat, comparata quàm prece.
Carnis nobilitate mentis ignobilitas gignitur.
Carius nil generi humano societate liberum.
Casus, Ægror ac Senectus, tres sunt mortis nuntii.
Casibus subjecta incertis esse virtus non potest.
Castigare amicum, amici perfectissimi nota est.
Castigare etiam videtur, quisquis vitâ dissidet.
Castitatem mens tuetur atque conscientia.
Casus hoc minus experiundus, quò vicisti sæpius.
Casus quod dedit, fugit majore cursu quàm venit.

Castra

Castra justa portus ad casum omnem sunt exercitus.
Caveris te superari servum siris faciendo bene.
Causa quæ bona est requirit judicem, non arbitrum.
Causa quæ mala est requirit arbitrum, non judicem.
Causa majorem pavorem semper inducit latens.
Causa victi injusta semper, semper victoris bona est.
Cedo, si hac urbe abis, amorem te hinc relicturū putas?
Certior nulla est voluptas, quàm quæ jam eripi nequit.
Certior nemo est sui vel in propinquum crastinum.
Certaminibus erumpunt curæ privatæ in publicis.
Certa si decreta sors est, quid cavere proderit?
Certius nil morte; at horâ mortis nil incertius.
Civico nil bello; nisi qui inferre potuit, fœdius.
Civibus profectò invisa regiæ superbiæ.
Civitas sapientum à doctis fingitur non noscitur.
Circa hostem patriæ esse districtum pietatis est genus.
Circuitus sunt pauci annorum, quod senectus dicitur.
Civium omnium salutem Rex libens redimit sua.
Civium tutela Regi traditur, non servitus.
Civibus, Rex, talis esto, tibi quales velis Deos.
Clarior quo dignitas est, hoc fama est illustrior.
Claritas parva à naturâ est destituta industriâ.
Clarior quo fulsit ignis, citius hoc exstinguitur.
Claudicare discis uni si vel claudo adsueveris.
Clavus clavo, amor vetus novello amore pellitur.
Coditem suum citare pro teste, arrogantiæ est.
Cogitandum ceu futurum quidquid cui fieri potest.
Colere & facere omnes sapientes æquum est officiū suum.
Colloquia simulata plures perdunt quàm pugnæ duces.
Commodat natura non dat & mancipio liberos.
Commoditatis articulos scire omnes non est omnium.
Commodè malis posse uti maxima est prudentia.

Com-

Corpus adscriptum dominis servile; juris mens sui est.
Commodum est, quod usus plus habet, quàm habet molestiæ.
Commoveri alieni injuriâ, honestius quàm propriâ.
Computat Deus pro facto, quidquid vis & non potes.
Conditiones pacis dicit is qui dat, non qui petit.
Conditionem ab hoste armato accipere Roma non solet.
Confidentius nil illo, qui ipsa quæ vides negat.
Conjuges, natos, parentes, quis non vitæ præferat?
Conscientiæ haud attendit, consulit qui adspectui.
Conscios timent mali, boni unam conscientiam.
Consiliũ acre minus tutandæ, quàm cautũ potentiæ est.
Consilium haud facile expeditur in malis ingentibus.
Consilii expers gratiæque hodiè omnis est potentia.
Consilia ex rumore nata & insequitur pœnitentia.
Consilia omnia firmiora sunt de divinis locis.
Constitutæ leges sunt in facta; futura haud puniunt.
Consuetudinem hostium novisse, pars victoriæ est.
Consuetudinem peccandi turba auget peccantium.
Consultum bene, inconsultum est, si inimicis sit usui.
Consummatio virtutum continentia omnium est.
Contemnenda fama nulli sæva multitudinis.
Contra fortuita adspectu Rex cives refovet suos.
Contra heros mutire servis saltem in angulis licet.
Contra obsequia sortis haud satis cauta est mortalitas.
Contra vim magnã hostiũ arte pugnes magè quã viribus.
Contradictione crebrâ auctoritatem destruas.
Contumax feroxque adversus omne remedium est dolor.
Contumeliæ acerbiores Regibus quàm injuriæ.
Contumeliam si dices, contumeliam audies.
Contumeliosa regno cuncta sunt, quæ libera.
Copiosior redit spreta ipsa in tempore gloria.

Corpus

Corpus vitam temporalẽ, sempiternam anima expetit.
Corporis longè minora sunt quàm mentis vulnera.
Corporis figura tacita, qualis homo sit indicat.
Corporis nil firmitas prodest in pestilentiam.
Corporis mentisque imago sunt parentum liberi.
Corpori fas indulgere, ei servire sed nefas.
Corporique animoque confert regio venatio.
Corpore adverso cicatrix militi forti est decus.
Corpore pinguesit splen vivo; mortuo illo, intercidit.
Corpora pluribus majora morbis, brevia quam patent.
Corrigit animadversionum mores urbis parcitas.
Crebra vindicta odium reprimit paucorũ omniũ excitat.
Crede spectari populo quidquid facis te conscio.
Creditori convitiari, debitoris pessimi est.
Creditur facilimè nisi quis respondeat mendaciis.
Credulitate tutior quacunque diffidentia est.
Crimen absq; Principis mandato & ipsum vincere est.
Crimen æternum Alexandro mors erit Callistenes.
Criminis medicina princeps, ipsa pœnitentia est.
Criminis nemo exors, exors nemo est infortunii.
Criminis plerumquè caussa delegatur mortuis.
Cruditate dissilimus: jejuno est mors lenior.
Cujus effectus saluti, dura haud est curatio.
Cui homini Dii propitii sunt, aliquid objiciunt lucri.
Cui modus facit virtutẽ, honestæ animæ solum occupat.
Cui non es amicus ipse, amicus ille nec tibi est.
Cui non est opus felicitate, is felicissimus.
Cui pax officit, violandæ pacis caussas mille habet.
Cui peregrinatio dulcis est patriam non diligit.
Cui quod est satis contingit, optat amplius nihil.
Cui securitas desit, desit simul jucunditas.
Cum Deo fundata durat longius felicitas.

Cum

Cum necessitate ne quidem Dei pugnaverint.
Cum noto hoste & sæpe victo congrediendum est acrius.
Cum decimatur miles etiam fortiuntur strenui.
Cùm dominos decimat tyrannus, decima vix dominis manet.
Cùm nihil refert, pudet quem; cùm refert, nihil pudet.
Cùm rogas ut quod facit quis faciat, currentẽ mones.
Cum venena non procedunt, vis tyranna ferro agit.
Cum scientiâ conjuncta virtus, est sapientia.
Cuncta agas dicasque semper, ac si sis vitæ exitu.
Cuncta animus ferat generosius præter contumeliam.
Cuncta atrocia, aut pudenda Romuli in urbem confluunt.
Cuncta, etiam invidia, infra Regum magnitudinem jacent.
Cuncta pessum eunt eodem ubi sunt loco mali ac boni.
Cuncta consiliis trahunt, non & sequuntur Principes.
Cuncta facta, cuncta dicta Regum, rumor excipit.
Cuncta mutant nomen; sola virtus semper est bona.
Cuncta quis potest sprevisse, habere cuncta non potest.
Cuncta Regis scelera assentator pro egregiis accipit.
Cuncta Regi adsunt, modò adsit veritatem qui efferat.
Cuncta homini si sunt incerta quid timere convenit?
Cuncta rebus dant secundis Dii mentem præter bonã.
Cuncta sunt loca honesta res defenditur queis publica.
Cuncta risus, cuncta pulvis sunt, & cuncta sunt nihil.
Cuncta risu prosequenda, quæ orbi educunt lacrimas.
Cupiditati nil satis est, naturæ etiam satis est parum.
Cur tu aquam gravare, amabo, quàm hostis hosti commodat?
Custos urbis optima est Patrum in plebem indulgentia.

D

DA Deus virtutem opesque, da virtutem eja, atque opes.
Damna non sentire, non est hominis; non ferre, haud viri est.
Damna famæ, damnaq; fidei æstimari non queunt.
Damnosa est apud nos, fœda apud exteros ne-gratia est.
Damnari reus nocens nequit nisi caussâ cognitâ.
Dant ad liberè loquendum animum miseriæ ultimæ.
De facie exteriore conspiceris ingenium intimum.
De improbis viris auferri præmium & prædam decet.
De mendico malè merotur, ei qui dat quod edat aut bibat.
De voluptate ardua est, sed est ingens victoria.
Debet esse supra me cui me paro committere.
Debet esse validius quod lædit eo quod læditur.
Debet invitus, nimis citò capit qui sôlvere.
Decipi persæpe nobis satius quàm diffidere.
Decrepitus senex amator, signum pictũ in pariete est.
Dedecus nullum labos est, dedecus est ignavia.
Dedecus viro est postremum obtemperare feminæ.
Deditus virtuti, etiam in Phalaridis est felix bove.
Degeneri trepidatione comminuitur indoles.
Difficulter persuadetur nemo ut cænet lautius.
Delinquentium peccata vires sunt tyrannidis.
Deluctarier cum Antæo, quàm cùm Amore mavelim.
Deprimit tollitve comparatio magnitudinem.
Deridere quàm deflere vitam utique est humanius.
Descendunt præcepta, teneris quæ imprimuntur, altius.
Desiit omnia possidere homo, esse dum vult propria.

Desperare ne curet medici improbi est, non optimi.
Destinamur omnes morti, quotquot ad vitam edimur.
Destruunt suas plerique sectas vitæ moribus.
Destruit rem, destruitque dignitatem inertia.
Detrahit fidem præceptis qui aliter, quàm docet, facit.
Dexterâ quæ dantur, haud capienda sunt lævâ manu.
Dii Deæque hominem adjuvant cui suppetunt res prosperæ.
Dii modis mirisque exemplis somnia in somnis dant.
Dicito vitam beatam fata cùm peracta sunt.
Difficilè mulier semel sit, quæ mulier fieri timet.
Difficile iis sapere est, impunè quævis facere queis licet.
Difficile imperium in malos est: facile est imperium in bonos.
Difficulter suspicatur alios improbos probus.
Dignitas indigna sit quam multi indigni possident.
Deus modestius exsecratur improbos.
Dignitate quos præstas etiam supera virtutibus.
Diligit patriam nemo quia magna, sed quia est sua.
Divide auri inter duces parum: trahet spes militem.
Diligentius vivit cui aliquid superest integri.
Displicent Deis ad imperiū hominē qui impium evehit.
Dives est, non pauper cui cum pauperie bene convenit.
Dives omnis aut iniquus, aut iniqui filius.
Dives haud unam tegit sub purpurâ tragœdiam.
Diviti si quid bene facias, levior pluma est gratia.
Divites patrimoniorum sunt suorum appendices.
Divitiæ minimè nocebunt, si auferas superbiam.
Divûm atque hominum sors spectatrix atq; hera eadem est hominibus.
Doctrinæ schola est cœlestis vita solitaria.
Doctos fieri te de aliis quàm alios de te ipso suavius.

Doctus in aulâ est similis revinctæ ad truncum Simiæ.
Dominandi cupido affectibus cunctis flagrantior.
Dum doles injuriâ unâ, te ipsum multis objicis.
Dux dierum noctiumque norit differentias.
Dux ducis naturâ adversi ante omnia oportet noverit.
Dux rapax fere prædam omnem militis occupat sui.
Dux vias locosque norit ad quæ pergit cum suis.

E

E Bonis duobus eligendum id quod præstantius.
E malis duobus eligendum id quod pusillius.
E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.
E persuasione falsâ quodvis nascitur malum.
Ebrietate fervor turpis exardet libidinis.
Ebriosus convictores in amorem vini trahit.
Ecquis tantus est quem non fors cogat egere etiâ infimis?
Ecquis æquum censeat pro se perire patriam?
Ecquis unquam ad arbitrũ quantũ petit, tantũ abstulit?
Efficax magistra stultorum hominum longior est dies.
Ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud desidero.
Ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.
Eja, Lyde, leniter qui sæviunt, sapiunt magis.
Eloquentiæ omnes inhiant, eâ præditis tamen invident.
Eripi sibi judicium ira, quamvis pravum, non sinit.
Errant qui in bello secundos omnes eventus putant.
Errat excusate quisquis errat publicâ via.
Esse debet in latore plus quam in onere virium.
Esse quæris gloriosus? gloriam omnem desfice.
Est dolor levis si ferre quis, si ferre nequis brevis.
Est dolor tanquam ignis, quò tegitur plus hoc magis calet.

Est Epimethei, non Promethei, consilii mutatio.
Est gravis minus nota, turba damnatorum quam levat.
Est honos homini pudico, meminisse officium suum.
Est immunis, cui nil est, quei munus fungatur suum.
Est in incerto, an tyrannus atrocior sit coram an procul.
Est is amicus, qui in re dubiâ re juvat, ubi re est opus.
Est levamen in malis, novisse quo pereas malo.
Est molestum possidere, habere nemo quod cupit.
Est pudica cui licuit peccare, verùm noluit.
Est quidem adspectu tyrannis læta, at intus tristior.
Est quidem jus ponere pernam frigidam postridie.
Est reus non qui accusatur, verum qui convincitur.
Est senectuti solenne rursum repuerascere.
Est sera certè in fundo parsimonia.
Est soror Fortuna Suadæ, nata at Providentiæ.
Est voluptas inhumana alienis lætari malis.
Est bellis hiems & obsidionibus est incommoda.
Est voluptas quod agas, si id procedit ex sententiâ.
Et bonam Regis naturam comites faciunt pessimam.
Et suo amor jubet obedientem esse servo liberum.
Et tenera est oculorum verecundia vel in perditis.
Etsi abest herum arbitratur adesse servus qui bonus.
Ex alieni cupiditate, cunctum oritur animi malum.
Ex amici infamiâ indecorè gloriam pares.
Exigere infelicitatis pœnas a se, amentia est.
Ex mediocritate vulgo haud multa sunt pericula.
Ex patre improbo creari filius probus potest.
Expedit tacere pro se quam contra ipsum se loqui.
Ex quo se orbi dedicavit Cæsar, eripuit sibi.
Ex sævâ animadversione nulli regi gloria est.

Ex

Ex suâ naturâ homines antiqui fingunt ceteros.
Ex suo arbitrio potentes rarò disponunt diem.
Ex suo nil delibare tempore est summi viri.
Ex torrente non casuro semper, hauriendum est citò.
Ex victoriâ triumphat qui nil victo detrahit.
Ex unâ occupatione sæpe plures exeunt.
Excusare quod nequeas verbis, excuses lacrimis.
Execrabilis brevisque potentia est tyrannica.
Exemplum bonum circuitu ad facientem revertitur.
Exilia uno alios tenent loco, alios sacerdotia.
Exercendæ iniquitatis & frenum indigentia est.
Exiguum qui dat libenter, maximo majus dedit.
Exorando, haud adversando sumendam operam censeo.
Experiendo Rex tentat quantum in cives liceat suos.
Exprimit personam alienam quisque oblitus mei sui.
Exprobrari haud indignandum quæ sceleratè fecimus.
Exsequiæ à promiscuo secernunt funere nobiles.
Exsules fidem gerunt cum fortunâ mutabilem.
Exteris legationum sancta jura; haud civibus.
Exspectatio futuri, temporum longissimum est.

F

FAc statim si quid bene facere vis, nec differ in diem.
Facile est inventu: datur ignis tametsi ab inimicis petas.
Fallendi iis abest voluntas, queis abest studium lucri.
Falsa laus precibusque expressa, non est laus; infamia est.
Fama magna plurimum consiliis in novis valet.
Fama mendax veritate ostensâ mox consumitur.

Fama nomen incerti est: ubi certum est, non habet locum.

Famæ rerum standum ubi vetustas fidem derogat.

Fama vix Principibus servit vivis, nedum mortuis.

Fas sentire cuique post consultationem quod velit.

Fama sæpe jam futura, tanquam facta publicat.

Fastidiri quam haud timeri acerbius superbiæ est.

Fata Diique tunc spectantur spes humana ut deficit.

Felix est votis quæ præstat obsequium necessitas.

Felix est, non qui videtur esse aliis, sed qui sibi est.

Femina dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur.

Feminæ magè morbis sunt obnoxiosæ quam viri.

Feminæ sit cura vestis, cura armorum sit viro.

Feminæ vesti quotannis nova inveniunt nomina.

Feminis plerisque è formâ peritur commendatio.

Feminis quædam est voluptas nil sani invicem obloqui.

Festuca est libido; accenditur cito, cito est cinis.

Fidelissimus est ad honesta ex pœnitentiâ transitus.

Filius nullius parenti odio est, nisi perditissimus.

Filio scelus est parenti proloqui mendacium.

Filiorum etiam è tenebris gloria effert posteros.

Filiorum haud cogitanda vota sunt, sed commoda.

Finis omnium cum Rege est, agere grandes gratias.

Firmamentum societatis maximum humanæ, fides.

Firmior fides est quam reponit pœnitentia.

Fit facilius scurra dives, quam quis familias pater.

Fit furor statim salutis propriæ desperatio.

Fiunt pluris empta carè, quam quæ ultrò nanciscimur.

Floribus miser non gaudet; at beatus non eget.

Forma delectat sed non retentat absque moribus.

Forma, morbo ut defloruit, sic senectâ exstinguitur.

Forma

Forma nil est quàm sepulcrum purpurâ fuco illitum.
Fors fortuna in imum summa vertit, & versa erigit.
Fortiter excipienda mundi quæ imperat necessitas.
Fortiter victus, lucratur extimum in malis decus.
Fortitudo nacta vires, transibit in audactam.
Fortitudo temperantiæ juncta à nullo vincitur.
Fortitudini usque occultè insidiatrix imbellia est.
Fortium è vulneribus gloriæ plus manat, quam sanguinis.
Fortius Deo dilectus, exercetur fortius.
Fortuna hominis cui non invidetur est miserrima.
Fortuna horæ unius centum annorum evertat glorias.
Fortunæ nulli minus benè credas, quàm prosperrimæ.
Fortunæ rebus secundis moderandum vel maximè.
Fortunam ducem libenter non sequi turpissimum.
Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam perhibent Philosophi.
Fructum iniquè aliquis legat sub arbore quàm non severit.
Fulgida est bonorum ultra aurum, ultra gemmas concordia.
Fulgidum Dei intueri nemo sustinet jubar.
Fulmina sunt justissima illa quæ etiam percussi colunt.

G

GArrulo, ob leviſſimam rem pœna graviſſima penditur.
Gentem ubi Deus punire vult, viros tollit bonos.
Gloriæ ambitio, virorum affectus est felicium.
Gloriam ut virtus parit, sic gloria æmulos parit.
Gloriosa mors & vitæ opprobrio præponderat.

Gloriatio importuna haud longè it ab insaniâ.
Grandium scelerum minister, tanquam exprobret, cernitur.
Grata sumis plura à labris quàm ipso corde profluunt.
Gratiam beneficio redde; talionem injuriæ.
Gratiam quando voluntas nuda Principis adserit?
Gratus est malus famæ, bonus sed conscientiæ.
Gratiam meretur ultrò non coactè res data.
Gratias agas: is finis cum dominante est omnium.
Gratias qui agit remotis arbitris, ingratus est.
Gratius venit facili, quàm plenâ quod venit manu.
Grato homini semper beneficium volup est, ingrato semel.
Gratulamur ægris, ægros ipsos se cùm sentiunt.

H

HÆc facetia est, amari inter se rivales duos.
Haud agri usus absque cultu, haud sali absque navibus.
Haud crebro gignuntur excedentia vulgarem modum.
Haud cujuslibet est, quæ in rem suam sint, ut possit loqui.
Haud decorè quærites infamiâ amici gloriam.
Haud decet Deos regesve memoria injuriæ in crastinũ.
Haud diu fruitur secundis, ipsis uti qui nequit.
Haud erit securus unquam, quisquis credit somniis.
Haud facit partus parentem, verùm ipsa educatio.
Haud fati necessitatem hominum consiliis ruperis.
Haud fraudi est locus quærẽdus, veritas ubi quæritur.
Haud unquam meminit, nisi cùm admonetur homo, sortis suæ.

Hab-

Haud magni fortuna momenti Imperatori est bono.
Haud minus populatione hostem teras quàm prælio.
Haud parte æquâ erit contentus qui omnia sperat consequi.
Heu quæ non dulcedo prædæ se dat in pericula!
Haud reverti est à mensâ Centaurica absque vulnere.
Haud summum bonum est voluptas: imò ne quidem est bonum.
Haud ulli gratum beneficium est, quod quibuslibet datur.
Haud ullum stultis beneficum est, quàm quod sub oculos venit.
Haud unquam magnis ingeniis cara in corpore est mora.
Haud verenda injuria à bonis est, nisi à dispari.
Haud voluptatis malæ durat diu oblectatio.
Hercule, miserum est, ingratum esse homini id quod facias bene.
Hercules orbem omnem vicit; vicit at nihil sibi.
Heredem fieri paterni odii, nil est iniquius.
Heu quàm acerbum est, pro benefactis cùm mali messem metis!
Heu quàm non diu steterunt urbium ulla sæcula!
Heu quàm pergrave est, non ipsam vultu mentem prodere!
Heu quàm immane est ante patris ora necare liberos.
Heu quàm stultè pellis ursi nondum capti venditur.
Heu quantum mali suis parentes optant liberis!
Hic illius cultor est, ille illius: nemo suus.
Historia in omne hominum benefica exstat genus.
Hoc mage veritas elucet quò ad manum sæpius venit.
Hoc malum quoque stultitiæ est, quod semper vivere incipit.

Homo bilinguis de livore nascitur ac pascitur.
Homo naturæ obaudiens, homini nocere non potest.
Homini amico ac familiari non est mentiri meum.
Hora quævis fert superbas ex alto in planum domos.
Hospitem nostrum putamus sæpe, qui hostis est merus.
Hospites sunt multi, amici nulli peregrinantibus.
Hospitumque supplicumque vindex ipse es Jupiter.
Hoste non victo, secure non potes frui tuis.
Hostibus Romani habere non solent suis fidem.
Hostibus sunt sanctiores cum armis qui veniunt in fidē.
Hostium in repente adventu fortuna haud parū potest.

I

IAm locum haud habere pœnæ, impunitatis est genus.
Id bonum cura quod fit senectā ipsa florentius.
Idem animus est in paupertate, qui olim in divitiis fuit.
Idem velle, atque idem nolle semper, id sapientia est.
Illectum magis mereticis sapiens quàm lectum timet.
Illicò suæ fortunam pœnitet indulgentiæ.
Illicò vixit amator, ubi ille lenoni placet.
Illum ego periisse duco, cui quidem periit pudor.
Imbecilla si modo tanguntur, se lædi putant.
Imbecillitas humana fulcitur concordia.
Immanis fera est quæ mordet plus quàm ipsa exigit fames.
Immemorem memorem facit, qui quod memor memi-nit monet.
Imperii libido maximum est malum mortalibus.
Immoderatum in lacrimas jus feminis penè est datum.
Immortalia ut cognoscat, homo mortalis est nimis.
Impares licet nascamur; attamen morimur pares.
Impera ventri, impera somno, impera iræ, ac luxui.
Imperat fortuna rebus omnibus mortalium.
Imperat Regis caput; pedes Regis non imperant.

Impera-

Imperatorum magè ficta quàm vera est clementia.
Imperii vires sunt in consensu obaudientium.
Imperium quo subditi gaudent longè firmissimum est.
Imperii severitate seditiosos contines.
Impiger sibi invenit, ut post si velit piger siet.
Impii est patrem, haud amare; insani non agnoscere.
Impii sunt qui se fieri scelere quærunt nobiles.
Improbas spes aulici non re fovent, sed vocibus.
Improbè iis præesse adfectas, queis prodesse non cupis.
Improbè nemo eo adscendit, unde jam descenderat.
Improbi famæ laborant, conscientiæ probi.
Improbi ipsi quod merentur sentiunt de quolibet.
Improbi viri alunt lenones, pauperant viri boni.
Improbi unius peccatum urbs tota sæpius luit.
Improbis probisq; eadem obvenire est improbissimum.
Improbis sufficere quisnam possit desiderio?
Improbus qui existit dictis, moribus minus est probus.
Improbi crescunt potentum criminationibus.
Improbis nil est honestum quod vacuum pecuniæ est.
Impudentiam nutrit turpiloqui licentia.
Impunitum nil Deus permittit esse nocentibus.
Improbos boni potissimum antecedunt spe bonâ.
Improbum est resistere unum multis, & juvenem seni.
Improbus beneficium sumere scit, sed nescit reddere.
Improbus malusve non est, cui peccat necessitas.
Impudicorum quoque cœtus fortem emolliat virum.
Impudens oculus impudici est cordis nuncius.
In bellum prorumpit inter orta epulas contentio.
In bello permulta apertis donant oculis Principes.
In bono hospite atq; amico, quæstus est, quod sumitur.
In certaminibus privatæ erumpunt curæ publicis.
In confusione captæ urbis sibi quisque consulit.

In cul-

In culpas facile itur, ubi est venalis ignoscentia.
In culturâ agri nihil vindemiâ jucundius.
In Dei curru vehuntur luctus atque gaudium.
In Deum peccant cutem quæ medicaminibus oblinunt.
In discordiâ civili tuta festinatio est.
In fluctu probes gubernatorem, in acie militem.
Infractis animis facile est etiam expugnare corpora.
In foro vix decimus quisque est, qui ipsus sese noverit.
In labiis malus probitatem fert, in pectore fert bonus.
In magistratu omnia audet cui collega est obsequens.
In magnis magnæ bonis fortunæ parata ultio est.
In malâ uxore, atque inimico, si quid sumas, sumptus est.
In malis spectare causam, non fortunam convenit.
In malum bonum mutatur, tempore haud datum suo.
In manu est tibi quod credas: quod dicam, in manu mihi est.
In mari profundo etiam post ventum volutatio est.
In necessitate nulli vivere est necessitas.
In nocturna sacra quævis competit suspicio.
In plebem atque ingenia vilia res deveniunt prosperæ.
In potestatem venit alienam, quod non in suâ est.
In quem multa quis congessit, hunc videt lubentius.
In re quaque conveniens servandus rationi modus.
In scholis est solitudo: sunt culinæ celebres.
In se recusare acerbum est, quod quis ab alio postulat.
In summo timor periclo spernit misericordiam.
In summum perducta non habent incrementi locum.
In suam rem hercle impudenter litem vertant judices.
In timore magno, pejus creditur quod præterit.
In tuto est, exire cujus haud ultrà queunt mala.
In ventum ferè aquamve nubes se resolvunt sordidæ.

In virus

In viros potius leones sæviunt quàm feminas.
Incenduntur vitia auctores dum eis inscribuntur Dei.
Inchoes bellum tuo, ast alieno tempore hostibus.
Incrementa ubi sunt consumpta, quid nisi finis adpetat?
Indicium exitii imminentis proximè est maturitas.
Infamia etiam tum vivit, cùm credas esse mortuam.
Infantis etiam sui maledictis arridet parens.
Infelicius nil illo cui nil adversi accidit.
Ingenia absoluta nil est quod queat corrumpere.
Ingenio bono me ornatam, quàm auro multo mavolo.
Ingenium latere summum sub cute qualibet potest.
Ingenium nullum magnum absque mixturâ dementiæ est.
Ingenia excitantur magnæ ad cultum fortunæ artibus.
Ingruens fastus virtutum exstinguit omnium faces.
Inimicitiæ ex livore non sunt exstinguibiles.
Inimicorum auget numerum tollendo Regum sævitas.
Initium omnium rerum spectat sapiens non exitum.
Injustè cùm læserit unus omnibus bellum inferat.
Injustissima est simultas, quæ hominem esse hominem non sinit.
Innocentiæ festina proximat correctio.
Innocens optat, moderatus spectat, cogitat pius.
Innocens, etsi accusatus, absolvi tamen potest.
Innocens quisque est ad testem, non ad conscientiam.
Innocentem pro nocente iniquum est pœnas pendere.
Inquirere in auctoritatem antiquitatis, est scelus.
Insanum est malum devorti in hospitium ad Cupidinem.
Insita ætatum artiumq; omnium nobis semina.
Insperata nacti, mox spes improbissimas fovent.

Insigne

Insigne immortalitatis lege pro patriâ mori est.
Insolentiæ parens, incuriâ nata impunitas.
Interdum medicus quiete plus quam curis proficit.
Interit absque doloris sensu quisquis ebrius interit.
Interest nil, hostis nostrone occubet ferro an suo.
Intertrimenti nihil est in auro quam pretium manu.
Inter copiam frugalis haud unquam premitur fame.
Inter solium, & genua aliena, vix momentum hora interest.
Interdum solutio beneficii, ipsa est confessio.
Intestina nulla crepant saturo, esurienti percrepant.
Invendibili merce oportet ultrò emptorem adducere.
Invenire dolori magno paria verba quet queam?
Invereçūdi animi ingeniū probra ingesta haud æstimat.
Invidia est inimica semper alienis successibus.
Invidiam patitur metumque quidquid orbe maximū.
Ipsa nominum mage officit quam rerum atrocitas.
Ira, cupiditas, libido, cuncta orbis creant mala.
Ira tunc summè est frenanda cùm patimur injuriam.
Irascens crimini iniquè publico; stulte tuo.
Is demum maledicit, verum ab ullo audire qui nequit.
Is poterit cavere rectè, jura qui & leges tenet.
Is qui peccat, liberum habere vult peccandi item locū.
Italus armis, disciplinis Græcus vinci non potest.
Itidem ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit.
Judices aliis maligni Reges sunt, æqui sibi.
Judicare de alienis facilius est, quam de suis.
Judicat sapientiam ut sapiens, artes artifex.
Judicii specie suam explent cupiditatem Principes.
Judicium ordo perpetuus nimiæ utique impotentiæ est.
Jupiter rem judicatam in terris, iterum judicat.

Jus

Ius quidem est apponi pernam frigidam postridie.
Iure belli victor victis imponit stipendium.
Iusiurandum iniquitatis esse vinculum nequit.
Iusiurandum rei servandæ, non perdundæ conditū est.
Iussa deorum est negligere, crimen est contemnere.
Ipsemet interimas, an mortis causſam præbeas, idem est.
Iracundus esse non vis? ne sis curiosior.
Iudicandum non personarum sed rerum pondere.
Iura naturæ impugnare, species parricidii est.
Iustè exigitur ad solvendum qui ad vovendum haud cogitur.

L

LAbitur sexus sui facile ratione femina.
Lac homini parnisque in lucem quisquis exit sufficit.
Lacte ali materno præstat infantem quàm extrario.
Lætus est angustè, lætus qui tantum est præsentibus.
Lancea aurea pugnato, & expugnàbis omnia.
Largitionibus favorem profusis populi occupes.
Laudandum in homine est quod nec dari potest, nec eripi.
Laudis est parum in coronâ, quæ ex labore haud provenit.
Laus est procreare natos generi monumentum & sibi.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.
Lege non licet frui æquâ pauperi cum divite.
Lecto eodem cœnavere Scipioque & Annibal.
Lenocinia formæ debita præstituto corpori.
Lenta clausos obsidio cogit deterrimam ad famem.
Liberalis est qui quod dat alteri, sibi detrahit.

Libe-

Liberalitas quandoque etiam additur clementiæ.
Liberat fortuna multos pœnâ; neminem metu.
Liberè admonere non est emendare, offendere est.
Liber est, non in quem sors parum, sed in quem nil potest.
Liberi pauci suis meliores sunt parentibus.
Liberi quoque pro paternis sceleribus pœnas luunt.
Liberi utriusque sexus, votivi parentibus.
Liberorum anni innocentes patribus gratissimi.
Liberos culmus tegit, sub auro vivit servitus.
Liberos homines per urbem modico par ire est gradu.
Liberos magè amant parentes, quàm parentes liberi.
Liberis quævis parentum perferendæ injuriæ.
Ligna cæsa silente lunâ, tuta sunt à vermibus.
Liminis tactum sui magno æstimat superbia.
Longior voluptatum memoria, quàm præsentia est.
Lubricum vita: parum in sicco quoq; stamus fortiter.
Luctator vinum dolosus est, primum captat pedes.
Luxuriæ nihil placere nisi omne id quod carum est potest.
Luxuriam accuses aliquantò facilius, quàm vincias.
Luxuriosè consumuntur quæ obvenere per scelus.
Lympha paulla marina flammas non sopit, sed excitat.

M

MAge sibi invisus tyrannus est, quàm servientibus.
Magna credimus, quæ non sunt, magnorum ignorãtiâ.
Magna civitas foris hoste si caret, domi invenit.
Magna pars apud imperitos, novitas ipsamet, mali est.
Magna qui petit, aut dolebit, aut tristabit alterum.

Magna

Magna si quis est professus, quei se parvis implicet?
Magnificentia pauca insumit in se, cuncta in publicum.
Magnitudo subsequens sua semper principia obruit.
Magni animi est injurias summâ pati in potentiâ.
Magni animi est, non dare & perdere; verùm perdere & dare. (scitur.
Magnum vix ullum facinus sine ingrato animo na-
Magnum solatium ambulare cùm bonâ conscientiâ.
Magnitudinem Dei qui nosse se putat, terit.
Major fœderis vetusti quam novi reverentia est.
Major usus est tellure, quàm mari est audaciæ.
Majore animo injuria non agnoscitur, quam ignoscitur. (non tenet.
Majoris animi est, qui risum quàm qui lacrimas
Majus aut minus res quæ fit, caussâ, tempore, & loco.
Majus imperio est imperium ipsis submittere legibus.
Malefactorem amitti satius, quam relinqui beneficii.
Malleum sapientiorem scilicet esse manubrio.
Malus ubi scelus alienum loquitur, cogitat & suum.
Malo gaudia temperare, dolores quàm compescere.
Mane quod occipis negotium, id totum procedit diem.
Mars minus laudi est apertus, quàm Mars clãcularius.
Mars minus nocens apertus est quàm clancularius.
Martii mare fine aperitur, initio Octobris clauditur.
Mavelim servire tibi, libertus esse quàm alteri.
Maxima caussa in regem amores civium, clemẽtia est.
Maxima fas subire bella, præmiis pro maximis.
Maximæ illecebræ Nox, mulier, merum adolescentulo.
Maximam partem sui veneni nequitia ebibit.
Maximè ad mulierũ ingeniũ est blanda vox viri efficax.
Maximè beneficia hærent, quæ miserias sublevant.

Maximè est æquum suas nutrire matres spurcis.
Maximè fruitur divitiis, qui minimè ipsis indiget.
Maximè id bonum nostrum est, alicui futurum quod bono est.
Maximè pigri, amant securum per opulentias otium.
Maximè reor æquum ferri bona bonis, malis mala.
Maximè sapit, secundis rebus qui statuit modum.
Maximè tunc gratiæ agẽdæ sunt Deo, cùm affligimur.
Maximo duci ne credas maximam provinciam.
Maximus semper timor colono adultis fructibus.
Maximo minimoque corpori, par vulneris dolor.
Maximum bonum haud peccare, bonum alterum, plecti citò.
Maximum bonorum, sana mens in sano corpore.
Maximum est malum inferiores si certant potentibus.
Maximum omnium est malorum amicum fidum perdere.
Maximum scelerum supplicium in ipsis sceleribus latet.
Maximum viaticũ ad bene rem gerendã, amor rei est.
Maximum vitæ præsidium est gratiæ relatio.
Maximum vitium mulieri est, cùm sibi nimis placet.
Maximum vivendi impedimentum est exspectatio.
Me bonum esse, quam beatam nimio dici mavolo.
Mel in ore, fel in corde gestitant meretriculæ.
Melior est rudis modestus, quam eruditus improbus.
Membra quæ sine poste hærere corporis haud pote, am-
Memoriæ loco nomenculatori est audacia. (*putes.*
Mens bona omnibus patet: omnes nobiles ad hoc sumui.
Mentis ignavo est vigore, corpus cui multùm viget.
Meretrix tantisper blãditur dũ illud quod rapiat videt.
Merces ejus qui potest jubere, vis precaria est.
Meum quod rete atque hami nacti sunt, meum potissimum est.

Mihi

Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimũ.
Miles est malus ductorem qui gemens sequitur sum.
Militi æqua ei neganda, rem qui iniquam postulat.
Militi cum curâ haberi præda non potest diu.
Militi fas in mercede summâ mercenario est.
Militi fiduciam labores addunt prosperi.
Militem fert terra imbellem fructus quæ fert plurimũ.
Militem nihil minus decet quam cultus mollior.
Militem quandoque solus continet à fugâ pudor.
Milites ex otio animi ac copiâ lasciviunt.
Militares glorientur quid nisi vulneribus viri?
Militarem vitiat dilectum ambitio atque præmium.
Militat quævis pro Rege legum interpretatio.
Militia est, non pœna humani corporis pati mala.
Militiæ probũ apud viros gravius quã mortis vulnera.
Militum decus magis triumphus est quam Principis.
Mille atque mille sunt viæ infortunii.
Minimè tutus Rex ibi est, à Rege ubi tutum nihil.
Mirum est lolio victitare te, tum vili tritico.
Misericordiæ genus quandoque summum est, tollere.
Mitius reus fere est plectendus, quàm leges jubent.
Mitiorum studia pravis corrumpuntur moribus.
Momento exiguo novantur rerum humanarũ status.
Molienti magna major utilis cunctatio est. (tur.
Morbus qui brevis præcepsq́, exstinguit, aut exstingui-
Moribus splendere quàm rebus longè est præstantius.
Moribus vivendum, antiquis; mores nil moror novos.
Mores Regis observantur civibus pro regulâ.
Moribus placet corruptis & corrupta oratio.
Mors extra malum omne est, imò extra malorum omnem metum.
Mors manu sua arcessita, mortium acerbissima.

Mors minimè est lugenda, quam consequitur immortalitas.

Mortui rarò veris deflentur reges lacrimis.

Mortuis jam consecratis immutantur nomina.

Mortuorum militum stipendia dantor liberis.

Mulier nequiquam exornata est bene, si morata est male.

Mulceri hilaritate modestâ quidni vir possit probus?

Mulis atque equis honorque amorque hominum præstantior.

Multa auctoritas bellanti pro facundiâ est Duci.

Multa colla quam sustentant facilè fertur sarcina.

Multa discere ac dediscere, haud res est facilis seni.

Multa facilia ex difficilimis magnitudo animi efficit.

Multa falsa agunt in ore famæ, otio credentium.

Multa falsa sunt, quæ suspiciosè quis tamen arguat.

Multa fiunt experiundo, quæ sunt segnibus ardua.

Multa legem non habent nec actionem crimina.

Multa perperam patrata jus excusat bellicum.

Multa naturâ impedita prudens consilium expedit.

Multa quis diu vivendo quæ haud videre vult videt.

Multa Regi non licent, nobis quæ maximè licent.

Multa sunt perdenda beneficia, ut semel ponas bene.

Multa terrori habita nocte, vertit ad risum dies.

Multarum veniam det rerum Princeps; nullius petat.

Multi inertiam simulant, dum temeritati sit locus.

Multi rectè faciunt, facere rectè se qui nesciunt.

Multi se stolidè frustrantur, cum alios frustrari æstimant.

Multi sunt potus amici, multi amici sunt cibi.

Multi vitam transiere dum instrumenta ejus petunt.

Multi

Multi vivere desierunt antè quàm inchoaverant.
Multitudo virtuti impar quà silo est, & quà solo.
Multò facilius fias dives quàm familias pater.
Multò minus malum sibi quærunt, urbani quàm rustici.
Multitudo grandior omnis disciplinæ est insolens.
Multis dum petitur libertas accumulata est servitus.
Munera hostium atrociora sunt quàm eorum vulnera.
Munus abjurat cœleste ineruditus nobilis.
Munus octo hominum parasitus facilè in mensâ fungitur.
Muneri suo insudantes adjutorem habent Iovem.
Mutat in melius homines satias, pudor, necessitas.
Mutuam ingenerat malum commune benevolentiã.
Mutuum ad silentium sceleris conscientia pignerat.
Mutuum sumas ab ipso te si quid desit tibi.

N

NAturale est quem times odisse, & perdere quem oderis.
Naturale nil magis gaudere fine quàm mali.
Naturalium sapiens quæsitor opum est acerrimus.
Natus est paucis, suæ qui populum ætatis cogitat.
Naufragus sine auro terram vix cadaveri invenit.
Naufragos miserare: semper anceps navigatio est.
Navigare si vis, de tempestate ante cogites.
Ne de amici moribus citò sinistrè sentias.
Ne dolus virtuti illudat, fortiorum cautio est.
Ne domum tuam dominio verùm judicio regas.
Ne quidem absistas benefacere hominibus ingratissimis.

Ne boni quidem est, amicis per jocum injustè loqui.
Ne quidem cessant à scelere inter voluptates mali.
Ne quidem cùm vera dicit fama expers mendacii est.
Ne quidem irâ captus liber est, nedum sit ut potens.
Ne quidem licet servis alienis facere injuriam.
Ne quidem mediocria aufert, vult qui ferre maxima.
Ne quidem miles profani imperium toleret principis.
Ne tibi rempublicam, sed te reipublicæ dica.
Ne quidem quis unum amicum amat, qui plus uno haud amat.
Ne quidem totum in diem certi aliquid est mortali-bus.
Ne quidem spernenda modestia summis est mortalium.
Nec bibunt sine ambitione delicati, nec edunt.
Ne tuam fortunam quâ deterior est unquam adspice.
Nec bonus vir, nec Deus ab homine improbo donum accipit.
Nec celant inimicum adversa, nec amicum prosperа.
Nec clementia abscissa, nec habenda item promiscuâ est.
Nec Deum beneficia tangunt, nec tangunt injuriæ.
Nec diuturna prosperitas, nec est ærumna pertinax.
Nec dolendum, nec gaudendum ulli vulgi est injuriis.
Nec dolendum ullius nec gaudendum vulgi honoribus.
Nec navi aura usque est secunda, nec fors usque lætior.
Nec parum face nec nimium: modus re in quaque est optimus.
Nec properandum est ante tempus, nec cessandum in tempore.
Nec secundæ, nec adversæ res ulli solæ accidunt.
Nec securè nec jucundè sub personâ vivitur.
Nec sibi negotium parit Deus, nec alteri.

Nec

Nec sicci sint oculi amisso amico, nec rursum fluant.
Nec soles duos solum, amoris nec duplicem ignem animus capit.
Nec stulto justitia, nec sapientia iniquo convenit.
Nec tutum est æquumve odium transmittere usque ad posteros.
Negligenda res privata est ob salutem publicam.
Negligit suos amicos exaltata dignitas.
Nemo cautius malus est quàm sub pietatis insulâ.
Nemo Regi amicus est nisi uti fallat blandissimè.
Nemo cui debet fidem periculo cum innocentiæ.
Nemo est qui frequenter jurat, quin aliquando pejeret.
Nemo feminam admiretur absque pulcritudine.
Nemo fortunam recusat ferre, cuncti quam ferunt.
Nemo laude dignus esse debet, quam cui cor sapit.
Nemo non disertus ipse est in suum convitium.
Nemo non ita è vitâ exit, tanquam intraverit modò.
Nemo non malus videri vult, malè ubi facit, bonus.
Nemo non minor illo est à quo se contemptum judicat.
Nemo non sibi esse malit quàm alteri rem prosperam.
Nemo nummos, unusquisque vitam multis dividit.
Nemo pauper est ad ea Natura quæ desiderat.
Nemo pauper honore dignus, nemo pauper est bonus.
Nemo plus placet Deo, quàm qui ipse displicet sibi.
Nemo quod fuit, in præterito ponit, verum in perdito.
Nemo rex sui est; servimus omnes aviditatibus.
Nemo sanus ad primam offensam exheredat filium.
Nemo semet emendare quærit; omnes, Cæteris.
Nemo tam est senex qui se haud putet posse annum vivere.
Nemo Solis, nemo Justitiæ frustratur numina.

Nemo tam senex est, unum speret improbè ut diem.
Nemo tam sit vilis regi, eum ut perire haud sentiat.
Nemo ullam queat, ipsâ quæ se venditat, tutarier.
Nemo unquam benè vitam rexit nisi qui jam contempserat.
Nemo unquam malè interemptus, est infamis, innocens.
Nemini benignitatem denegat Deus suam.
Nemini esse fama debet potior quàm res publica.
Nemini curæ est quam rectè victitet, sed quàm diu.
Nemini nequitia, cunctis fructus nequitiæ placet.
Nemini nocet bonus vir; contrà prodest omnibus.
Nemini queri fas de fortunâ salvo Cæsare.
Neminem à domo excitanda incendium deterruit.
Neminem decet verecundari, ubi apud mensam accubat.
Neminem offenderint bonæ res, quàm mentem malam.
Neminem jus fas damnare causâ utrinque incognitâ.
Neminem occupat fortuna, nisi hærentem antea sibi.
Nescis tu quàm meticulosa res sit ire ad judicem.
Nescit experiri quid queat quem stimulat caritas.
Nil ab eo potes sperare, boni esse quem doces malum.
Nil aliud justitia est, cultura quàm Dei unici.
Nil beatius tranquillitate conscientiæ.
Nil boni usquam quod uti possis absque omni malo.
Nil ego in occulto agere soleo: meus ut animus est, eloquor.
Nil facilius est factu, quàm facere amico injuriam.
Nil facilius transit in alterum quàm amor pecuniæ.
Nil facit ad Regum salutem; ad exitium multum Colax.
Nil magè in mari quàm terra navitis formidini est.

Nil

Nil miserum, quod in naturam versum consuetudine est.
Nil moror alienâ mihi operâ fieri plures liberos.
Nil mortalibus prudenti utilius diffidentiâ.
Nil nefas in illum est omne qui ante fas pessum dedit.
Nil non effieit natura, mirabilium omnium parens.
Nil peccare, & cuncta rectè facere, solius Dei est.
Nil refert nec-rectè ei dicere, id qui insitias non eat.
Nil rei mihi tam parvæ est, quin id pigeat perdere.
Nil tam acerbũ, est in quo non animo æquo sit solatium.
Nil tam est utile, quod non culpa transferat in contrarium.
Nimia omnia, hominibus ex se nimium exhibent negotium. (piget.
Nimio id quod pudet facilius fertur, quàm illud quod
Nimio præstat impendiosum te quàm ingratum dicier.
Nimio satius est ut opus est, te ita esse, quàm ut animo lubet.
Nimium difficile est reperiri amicũ; ita nomen ut cluet.
Nisi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?
Nobiles inertes umbrâ sub majorum delitent.
Nobis quod malum videtur, ipsi mundo non malũ est.
Nobilitas necem injustam haud fecit sed innocentia.
Nocte abundet pervigili lucerna oleo, calix mero.
Nolim amicus regis esse Persici, absque commodis.
Nomenclator iis imponit nomen, reddere cui nequit.
Nominum magis nociva sæpe quàm rei indignitas.
Non ad stuprum filiæ educuntur sed ad nuptias.
Non ætate verùm ingenio adipiscitur sapientia.
Non arietant inter sese nisi in eodem qui ambulant.
Non bonum est contingere omnia hominibus ipsi quæ vovent.

Non causſam inſpicit, verùm fortunam miſericordia.
Non datum quibusvis eſt cum modo habere gloriam.
Non dolendum eſt cùm patimur mala, ipſi ſed cùm agimus malè.
Non dolere poſt delicta, plus eſt quàm delinquere.
Non dolor nos vexat, ſed doloris ſtulta opinio.
Non domibus modò rara res amicus eſt ſed ſæculis.
Non eâ mens habentibus quæ erat deſiderantibus.
Non ecquid habeamus, verùm ecquid petamus cernimus.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
Non eſt in malis conſiliis ſpes quæ animum hominis erigat.
Non eſt in pauperie vitium, vitium in ipſo eſt paupere.
Non eſt tempore æſtimanda Relligio, ſed numine.
Non eſt uſui quisquam amator, niſi qui perpetuat data.
Non facile inter magna non deſipere viris mortalibus.
Non fallis tuam, ſi alienam decipis conſcientiam.
Non facit triumphus aut minorem aut majorem Ducem.
Non fugit ſemper qui vaſa epulasque in caſtris deſerit.
Non gradu uno ſemper eſt eundem, ſed unâ viâ.
Non habere divitias levior dolor eſt quàm perdere.
Non idem ſemper dicendum eſt, ſemper ſpectandum eſt idem.
Non ignavia: arma virique, imperia magna continent.
Non in ſomnis quæritur, ſed prælio victoria.
Nos in hoc amplectitur voluptas, ut & ſtrangulet.
Non Iovis ſub regno amator, ſed ſub Veneris vapulat.
Non judiciis inter ſe homines diſſident, verùm togis.

Non

Non mage ipsâ in morte quã post ipsam ineſt moleſtia.
Non me tu argento dediſti, opinor, nuptum, ſed viro.
Non meminere quid fuerint ſtatim quos ſors ſumma extulit.
Non minore aurum periclo ſervatur quàm quæritur.
Non minus Ducis eſt ſuperare conſilio, quam prælio.
Non minus flecti quàm vinci turpe Reges autumant.
Non minus mali eſt referre, quàm ipſam inferre injuriam.
Non mirum eſt pati malum illos qui malum patraverint.
Non miſer eſt qui patitur ſed quid contumeliam facit.
Non modò in oculis Dei homines vivimus, ſed & in ſinu.
Non modò Cræſus ſuperſtes regno, ſed morti fuit.
Non modò nil facit impudicũ, ſed nec nominat pudens.
Non mori vult qui mori optat; potius optat vivere.
Non naſci longè optimum eſt, ſecundum quàm primum mori.
Non nimis poteſt quis ſervare ſuæ pudorem filiæ.
Non niſi à malis tentatur in bonos injuria.
Non niſi aut fame, aut timore, ad pugnã coguntur feræ.
Non nos obligat coactus aliquid qui fecit boni.
Non opes magis relinquas natis quam ſcientiam.
Non optabile eſt pati tormenta, at fortiter pati.
Non pote ſervus quæ ipſa ſeſe venditat tutarier.
Non poteſt beneficium tangi manu; animo cernitur.
Non poteſt conſiſtere quæſtus, ſi ipſum ſumptus anteit.
Non peccare ubi liceat, triumphus innocentiæ eſt.
Non poteſt fieri quin id quod ſit, aliquando cœperit.
Non poteſt fieri ut miſer ſit, qui virtute eſt præditus.
Non quam diu juvat, ſed quam diu oportet, vivendum bono eſt.

Non

Non quàm pulcra, sed quàm rectâ regula exstet quæritur.

Non queunt nimis curare unquam parentem filiæ.

Non quo casu utare: quo animo quid facis, ad rem pertinet.

Non refert quo injuria facta sit, sed lata quo modo.

Non refert quàm magnus ignis ipse sit, sed quo incidat.

Non reum actoremve judex, sed legem adspicit bonus.

Non sat est bonos laudare, & æmulari eosdem decet.

Non scelus timor legum aufert, sed sceleris licentiam.

Non sentire se percussum, verè est magnitudinis.

Non sibi modò nocet factus pejor, sed pluribus.

Non simul cum ipsis bonis cadit bonorum gratia.

Non soles respicere te, cùm dicis injustè alteri.

Non sunt in ducis omnia, aliquid est & militum in manu.

Non statim sunt falsa quæ probare vera non potes.

Non sternunt viam ad virtutem studia liberalia.

Non tam amant nati parentes, quàm parentes liberos.

Non tam bellicâ in re prodest virtus, quàm velocitas.

Non tam facile te emendaris, alios quàm culpaveris.

Non tipulæ levius pondus, quàm fidei est lenoniæ.

Non virtus modo est colenda præsens, sed absentior.

Non virtutis merces est voluptas, est accessio.

Non virtutis adorea est, ubi fortuita gratia.

Non volenti sed solum repugnanti est necessitas.

Noster esto, dum te poteris defensare injuriâ.

Notæ sint Duci Diei, notæ sint Noctis vices.

Nota aliquâ confundi, honestis gravius multò est quam mori.

Novo modo, tu homo, amas, siquidem te quidquam, quod faxis, pudet.

Nudo

Nudo homini est contenta virtus non censum aut domum eligit. (est

Nulla ab unguiculo ad capillum mulier festivissima

Nulla adhuc remedia inventa contra feminam malam.

Nulla certior est voluptas, quam quæ jam eripi nequit.

Nulla lux jubet secreta amicorum nos eloqui.

Nulla tarda hominis de morte judici est cunctatio.

Nulla cura eis honesti est, quos affectus occupant.

Nulla adducit ad sensum sui animū magnum injuria.

Nulla ætas cui videri sera ad discendum potest.

Nulla civitas quæ civem non aliquem habeat improbum.

Nulla est satietas ornandi navem ac mulierem satis.

Nulla honestior sepultura ipsamet tyrannide est.

Nulla laus est exstinxisse incendium quod feceris.

Nulla laus est non patrare, quod patrare non potes.

Nulla non amore patriæ cura levior Principi est.

Nulla non humanitas constat suis adfectibus.

Nulla nox tutus recessus regibus præbet malis.

Nulla non res principum magno gradu suum anteit.

Nulla ratio homini cum cælo, si religio tollitur.

Nulla res æque, quàm summa pars veli, cursum adjuvat.

Nulla sincera est voluptas: felq; melli intervenit.

Nulla sub rege indigente diviti securitas.

Nulla tam capax est arca, cui fundus non sit suus.

Nulla tam regio beata est, cui nil admixtum mali.

Nulla testimonium boni corrumpit gratia.

Nulla ubi pœna est malorum, ibi esse non licet bonis.

Nullus est locus quo non fortuna possit persequi.

Nullus è bello scelestus ad suos revertitur.

Nullus parvus est locus, virtutum qui turbam capit.

Nullus

Nullus ictus teli inter confertos absque vulnere est.
Nullus quæstus tantus est, quàm parcere illud quod habes.
Nullus ventus est suus portum ignoranti quem petat.
Nullus unquam omnes numeros compleverit sapientiæ.
Nullibi magè deest amicus, quàm ubi abundare creditur.
Nullius boni sine socio jucunda est possessio.
Nullius putat indigere se opera qui alteri negat.
Nulli animali similitudo cum altero sua convenit.
Nulli animos magè abjiciunt, quàm qui animos tollunt improbè.
Nulli non & vivo & mortuo virtus retulit gratiam.
Nulli rei magis parcendum est, quàm cujus est usus frequens.
Nullibi capital meretur verborum superbia.
Nullum adversa comminuit sors, nisi quem fallit prospera.
Nullum aliud bonum quàm honestum, nec quam turpe, aliud malum.
Nullum beneficium duco esse id, quod cui facias non placet.
Nullum ex omnibus magè quàm Regem decet clementia.
Nullum majus esse probrũ potest quam amicũ prodere.
Numinis furore adflatur omnis artis artifex.
Numini litato, non amictu, ast corde splendidus.
Numquam dicitur nimis, nunquã satis quod discitur.
Numquam erit alienis gravis, qui suis se cõcinnat levẽ.
Numquam erit felix quemcunque torquebit felicior.
Numquam fit malis fides latendi etiam latentibus.
Numquam hereditas contempto herede quæritur bene.
Numquam irasci desinet sapiens, semel si cœperit.
Nunquam se bonus rogari poscit auxiliarius.
Numquam ullus Deus propitius generi lenonio fuit.

Nunc

Nunc placet, cũ rectè monstras; nũc tibi auscultabimus.
Nuspiam invenire vitam est cui non sit comes dolor.
Nuptias consensus ipse, non concubitus perficit.

O

O Quam amara liberûm voluptas est parentibus.
Obsides habeas eo cultu domi, quo liberos.
O quam res contempta homo est, nisi supra humana se erigat.
Objurga lapsum secretò primùm, deinde publicè.
Occidendi finem fecit Sullæ inopia hostium.
Odia dissimulata nunquam obliterantur principium.
Odia blanditiis velare falsis passim regium est.
Odiosa est oratio, cùm rem habeas, longinquum loqui.
Olim amicitia ipsa cura erat, nunc cura præmium est.
Omne magnũ exemplum iniqui quippiã in se continet.
Omnis à nimio sui suspectu est indignatio.
Omne ego pro nihilo esse ducto, quod fuit, quando fuit.
Omne futurum incertum est, atq; ad deteriora certius.
Omne tempus comparatum æternitati perbreve est.
Omnia gravia sunt dũ ignores; facilia ubi cognoveris.
Omnia in quæ casui est dominium, sunt servilia.
Omnia Rex imperio possidet, domino singuli.
Omnia si tibi vis subjecta; te rationi subjice.
Omnes ante præparandi ad mortẽ quàm vitam sumus.
Omnes qui dolent succensent liberè loquentibus.
Omnes cùm valemus rectã consilia ægrotis damus.
Omnes iis succensent verum qui loquuntur liberè.
Omnium caussa est bonorum, Principum concordia.
Omnibus leges regesque; voluntati at non imperant.
Omnibus scias cum esse amicum, amicus qui sibi est.
Omnibus tamen est moriendũ, quamvis quis vivat diu.
Optima in malis profectò res est pœnæ terminus.

Optimæ

Optimæ rei cujusque judex vulgus pessimus.
Optimas spes ad salutem volvunt qui colunt Deum.
Optimè agit natura cum his quos in tutum recipit citò.
Optimè fortunam utramque perferunt viri probi.
Optimi peccando pervenere ad innocentiam.
Optimus portus pœnitenti est consilii mutatio.
Optimum est differre curas, si discutere non potes.
Optimum in vitâ est timere præter seipsum, neminem.
Optimè geritur collegis publica res concordibus.
Orbitas pecuniosa insidiis valde obnoxia est.
Ordo militum nunc est, nullum tenere, heu, ordinem.
Orta injuria ab eo videtur arma qui intulit prior.
Oscula amplexusque amorem non augent, exercitant.
Ostentare per terrores quidnam possis, regium est.
Ostentatio doloris exigit plus quàm dolor.
Ostra ac boleti oblectamenta sunt, non sunt cibi.
Otium à se homines difficilius quàm ipsâ à lege impetrant.
Otiari satius est quem, quàm occupari turpiter.
Otium quandoque à bellis præbet pestilentia.
Otium multi dum quærunt, inveniunt negotium.
Otium parit fastidium, exercitium parit famem.
Otium sine literis hominem ante mortem infert humo.

P

Palmula ut venere piperque, venit item Sapientia.
Par Deo dignum est, vir fortis forti colluctans malæ.
Parcit pauperibus Neptunus, dites damnat ac domat.
Parcere illi cui poteras nocere magna gloria est.
Partes minimæ sunt eorum quæ progignunt semina.

Partè

Parte eâ urbs capitur capi quâ posse haud quis putaverat.
Patriam transire non possum meam: una est omnium.
Pauca Principes vi tractant quò quies sit ceteris.
Paupere in domo satis vel quævis est facunditas.
Parva res in bello magnum utrinque momentum occupat.
Parvis in bello momentis, casus magni intercidunt.
Patris imperium est in natam; non in patrem filia est.
Pauca vulgus veritate; multa opinione æstimat.
Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.
Paucis præesse dedit natura, obtemperare pluribus.
Paucos servitus, plures servitutem ipsam detinent.
Pauperiem haud puto, cui quantulumcumque superest, sat est.
Pace quos cernis feroces, cernes bello profugos.
Peccat in rem publicam hostem qui non tollit publicũ.
Pecoris objectu frequenter insidiis hostem induas.
Per calumnias plerumque concinnantur crimina.
Per contemptum divitiarum, ad divitias compendium est.
Per præcepta, longum iter est; per exempla, breve & efficax.
Per tuam virtutem adscende, non per alterius malum.
Pectore humano, templũ haud ullũ Dei incorruptius.
Pensionem primam solvit, qui munus gratè accipit.
Perdidit beneficium, qui citò perdidisse credidit.
Perdidit fides opes, servavit diffidentia.
Perditus quoque interventu vitia supprimit probi.
Prodito gubernatore, tota navis perdita est.
Perdocet paupertas artes omnes, ubi quem attigit.
Perdormisco, si resolvi ei argentum cui debeo.
Perfacile est rem bene paratam comitate perdere.

Perduellibus devictis Diis agamus gratias.
Perfecto demum scelere, ejus nimmetatem intelligas.
Perfidi multi occiduntur, qui tamen haud sint per-
Periculosa etiam probis pejorum est æmulatio. (fidi.
Periculosum est urbi ostendere, quantò plures sint
mali.
Pernicioſior hostis est fugientibus quàm stantibus.
Perperi ipsam quàm irrogare injuriam est præstanti-
us. (ceris.
Perperam tuam occasionem incommodum alienum fe-
Pertinace vel naturam vincas consuetudine.
Pertinaciæ comes nonnunquam pœnitentia est.
Perspicax fraudem ad cavendum, idem vix est vali-
dius manu.
Pessimi quoque usque & usque virtutem ore gestitant.
Pertinaci item sua est inertiæ etiam auctoritas.
Pertinacia iræ amica; inimica est pœnitentia.
Pertinaciores omneis iræ iniquitas facit.
Pertinax in exitu prudens quandoque audacia est.
Pervium nullum non tempus cogitationibus.
Pessima prouptius cum amicis, quàm optima solus
perferas.
Pessimo moritur fato, qui vitam degit pessimam.
Pessimum veri venenum adfectus adulatio est.
Pessimos plerumque fungi certum est dignitatibus.
Planta nunquam convalescit quæ transfertur sæpius.
Plena voluptate est senectus, rectè si illâ uti scias.
Pleraque in præceps trahit, etiam ipsammet se, Im-
prudentia.
Plura qui cupit, minimè delectatur præsentibus.
Plura Regibus sant docti, quàm auferant à Regibus.
Plurimas senectus adfert pessimas res cùm advenit.

Plu-

Plurimis cruenta mens est, pura sit licet manus.
Plurimum à Deo impetrant gemunt cùm è corde pauperes.
Plurimum confert victoriæ ordinum concinnitas.
Plurimum facere, ac minimum de se loqui, acceptissimum est.
Plurimum in re militari sors fortuna perficit.
Plurimum in suo potest vel gallus sterquilinio.
Plurimum mali est avaro, avaro nil est gaudii.
Plurimum mellis vel una amarat gutta absinthii.
Plurimum prodest memoria patris filio reo.
Plurimum vociferationis circa pecuniam est.
Plus animi inferenti quàm propulsanti periculum.
Plus ferè nobis videmur posse omnes, quàm possumus.
Plus gravat malum privatum, publicũ gravat minus.
Plus laudatur qui nocere, quàm prodesse qui potest.
Plus morâ quàm præliis Annibalem fregit Maximus.
Plus nocet procella sæpe classi quàm vis hostium.
Plus quàm regnum est, victo è rege sumere tantùm gloriam.
Plus quàm rex est cui censuram fas agere est regnantium.
Plus sceleri est obstrictus qui se, quàm qui occidit alterum.
Plus valeant benefacta priora, quàm maleficium ullum recens.
Plurium scabiosa asinorum fert Camelus pondera.
Pluribus petitur pariclis, qui periclum plurium est.
Pluribus summa est curarum, quidnam edant, quidnam bibant.
Pluribus sumus animi morbis subditi, quàm corporis.
Plurimi cùm nesciant loqui, & tacere nesciunt.

Plutus claudus est cùm accedit; cùm recedit aliger.
Post juventam, imò canos multis durat puerilitas.
Pœna grandior videtur, quæ à miti venit viro.
Pœna præmiumque quamque continet rem publicam.
Pœna summa nequitiæ est, quod displicet sibi ac suis.
Pœnitentia est inanis culpa quam inquinat sequens.
Pol pudere quàm pigere præstat, totidem literis.
Ponderanda mors est ex vitæ præteritis actibus.
Porcus, ac tyrannus, unam nutriuntur ad necem.
Porrectis pedibus dormire non datur quibuslibet.
Portio securitatis magna est, facere nil mali.
Portus adversùm fortunam humanitas certissimus.
Posteri priorum exemplis corrumpuntur Principum.
Posteri vitam majorum, nisi sequuntur, improbant.
Præ se animi deformitatem corpore comptuli ferunt.
Præcipere est supervacuum scienti: nescienti parum est.
Præferenda mors spurcissima servitio mundissimo.
Prælium pauci profligant, non integri exercitus.
Præmium multis peccandi, est ipsamet infamia.
Præmium nullum aliud est virtutis quàm immortalitas.
Præmium nullum iis debetur, qui auspicii non sunt sui.
Præstat incidi semel cervicem, quàm semper premi.
Præstruit fidem in parvis fraus, fallat ut inde in grandibus.
Præstruunt dolos nequaquam prævalentes præliis.
Præter se spirare magna neminem sinit Deus.
Præterit malos Mars semper, semper obterit bonos.
Præteritorum oblivione finias discordiam.
Prætorquete injuriæ collum prius quàm ad vos perveniat.
Pridie caveas ne facias id quod pigeat postridie.

Pri-

Primum adesse parum civile est, ultimum adesse superbulum.
Primus ipse obeas velis quod inferiori injungere.
Principem nihil magis commendat quàm indulgentia.
Principe adverso quis in se studia vertat civium?
Principio jucunda, fine amara est adulatio.
Principium eruditionis animadversio inscitiæ est.
Principium omnium malorum est, indulgere luxui.
Privatus teneat sua: de alienis certare, regium est.
Pro multis perire, quam cum multis, est honestius.
Pro ratione personarum res honesta, vel secus.
Proba merx facilè emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est. (*bonæ.*
Probus est quem non pœnitet quàm sit probus ac frugi
Proditionis maturatur conjuratio metu:
Proditori fas honorem habere, sed fidem nefas.
Promptius commoris urbem quàm eandem tranquillaveris.
Promptius cuivis parare quàm servare gloriam.
Promptus in pavorem ægrescit longâ sollicitudine.
Proximè ad Deos accedit fabulosa Antiquitas.
Proximos facit, virtutum, haud sanguinis, cognatio.
Propositum mutare aliquando est virtutis non criminis.
Publicæ rei administri plures, plurimum juvant.
Publicæ rei præfectus, dominis servit pluribus.
Publicæ rei Rex est, non est Regis Respublica.
Publicæ utilitati posthabenda nati caritas.
Publicâ mavult ruinâ quisq; quàm privâ opprimi.
Publicâ fortunâ princeps sanguinans exstinguitur.
Publicæ saluti adversis quei jussis obtemperes?
Publicè bonus esse nescit, qui privatim est improbus.

Publico pudor vulgatus non satiat, verùm incitat.
Publicum bonum privata fere simultas impedit.
Pugili exercere corpus, Regi ingenium convenit.
Pulcra mulier nuda erit quàm purpurata pulcrior.
Pulcra pol dos est, marita si non est, pecunia.
Pulcritudo feminam ornat, fortitudo ornat virum.
Pulcrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.
Pulcrior nuptam novellam decolorat pronuba.
Pulcrius multo parari, quàm creari nobilem.
Purus is est, qui nullius conscius sibi mali.

Q

QVæ fieri minimè queunt, ea facere cupiunt Principes.
Quæ cum amore sunt possessa, cum dolore perdimus.
Quæ laboriosa glorioſa eadem victoria est.
Quæ latent specie virtutum vitia sunt turpissima.
Quæ mala in terris putantur, hæc sunt in cœlo bona.
Quæ multum trahunt è vero, odiosæ sunt facetiæ.
Quæ per negligentiam jactura fit turpissima est.
Quæ sanare non potes ratione, sana tempore.
Quæ sentimus ipsi, eadem reliquos sentire credimus.
Quæ sunt justa lauda, verùm lucra sola quærito.
Quære amorem apud populares, quære hostes inter metum.
Quærimus magis, mali quis quàm boni quid gesserit.
Quærunt obtinentque opes mali facilius quàm boni.
Quæstui stultis habetur male loqui melioribus.
Quale quidque sit si quæris scire, trade tempori.
Quales ex malis humanis fors ludos facis tibi!
Quando habeo multos cognatos, quid opus est mihi liberis?

Quando

Quanto plus erit tormenti, tanto erit plus gloriæ.
Quanto tardius Dei est judicium, tanto est justius.
Quantulum est ei non nocere, cui prodesse debeas?
Quàm bonus bonum vicinus magnum est, tam malus malum.
Quàm magis mare ingredimur, tanto est etiam profundius.
Quàm mirantium plebs magna, tam magna invidentia est.
Quàm multa sunt quæ per voluptatem necant!
Quam quisque norit artem, eam ipse exerceat.
Quàm resistis, tam res maximè in periclo vortitur.
Quei suorum militum virtutem absque hoste dux probet?
Quem nigrum Fortuna scripsit nulla ætas albaverit.
Queis Athenæ visæ, inter semiasinos semi sunt Dei.
Quem fortuna non decepit, casuum incerta haud cogitat.
Queis bonis ipsi caremus, invidemus cæteris.
Qui animum vincunt, quàm quos animus, semper probiores cluent.
Qui beneficii est oblitus, omnium ingratissimus est.
Qui beneficium libenter accipit, jam reddidit.
Qui beneficium capit libenter, libenter refert.
Qui bene utitur potentiâ, eâ omnium est dignissimus.
Qui bonâ Deos colit fide, & sacerdotes amat.
Qui bonos damnarunt, causam cunctis dicent seculis.
Qui contentionum ignorat causas, jurgia non habet.
Qui curiosus est, idem est & malevolus.
Qui de fortunâ haud potest donare, donet de suo.
Qui delinquit apertè bis reus est: agit, simul ac docet.

Qui dolet ante quàm est necessum, quàm necesse est plus dolet.

Qui fide ac devotione caret, Deo est inutilis.

Qui futura prospicit mala, aufert vim præsentibus.

Qui genus sortemque animis suam haud æquant, statim invident.

Qui ipsius sè contemnit, in eo est indoles industriæ.

Qui labores spernunt, spernunt hos laborum præmia.

Qui loqui secum potest, sermone alterius haud eget.

Qui malis facit benè, idem pascit alienos canes.

Qui minimi omnium videntur, sunt beati maximè.

Qui minus lente festinat, idem absolvit serius.

Qui mortem timebit, unquam pro vivo faciet nihil.

Qui multis cupit placere, displicere vult bonis.

Qui Musas colunt, earum etiam colunt antistites.

Qui non ipse amavit, ægrè amantis ingenium inspicit.

Qui periculo eripit hominem optimam cædit victimam.

Qui perituro haud succurrit cùm potest, eum necat.

Qui se immerserit cœno, necesse est sit cœno oblitus.

Qui se victum confitetur victus animo & corpore est.

Qui semper fortunam exspectant, facilè eam quoque sustinent.

Qui suam malè rem gerit, bene non geret rem publicam.

Qui subtegmen nere tenue, nere item uberius, potest.

Qui susurrat, inter amicos seminat discordiam.

Qui suum morbum fatetur sanitati est proximus.

Qui viam ad mare nescit, amnem quæritet comitem sibi.

Qui viam terit, quò levior est, eò est felicior.

Qui vitam suam contempsit, est vitæ dominus tuæ.

Quicquid Regis administer peccat, in Regem cadit.

Quid factum optimè sit quæras, non usitatissimum.

Quid

Quid generatio clara prodeſt ei quem mores ſordidant?
Quid generatio vilis illi, quem mores decorant, nocet?
Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Perſæ quid gerant? (otium?
Quid mage juſtum eſt, quàm uſurpare poſt labores
Quid manus, quæſo, mortales immortale fecerint.
Quid mihi refert Chryſalo eſſe nomen, niſi factis probo? (iter?
Quid novi eſt mori, cujus vita omnis ad mortem eſt
Quid opus eſt deflere partes? tota vita eſt flebilis.
Quid rei ſponte adventuræ ad te ipſum adferre vim attinet?
Quid prodeſt carere conſcio, habenti conſcientiam?
Quid ſtupes opes? ſunt pompa; tranſiere dum placent.
Quid velis, ſapienti ornatus ſæpius indicium facit.
Quidquid ad ſummum pervenit, ſemper ſpectat exitũ.
Quidquid æquo plus futurum eſt, pro reo præponderet.
Quidquid effert ſors in altum, in altum effert ut mox ruat.
Quidquid eſt datum à fortunâ, tanquam abiturum poſſide.
Quidquid eſt iniquum, id uno vix die eſt durabile.
Quidquid eſt quod animum erexit, prodeſt etiam corpori. (malè.
Quidquid, herclè, eſt muſſitabo potius, quàm inteream
Quidquid in rebus divinis ſumis, ſapienti lucro eſt.
Quidquid ingenitum eſt, lenitur arte, non & vincitur.
Quidquid partum erat virtute, intemperantiâ perit.
Quidquid perpetrat tyrannus, ſpecie legum perpetrat.
Quidquid uſum excedit, pondus bajulantibus grave eſt.
Quilibet vivos laudare non ſolet, ſed mortuos.

Quis libens officium obeat, quod cepit ab injuriâ?
Quis provectum retur sese ex magnitudine sceleris?
Quis velit sibi oblatricem in ædes intromittere?
Quisque accepta parvo, quisque magno præbita æstimat.
Quisquis inquit, vixi, surgit quotidie ad novum lucrum.
Quisquis morte profuturus est aliis, vitâ nocet.
Quisque Regum in sumptus quærit, nemo quærit redditus.
Quisquis appetit videri quod non est, hypocrita est.
Quisquis virtutem induit simul exuit omnem ignaviam.
Quo Dei vindicta lentior est, hoc est & grandior.
Quo die amorem, eodem multiloquium homini legat Venus.
Quo facilius mors obrepat, nomine sub vitæ latet.
Quo fortuna quæque major est, ipsi hoc credas minus.
Quo mage adversaris, hoc mage adstat comes gloria.
Quo peritior sermo est, & ratio hoc est illustrior.
Quo periculosius colitur pietas, mage eminet.
Quo pupillis plus licet, hoc eis animus est corruptior.
Quo tibi potissimum places hoc te pessum dabit.
Quomodo res tuas habeas refert, jure an ne injuriâ.
Quod amicitia est in bonis, hoc in malis est factio.
Quo quis occulit magis senectam, hoc detegit magis.
Quod boni est, id tacitus taceas tute tecum & gaudeas.
Quod bonis boni fit, esse idem & grave & gratum solet.
Quod causâ tibi tuâ dat lex, eo uti non licet?
Quod Dei boni dant, culpâ ne tuâ amittas cave.
Quod habes, ne habeas: & illud quod nunc non habes, habeas malum.

Quod

Quod licet minus est gratum, urit acrius quod non licet. (hil.
Quod malum est fecisse, animo quo facias, interest ni-
Quod molestum est celerius venit illo quod cupidè petis.
Quod regi nequit, durare non potest idem diu.
Quod sine amore possidetur, sine dolore amittitur.
Quod tibi pauperies videtur, plurium vita gentium est. (dem.
Quod viro est odio, videat mulier sibi odio habeat i-
Quos crudelitas sepulcro non condit, condit dies.
Quos penes sunt damna belli, sint & belli præmia.
Quot majores, tot etiam doctores adsunt Regibus.
Quotæ quæque civitas felicitatem pertulit?
Quovis in certamine parti vulgus pejori favet.

R

RApidus fluvius est heic, non hac temerè transiri potest.
Rapto iniquum vivere est, rapto meri pulcerrimum.
Rara aulico in promissis est constantia.
Rarò quid boni è malis progignitur parentibus.
Rarò homini simul datur fortuna bona atq; mens bona.
Rarò vera: ficta semper est Ducum clementia.
Rectæ consultationi usque adsidet victoria.
Rectè oblivioni tradas quæ facta haud oportuit.
Rectè sub manus succedit res curata sobriè.
Rectè tunc sciam monuisse, si tu rectè caveris.
Rectè uti victoria, formosius quàm vincere est.
Rectius super omnibus providit olim antiquitas.
Regia laus de alienis certat: retinet privatus sua.
Relligio ac sapientia, unà, si non sunt, nihil valent.

Relligie

Religio non conditiones hominum, at animas inſpicit.
Religio veri cultus eſt, falſi ſuperſtitio.
Res adverſæ auctoritatem minuunt imperantium.
Res cogendæ ſunt in arctum, tela uti in vanum cadant.
Res magis privata cuique curæ eſt, res quàm publica.
Res novæ domos evertunt, regna evertunt res novæ.
Res ſecundæ quos fatigant, res adverſas quei ferent?
Res ubi non comitatur verba, infirmis valdè oratio eſt.
Res vigent æqualitate ac comitate publicæ.
Rei mandatæ omnes ſapientes primum prævorti decet.
Rem, fidemque, ſe ſuosque perdit, qui meretricem amat.
Rebus adverſis cognato amico nil præſtantius.
Rebus in dubiis erit qui timidus, nauci non erit.
Rebus in magnis placere cunctis natura haud ſinit.
Rebus in malis placere geſtit eloquentia.
Rebus in malis potiſſima eminet virtus Ducis.
Rex bonus bono, malus ſed natus publico eſt malo.
Rex eâ uſque parte oſtendat, quâ prodeſt, potentiam.
Rex in pace iniquus eſſe Dux belli haud pravus poteſt.
Rex honore dignum honeſtat, indignum congiario.
Rex iners eſt, quem latent mali; quem non, injurius.
Rex licet multis ſtipatus, ſolus ad periculum eſt.
Rex malus minus eſt inviſus omnibus, quàm ipſi ſibi eſt.
Rex naturæ inerudite, capite cœlo ipſi imminet.
Rex pupillus non modò imperii, libertatis indiget.
Regis ira intelligatur; nemo eam ſed ſentiat.
Regis oculi, ſæpe veris viſis aliquid adlinunt.
Regi inexpugnabilis arx eſt una amor parentium.

Regem

Regem nasci credite, Eos quoties noctem summovet.
Rege de bono loquuntur clam homines eadem quæ palam.
Regibus satius bonis uti est, malis quàm legibus.
Regibus periculosum est successorem prodere.
Regibus pueris majores sunt sui pro doctoribus.
Regibus suspecta populi erga bonos est gratia.
Regibus suadere nullus audet consulentibus.
Regibus vicem thesauri, templorum præstant opes.
Regnum inter Deos hominesque res omnium pulcerrima est.
Regno cedere absque ullo turpissimum est certamine.
Res Romana validior ipsis ducibus est quàm exercitu.
Ridiculè alliges canem fugitivam agninis lactibus.
Rhetori & reo damnato conflat eloquentia.
Romulo Remoque mammas orba præbuit lupa.
Romani sortis secundæ vultum in adversis gerunt.

S

Sacra facta sunt, adsumpta quæ fuerant solatia.
Sacrarum ædium ruina relligiosis & sacra est.
Seculo fugacius nihil, rebusque sæculi.
Sæculo pravo, pietas magna est, nihil facere impiè.
Sæpe alium insanire dicunt, ultrò qui ipsi insaniunt.
Sæpe caussas dat futuræ virtutis clades prior.
Sæpe quem coram laudamus, absens est derisui.
Sæpe creditor suis damnatur debitoribus.
Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia.
Sæpe fertur quis in altum, ut turpius ruens cadat.
Sæpe incommoda ipsa pro his sunt maximè quibus accidunt.

Sæpe inops est mentis gnatus matre mentis compote.
Sæpe maiori facit locum fortunæ iniuria.
Sæpe magna spes pusillæ accersunt infortunia.
Sæpe maximam inter sortem & ultimam, nil interest.
Sæpe magnarum momenta rerum è parvis pendula.
Sæpe maximum pretium est, pro quo pretium nullum datur.
Sæpe nascitur è malo communi benevolentia.
Sæpe ne quidem absque scelere sese vindicant probi.
Sæpe ne quidem clamorem perfert hostis militum,
Sæpe non quæsita sponte in lucem veritas venit.
Sæpe dum blanditur ipsa offendit assentatio.
Sæpe pacis nomen honestum, turpe velat otium.
Sæpe per vinum exoriuntur dissidia in conviviis.
Sæpe plus homini nocent secundæ res quàm improsperæ.
Sæpe plus peccamus demerentes, quàm ubi deliquimus.
Sæpe plus populo prodest Mendacium quàm Veritas.
Sæpe principio sinistro felix exitus venit.
Sæpe principium est malorum in melius mutatio.
Sæpe publicè beatus, est domi miserrimus.
Sæpe quem iustum esse oportet insigni cum infamiâ.
Sæpe qui misereri potuit, misericordiam rogat.
Sæpe quis in offensas ipsas heu dum vitat incidit.
Sæpe quod mora explicasset, rupit pertinacia.
Sæpe servus libertatem malitiâ invenit suâ.
Sæpe spes futuri homines incerta certos decipit.
Sæpe sunt meliora quæ timemus quàm cupiscimus.
Sæpe vitia sub virtutum obrepunt nobis nomine.
Sæpius delictum unius publica attrahit mala.
Sæpius iudex, patrono infestus, damnavit reum.
Sæpius nunquam sperata quàm quæ speres accidunt.

Sæpius

Sæpius pauper quam dives ridet & fidelius.
Sæpius sub vestimentis vitia corporis latent.
Sæpe ruina est innocentis, ignorantia iudicis.
Sæpe tanta est hostem vt delectet virtutis gratia.
Salva Roma, salva patria: salvuus est Germanicus.
Sævitiam parentum patiendo ac ferendo lenias.
Sana ægris miscere morbi initium in pestilentiâ.
Sanè genus hoc muliebrosum est tunicis demissitiis.
Sanctius cesses quàm per scelus officio quæras locum.
Sanguine illustri cometas expiare Neronium est.
Sanguine incestas cavete inferre sacris locis opes.
Sanitatis indicium est sua confiteri vitia.
Sanitatis pars, magistros reliquisse insaniæ.
Sapere isthac ætate oportet, qui sunt capite candido.
Sapientiæ ætas condimentum est, sapiens ætati cibus est.
Satin ut quem tu habeas fidelem tibi aut cui credas, nescias?
Satius est mucrone linguæ gerere rem, quàm lanceæ.
Saucius ex acie reversus magè spectatur, quàm integer.
Scæva est bonitas exorari in exitium rogantium.
Scelera sunt secreta; honesta semper gaudent publico.
Sciebam ut esse me deceret, facere non quibam miser.
Scire qui clades suas refugit, timores adgravat.
Scire velle plus quàm sat sit, genus intemperantiæ est.
Scorta non levi pudoris diligas impendio.
Segnities, vitium in pagano, crimen est in milite.
Se minorem confitetur ultro, qui dat obsides.
Se putat victum, citò nisi vincit, suetus vincere.

Semper

Semper aurum, semper argentum insidias orbi facit.
Semper est fides servanda, certè servanda hostibus.
Semper idem exstat bonus; quot horis mutatur malus.
Semper illi occurrit quod det, cui bene velle haud deficit.
Semper in partem hanc & istam ábit hominum existimatio.
Semper justus injusto, insipienti sapiens subjacet.
Semper ex magnis adversa impunitas conatibus.
Seriis viros à rebus femina multum avocant.
Serior suum rependit cuique posteritas decus.
Sermo convivii nullam rem adducit usque ad exitum.
Servilissimum omnium malorum ipsa assentatio est.
Servitus miserrima est privis servire adfectibus.
Servitute minuitur, licentiâ crescit spiritus.
Servitute multi oppressi libertatem dum adpetunt.
Servitutem ubi esse vis, ne ibi speraveris fidem.
Servitutis si dominum tibi eligas, solatium est.
Serviunt & veritati poëtarum mendacia.
Serviunt opes apud sapientem, apud stultum imperant.
Servus est insscitus qui se hero moderari postulet.
Servo homini melius modestè facere sumptum quàm ampliter.
Seu vivat homo, seu moriatur, nunquã Pietas interit.
Si fidem abrogas humana omnis societas tollitur.
Si foret venalis emptorem haud haberet mens bona.
Si fortuna contra dat, saltem saluti consulas.
Si placere vis, dato, frequenter: ars est artium.
Si quid perperam fit, plus amici indulgeant minus.
Si virtus se recognoscat facilè injuriam solverit.
Si seræ tamen haud leves pœnæ veniunt superbiæ.
Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio est senex.

Si bonam

Si bonam mihi servasso famam, dives ero satis.
Si domi est, foris est amantis animus, sin foris, domi est.
Si Jovem vis provocare, oportet nil desideres.
Si molestias fugisque invidiam, reges ne colas.
Si potentiæ studesque gloriæ, reges colas.
Si potes resistito iræ, sin minus ipsi cedito.
Si quantum potest timetur miseriarum haud est modus.
Si quis cuncta perdit, seque adhuc habet, nil perdidit.
Si secura vita non est, mors fiat securitas.
Si sic aliis mœchis fiat, minus hoc mœchorum fiet.
Si te amor Dei haud tenet, teneat vel judicis timor.
Si vides quot te antecedant, quot sequantur cogita.
Sic habeare maximus, Rex, ut habeare & optimus.
Sidera omnia inter mortaleis interdiu ambulant.
Signum simplex haud fidele est, est fidelius duplex.
Similitudo satietatis mater est in omnibus.
Singulos dies prudens vir singulas vitas putat.
Sint magistratus per annos tres continui, haud perpetes.
Socratem calix veneni è carcere in cælum tulit.
Societate homo ac Ratione animalium fortissimum est.
Sola apud Deum est libertas, non servire crimini.
Sola pacis est sequestra in hostico legatio.
Solatii est loco, dolorem inter multos dispargere.
Solius sapientiæ immortalis est possessio.
Sons eo miserior est, quò longius vitam trahit.
Sors quibus secunda semper, virtutem minimi putant.
Sorte nascimur pari; virtute unâ distinguimur.
Sortis ex mediocritate minus vulgo periculi est.
Speculatori deprehenso quid nisi præcidas manus?
Sperne mortem, & cuncta quæ ducunt ad mortem spreveris.

Spes metusque in vitam humanam omnem obtinent tyrannidem.
Spes novas etiam inchoamus ipso vitæ in exitu.
Spes quibus nulla est à morte, maximè mortem timent.
Spiritum tibi tam tollet unus, unus quàm dedit.
Spreta sæpè, dum consulitur adspectui, conscientia.
Spurca qui libenter audit, & libenter exprimit.
Stat super caput Mors, & pereunteis imputat dies.
Stat virtute vita humana; ea interit flagitiis.
Stultè amicis uteris, si non & ipsis imperas.
Stultitia est, bene cui licet esse, eum prævorti litibus.
Stultitia est ea facinus magnum timido cordi credere.
Stultitia est, pater, venatum ducere invitas canes.
Stultitiæ est majoris rebus stultis contradicere.
Stultior nemo est, nisi qui sè sapientissimum autumat.
Stultus es qui illi male ægre patere dici, qui facit.
Stultus est famâ suâ sugillat qui famam alteri.
Stultus ex dictis amicum, ex factis sapiens pensitat.
Stultus insciitusque est qui consilia culpitat Deûm.
Sub formâ optimâ quandoque mens Therſitæ delitet.
Sub pietatis prætextu viscus latet libidinis.
Sub specie benignitatis stulta facilitas & placet.
Sub tristi plerumque amictu absconditur lascivia.
Sub tyranno Diis aguntur grates publicum ob malum.
Sub tyranno & arridendum funeribus patri est suis.
Sub tyranno homines prius damnantur quàm fiant rei.
Subdidit viventia cuncta homini Deus, ipsum hominem sibi.
Subditi rectè sequentur, rectè si Rex præeat.
Subditum amplius justo esse affectus est supercilii.
Subdolum esse licet inimico: amico est insipientia.
Subruit multas magnasq; familias adsentatio.

Subser-

Subservire sibi virum dotata quævis postulat.
Subsidium nullum aspernandum rebus est in ultimis.
Sumptuum gravitate justos redditus stultus anteit.
Summa summæ convenit potentiæ modestia.
Sunt beati non qui peccant clam, sed qui peccant nihil.
Sunt magistratus curare quos rem oportet publicam.
Sunt meretrices omnes elecebræ argentariæ.
Sunt prærupta cuncta, non excelsa, præpotentibus.
Supplicare eis nocet submisse justa qui petunt.
Supplicat pulcrè Deo quisquis colit innocentiam.
Supplicium quidem est antiquum, antiquior at clementia est.

T

TAlis fermè cuique vita, qualis est oratio.
Tam comatis est molestum quàm calvis velli pilos.
Tam diu cuique est discendum, quàm diu quid nesciat.
Tam fame sitique satiscunt milites, quàm præliis.
Tam male audit corporis alieni leno quàm sui.
Tam mali exempli prohibere mortem heri, quàm infligere. (per queri.
Tam malum est cantare semper, quàm malum est sem-
Tam malum est ignoscere nulli quàm punire neminẽ.
Tam malum est insontem plectere, quàm malum eripere est reum. (queat.
Tam nemo est humilis sperare quin pœnam summi
Tam nihil grave est quin uxor ac vir concordes ferant.
Tam nihil sanctum ac munitum est, quin cedat pecuniæ.
Tam nucibus fleunt amissis pueri, quàm parentibus.

Tam sacrum nil est quod non incurrat in sacrilegum.
Tam virtus absentium colenda est, quàm præsentium.
Tandem animam suis nocentem sceleribus reddit malus.
Tandem vincis, ac de falso, dia triumphas Veritas.
Tanti est, nil diu gaudere, ne quid formides diu.
Tanto plus famæ invenis, metu quanto es occultior.
Tantundem malo est periclum benefacere, ac bono male.
Tardus esto in consulendo, in exsequendis praceler.
Te de aliis, quàm alios fieri doctos de te ipso suavius.
Temnitur bonus vivens, desideratur mortuus.
Temperanti vel aulai umbella murus crassus est.
Temporis momentum regnis evertendis sufficit.
Tempore in melius procedunt, veritas quibus subest.
Temporibus sapiens secundis casus adversos timet.
Testamentum non valet, nisi testatore mortuo.
Tibiâ auditâ, non omnes, sed Galli tantùm furunt.
Tolle invidiam, & quod habeo tuum est, quod habes contra meum est.
Tolerabilior pœna haud posse quàm nescire vivere.
Tollitur pars peccatorum magna, testis si tibi est.
Tota fertur in futurum vita desipientium.
Totum credit evenire anxietas mentis quod timet.
Tradita est tutela Regi civium, non servitus.
Trahere vim totam videtur id quod postremo additur.
Tranquillissimis patientiam extorquet contumacia.
Transeat minor ad majorem, ad patrem natus transeat.
Tristior benignitas senis est, quàm adolescentuli.
Tristis omnis sub tyranno lætos vultus induat.
Tunc aliena oppugnes cùm prius tua defensaveris.

Tu quidem meum animum gestas : scis quid acturus siem.
Tunc nihil libere, cuncta cùm licet, modestia est.
Turbam rerum hominumque quærunt, qui se nesciunt pati.
Turbidos & appetentes Stoa publici facit.
Turpe ab eis tibi est laudari quos laudare ipse haud potes.
Turpe admittere in senectâ culpam castigabilem.
Turpe demum reddere est beneficium, reddere si licet.
Turpe libero mentiri, patritio turpissimum est.
Turpe medico funera multa; creber Regi carnifex.
Turpiora vitia sunt virtutum specie cum latent.
Turpis & ridicula res, elementarius senex.
Turpiter fugit qui in acie terga obvertit hostibus.
Turpius exui potitis, quàm illis quæ speraveras.
Turpius est amittere laudem, laudem quàm non adsequi.
Turpitudo intrare ubi jam virtus est prius nequit.
Turpitudini qui nulli servit est liberrimus.
Tutius non accusari est hominem quàm absolvi improbum.
Tutius Iovis per genium pejeres quàm Principis.
Tutius securiusque nil est innocentiâ.
Tutus est sapiens, nec ullâ injuriâ affici potest.
Tutum ubi nil est à Rege, nec Rex tutus ibi ipsemet.

V

VÆ reo quem rex accusat judici: jam funus est.
Valde gloria est caduca si non habeas cum modo.
Vana magnitudo est urbis multitudo cui deest.

Ubi maledictum fit commune, desinit esse probri loco.
Ubi non sis is qui fueris, non est cur velis vivere.
Ubi sitis fauces tenet fodere puteum miserum est opus.
Vela inflata Notis secundis ventos prætiment suos.
Velut echinum, sic nummos citius capias quàm retineas.
Vena præsens virtutum docuit veterum præconia.
Venaticam sat est novisse nobili.
Ventum ubi est ad exitum, omnes, omnes in æquo sumus.
Ventus utcunque est in alto, exinde velum vertitur.
Vera laus est quæ datur cui ubi magistratum exuit.
Vera qui dicat deest ferè omnia possidentibus.
Vera vita non est, nisi ubi vivitur feliciter.
Vera virginitas nihil magis quàm ipsamet se timet.
Verba non parit, parit silentium admiratio.
Verba cui excutiunt quietem queinam fortem dixeris?
Verecundia est soror germana continentiæ.
Verecundia ibi est peccandi, ubi obvia est clementia.
Veritatis argumentum, est omnium eadem sententia.
Veritatis amator nullum castigatorem timet.
Veritatis cognitio cibus est animo suavissimus.
Veritatem audire indignus est qui interrogat dolo.
Veritatem quei cognoscat, adhuc qui vivit nequiter?
Verus est honos, defunctis qui confertur Regibus.
Vberem annum agricola avarus pleno censet horreo.
Vicini iracundi, in agro, in urbe, maximum est malum.
Victus est exercitus cujus dolis dux pervius.
Vidua & nupta est eadem, quia adolescens nupta est cum sene.
Viliore sub figurâ sæpe Diva delitet.

Vin-

Vincitur absque gloriâ, qui vincitur absque periculo.
Vinculum nullum naturæ adversus impium patrem est.
Vir bonus bono theatrum sat magnum alter alteri est.
Vir bonus non quærit quidnã patiatur, sed quàm benè.
Vir bonus tyro est ubique; semper tyro est vir bonus.
Virginem magis confundis si laudas quàm corripis.
Vir sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi.
Virtus ante quàm voluptatem ullam admittit, excutit.
Virtus est acerrima, ultima quam extundit necessitas.
Virtus nil cupit quod abest: gaudet solidè præsentibus.
Virtus nomen est inane, virtus sorti subjacet.
Virtus quonam tendat, non passura quid sit, cogitat.
Virtuti laborat uni rarus, multi gloriæ.
Virtuti sapiens honorem, præmium, haud prædam petit.
Virtute animus induratus est invulnerabilis.
Vis libidinem domare? cogita ejus exitum.
Vis virtusq; in mente hominis consistit, non in corpore.
Visceratio absque amico, vita leonis ac lupi est.
Vita bellum, & peregrinatio: fama à morte oblivio est.
Vita cui virtus moriendi non adest, est servitus.
Vita hominum est confusa prorsus, nisi delicta punias.
Vita nec bonum malumve est; est locus boni ac mali.
Vita nil sapientis tota quàm mortis meditatio est.
Vita nobis à naturâ est; bona vita est à literis.
Vita non beatior morâ fit, sed fit longior.
Vita non quàm diu, sed quàm bene acta cuique sit, refert.
Vita non vitalis illi est qui omnem perdidit fidem.

Vita perdit tantundem longissima quod curtissima.
Vita quàm vulgi melior sequenda, non contraria.
Vita si prærepta, fas mortem approbare posteris.
Vita talis est ut nolit repuerascere vir senex.
Vita turpis morti honestæ ne quidem linquit locum.
Vitâ etiam in longissimâ, minimissimum est quod vivitur.
Vivam uxorem amare, voluptas est; relligio, moriuam.
Vive cum minore, tecum ut velles vivere maximum.
Vivit in sui captivus servatoris gloriam.
Vix est matris usque ad cædem durent odia filii.
Vix ferox alienas æquo animo fert contumelias.
Vix fidem silentiumque in multis speres conscius.
Vix paria ulla fratrum visa sunt unà senescere.
Vix quærentibus obveniunt bona; mala ultrò se ingerunt.
Vix quemquam invenias qui aperto possit vivere ostio.
Vix se dives ad minorum haud efferat injurias.
Vix superbus fertur dives, quomodo pauperem feras?
Vix vigent pœnæ severæ temporum absque infamiâ.
Vix ullæ invidia infra Regum magnitudinem jacet.
Vix vocanda nostra sunt quæ non ipsimet fecimus.
Vix videmus ingestum oculis quidquid mente fugimus.
Vixit optimè optimam qui vitæ imponit clausulam.
Ultimo die finitur vita, omni die perit.
Ultio divina, magnas comprimit superbias.
Unguium absque læsione à subere vix robur feras.
Unumquemque habet suspectum is nulli qui servat fidem.
Universorum pernicies in Ducis periculo est.
Universa fas servare damno unius opidi.

Unius

Vnius prælatio fit cum alterius contumelia.
Vota noſtra non exorant; admonent tantum Deos.
Vrbs eſt nulla quæ ſapientem, aut quam ſapiens poſſit pati.
Vrbium portas contra ignes coria ac ferrum protegit.
Vſurarii pecunia ſimilis morſui aſpidis.
Vſurpare poſt labores Natura otium jubet.
Vt bonis ſunt ſomnia læta, ſic terrifica ſunt malis.
Vt cupit metui tyrannus, ſic rurſus metui timet.
Vt fallas noceasve, turpe quodvis eſt mendacium.
Vt hominum vultus, locorum ſit faciem haud mutaveris.
Vt mali fuimus, ſumusque, ſic erimus porrò mali.
Vt quisque eſt, item omnes eſſe cenſet homines ceteros.
Vt Sol eſt oculorum, cordis ſic lumen Sapientia eſt.
Vti oportet, non abuti amicitiis potentium.
Vtilitas communis vinclum ſocietatis maximum eſt.
Vtiliter minus malum cavetur niſi ſit cognitum.
Vtrum ab homine, an à fortunâ ſumas mutuum, haud intereſt.
Vtrum non deſideres quid, an habeas, nil intereſt.
Vulnerum aſperet fervorem tolerandi impatientia.
Vult malus bonum malum eſſe, ſimilis ille ut ſit ſui.
Vultu hilari potentiorum perferas injurias.
Vultu homo erecto eſt, cognatum ut norit ſe cæleſtium.
Vxor hoſtis eſt in vita quæ ad virum nuptum datur.

GNOMAE
PAROEMIÆQUE EX
DIVERSIS AUCTORIBUS
GRÆCIS MONOΣTIXOI.

A

Ἀφίλοχρηματία πᾶσαν ὀλεῖ, ἄλλο δ' οὐδέν.
Præter auaritiã nihil eſt quo Sparta labaſcet.

Ἀ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.
Vnica paupertas, Diophantes, ſuſcitat artes.

Ἀγνεῦσαι δ' ἀκοὰς βλασφημοσυνᾶς ἀλεγεινᾶς.
Obturato aures blaſphemiæ maledicæ.

Ἀγρὸς καὶ πόλιας σοφίη, καὶ νῆα κυβερνᾷ.
Agros & urbes, & navem, gubernat ſapientia.

Ἀγχιχὼν κεφαλλᾷ, ἵνα μὴ πάλιν ἀλλοὶ ἀκούσῃ.
Admoto capite, reliqui ne audire valerent.

Ἀειδὸν κόρυδοι, καὶ ἀκανθίδες, ἔστενε τρυγών.
Cantabant corydi & ſpini, turturque gemebat.

Ἀείσω ξωστῆς, θύρας δ' ὀπιθόπε βεβηλοί.
Cordatis cantabo, fores tamen obde prophane.

Ἀθάνατον ψυχὴ, καὶ χρῆμα σὸν, ἀλλὰ φθορείης.
Eſt anima immortalis, & incorrupta manebit.

Αἰακίδαι πολέμῳ κεχαρεῖσθε, ἤγε σαωτί.
Aeacidæ magis virtuti ſtuduerũt quã voluptati.

Αἰγὸς ὀπισθοτρίχου ἐρυθροῖ πήρη ἀρίστη.
Anniculæ capræ ruffæ pera optima fertur.

Αἰδεῖσθαι ξενίων κεχρημένον, ἠδὲ πρόμοιο.
Reverēter habete indigos eleemosynarū ac hospitij.

Αἰδέομαι τρῶας καὶ τρωάδας ἑλκεσιπέπλους.
Trojanos vereor & Trojadas vittatas.

Αἴδεσθεν μὲν ἀνιώσθαι, δεῖ σαγ' δ' ὑποδέχθαι.
Detrectare pudor, formido subire vetabat.

Αἰδομένων τ' ἀνδρῶν πολέονες ἔσσι, ἢ πέφανται. (pereūt.
Hominū in quibus pudor est, plures servāturquàm

Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ κομίζειν.
Pudor minimè bonus viro egenti.

Αἰδὼς δ' ὀιχομένη πάντων ψυέτερα κακίστων.
Protinus exstincto subeunt mala cuncta pudore.

Αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄπασι πελάζει.
Semper vir procrastinator cū damnis luctatur.

Αἰεὶ δ' ἐν βουλῇσι γέρων πολύϊδρις ἀμείνων.
Semper in cōsiliis dandis senex peritiùs utilior est.

Αἰεὶ ὑπερφιάλων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.
Semper juvenū mentes superbæ sunt.

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.
Primas usq; tenere, alios q; excellere laude.

Αἰετὸς ὡς γίγνῃ, καὶ πάσης γῆς βασιλεύεις.
Quippe aquila es terræq; omnē dominaris in orbē.

Αἰθομένῃ ἢ πυρὸς ἠεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι.
Scilicet ascenso domus est ornatior igni.

Αἴκε πάθοι τάκ' ἔρεξε, δίκη δ' ἰθεῖα γένοιτο.
Si patiatur quæ fecit (aliis) pœna justa fuerit.

Αἰξ

Αἶξ ἄπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ὀπὶ δώματα παίζει.
Nondũ enixa capra, & jã ludit in ædibus hædus.

Αἰπήλιὸν ἐλάτην ἔρις ὤρορεν αἴσυλα φάσθαι.
Excelsam abietem ira novit impia dicere.

Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι. (redire.
Turpe est diu manere (in terrâ peregrinâ) ac vacuũ

Αἰτίζων ἀκόλως, οὐκ ἄορας, οὐδὲ λέβητας.
Deposcens micas, non enses néve lebetes.

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.
Rebus in adversis venit accelerata senectus.

Ἀκμὴν ἑπταέτης ὢν οὐκ ἀνέφυσεν ὀδόντας.
Septennis cùm sit, nondum edidit dentes.

Ἄλκιμος ἔσσο, ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων ἐσσῇ.
Strenuus esto, quo te posteritas quoque laudet.

Ἀλλ' αἰεί τι Διὸς κρείσσων νόος, ἠέπερ ἀνδρῶν.
Semper Iovis voluntas potentior est quã hominũ.

Ἀλλ' εἰ ταῦτα δοκεῖ, καγὼ μαυτῷ βαλανεύζω.
Balneum & ipsse mihi, si hæc vobis grata, pararo.

Ἀλλ' ἐμὸν αὖτε χρεῖος, ὅ μοι κακὸν ἔμπεσεν οἴκῳ.
Malũ nostras qui ædes incidit, unũ ad me pertinet

Ἀλλ' ἔτι μὲν καὶ ὣς κακά περ πάσχοντες ἵκοισθε.
Pervenietis adhuc, quanquã mala plurima passi.

Ἀλλ' ἐσθλῷ κακὸν ἄγχι πελάσσαι ἔκ τινος αἴσης.
Bono malũ aliquod adjunctum est fato quodam.

Ἀλλ'

Αλλ' ἐφομαρτεῖτον. πλεόνων δὲ πἔργον ἄμεινον.
Adsitis: multorũ industria plus pollet quã paucorũ.

Αλλ' ὁ μὲν ἀρ μύθοισιν, ὁδ' ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα.
Alius eloquentia, alius robore præstat.

Αλλ' ὅγε σιγῇ δῶρα θεῶν ἔχοι, ὅττι δοσοῖεν.
Possideat tacitus si qua adsunt munera divũm.

Αλλ' ἃ πάντα πελᾶσι θεοὶ μογεροῖσι βροτοῖσιν.
Non cuncta præstant dij miseris mortalibus.

Αλλ' ὁδ' ὡς χειδίης ἐπελήθετο, τληόμενός περ.
Ac neq; sic, licet afflictus, oblivia cepit navigii.

Αλλ' οὐκ Ατρείδῃ Αγαμέμνονι ἰῶδλανε θυμῷ.
At non Atridæ sic est Agamemnoni visum.

Αλλ' οὐκ ἐὸν ὑπαλύξαι, ἃ δὴ πεπρωμένα κεῖται.
Non licet effugere, quæ fato decreta sunt.

Αλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν.
At non auguriis fatum sibi depulit atrum.

Αλλ' ἔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἐλέσθαι.
At non cuncta potes unus simul omnia ferre.

Αλλὰ δόκει μὲν πᾶσιν ὑπὸ γλώσσης φίλος εἶναι.
Sic facito ut lingua cunctis videaris amicus.

Αλλὰ μόνον μίξις τε, διάλλαξίς τε μιγέντων.
Natura solũmodo mixtio est, & alteratio mixtorũ.

Αλλὰ δ' Ζεὺς ἀνθρώποισι νοήματα πάντα πελάσσαι.
Non Iupiter cuncta vota mortalibus perficit.

Ἄλλα τὰ μὲν θέρεος, τὰ δὲ γίνεται ἐν χειμῶνι.
Alia æstatis tempore, alia verò hyeme fiunt.

Αλλὰ

Αλλὰ τὰ μὲν πεπρόβηκε ἀμήχανα ἔτ' ἐστὶ γενέσθαι.
Quæ quidem præcesserunt, impossibile est iterũ fieri.

Ἀλλὰ τὰ μὲν παρατύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ.
Quæ antè facta sunt sinamus, tametsi dolentes.

Αλλὰ τὸ μὲν φάσθαι, τὸ δὲ γ' αὖ κεκρυμμένον εἶναι.
Dicendum est aliud, contra est aliud reticendum.

Ἄλλον δ' ἄλλα κέλευθα φέρει γενόεντα ὀλέθρου.
Alius alio mortis genere extinguitur.

Ἄλλον γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.
Alius homo aliis movetur studiis.

Ἄλλοτε γάρ τε φίλη πέλεικὼς, ἄλλοτε δ' ἐχθρή.
Ipsa dies quandoq; parens, quandoq; noverca est.

Ἄλλοτε δ' ἀλλοῖον πέλεθον καὶ χώρος ἔπεσθαι.
Prout loco nunc hoc fieri, nunc expedit illud.

Ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὄγε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ.
Nunc lætis vitam miscet, nunc tristibus idem.

Ἄλλοτε μὲν ζαερδὸν πέλεθ', ὅτε δ' ἤπιον εἶναι.
Quandoq; terribilem, quandoq; etiam facilẽ te præbeas hominibus.

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.
Aliquãdo noverca existit dies, aliquãdo verò mater.

Αμβολίη χειμῶνος ὀφέλλεται ὕστερα ἔργα.
Dilatio hyemis commoda est seræ arationi.

Αμφότεροι κλῶπες, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ κλέψας.
Vtrique fures sunt, & qui recipit, & qui furatur.

Ανδράποδ' ἐκ Φρυγίας ἀπὸ δ' Ἀρκαδίας ἐπικούρους.
Mancipia ex Phrygiâ, sed ab Arcadiâ auxiliares.

Ἀμφότερον, βασιλῆός τ' ἀγαθὸς κραταιρός τ' αἰχμητής.
Et juxta ductor bonus, & certamine pollens.

Ἀνδράσι γὰρ πινυτοῖσι πέλει νόος ἤπιος αἰεί.
Viris sapientibus semper mens blanda est.

Ἀνδράσι δὲ κρείσσοισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήζω.
Cum potiore viro nolim certamen inire.

Ἀνδράσιν ἐκ καμάτοιο πέλει θαλίη τε καὶ ὄλβος.
Hominibus labore paratur Lætitia, & opulentia.

Ἀνδρὶ γὰρ ἀχαλόωντι παραίφασις ἐστὶν ἄκοιτις.
Viro indignanti consilium & solatium est conjunx.

Ἀνδρὶ γε Φυρκαίῳ οἶκος φίλος, οἶκος ἄμεινος.
Non domus es melior Gephyræo, præ domo amica.

Ἀνδρὶ δ' ἢ κεκμηῶτι μέγος μέγα οἶνος ἀέξει.
Viro defatigato vinum valde auget robur.

Ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν.
Dii tibicinibus nunquam mentem inserere.

Ἀνδρὸς δ' ἐσθλοῦ γένεη μετόπισθεν ἀμείνων.
Viri justi progenies postea felicior est.

Ἀνδρὸς μὲν παῖδες στέφανοι, πύργοι δὲ πόληος.
Viri corona sunt liberi, turres autem urbis.

Ἀνέρες ἐστὲ φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς,
Eja estote viri, validasq; expromite vires.

Ἄνθρωποι κενεῆς οἰήσιος ἐμπλεῷ ἀσκοί.
Homines, vanæ persuasionis pleni utres sunt.

Ἀνθρώπους

Ἀνθρώπους τίνυσι), ὅστις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ. (*jurarint. Homines puniunt (dii) quicunq; (ex ipsis) perjurium*

Ἀντ' εὐεργεσίης ἀγαμέμνονα πῆμαν ἀχαιοί. *Pro beneficiis Agamemnonẽ Græci affecerũt supplicio.*

Ἀντίοχ' ἐς νεὼν ἐλθὲ, καὶ ἐν πενίᾳ μὴ ὀδύρευ. *Antiooche, apud animum reputa, ac noli in paupertate tristis esse.*

Ἀπλήστησε κακοῦ βουλὴ πρὸς ὑστέρξιον ἄτλῳ. *Incidit extremam in noxam mens improba tandem.*

Ἀργαλέον φρονέοντα παρ' ἄφροσι πολλ' ἀγορεύειν. *Dicere multa grave est sapientem apud insipientes.*

Ἀργαλέος γάρ τ' ἐστι θεὸς βροτῷ ἀνδρὶ δαμῆναι. *Difficile est ut Deus cogatur ab homine.*

Ἀρρήτων ἐπέων γλώσσης σφρηγὶς ἐπικείσθω. *Arcanum ut celet, claudenda est lingua sigillo.*

Ἀρχὴ ἰᾶσθαι πολὺ λώϊον, ἢ τελεωθῆναι. *Multo quàm finem medicari initia præstat.*

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις. *Aureis pugnato hastis, & omnia expugnabis.*

Ἀσέμε δαίμονες αἶσι κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶν. *Mi mala fata deũm nocuerunt, visũ Lyæi.*

Ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι ἀ θέμις ἐστίν. *Vter tingeris, sed mergere nemo valebit.*

Ἀστέρες ἀνθρώποισι τετυγμένα σημήνασι. *Astra hominibus facienda indicant.*

Ἄσσον ἴθ' ὥσκεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι. *Appropera ut citius lethi confinia tangas.*

Αὐτὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς τότε μὲν κακὸς, ἄλλοτε δ' ἐσθλός.
Vir bonus nunc pravus, nunc bonus est.

Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοισιν ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροισιν.
Aedibus in nostris ego regem gessero sane.

Αὐταρκὴς ὁ πεῖνος ἔχων ἄλα καὶ δύο κέμμυα.
Senex cōtētus est, habēs sal & duos panes hordeaceos.

Αὐλίκα καὶ φυτὰ δῆλα ἃ κέρπιμα ἐστὶ γενέσθαι.
Mox etiā plātæ manifestæ fiunt, quæ fructiferæ futuræ sunt.

Αὐτόματοι ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν.
Sponte boni accedunt convivia læta honorum.

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δυώνᾳ.
Aut mensura cadē, aut melius quoq;, siqua facultas.

B

Βαῖν' ἀπ' ἐμῶν τριπόδων, ἔπι τοι φόνος ἀμφὶ χέρεσσι.
Cede meis mensis, manibus nam sanguis adhæret.

Βάκχᾳ μέτρον ἄριστον, ὃ μὴ πολὺ, μήδ' ὀλίγιστον.
Vini potus optimus, qui nec nimius, nec etiā minimus.

Βέλτερον ὑπνώειν, ἢ ἐπὶ πλέον ἀλαπινάζειν.
Satius est dormire, q̄ nimium in convivio bibere.

Βέλτερος ἀλκήεντος ἔφυ σοφιζομένου ἀνήρ.
Præstantior est robusto vir sapiens.

Βλάπτει, ὃς ἂν μιν χαύδον ἕλῃ, μήδ' αἴσιμα πίνῃ.
Lædit (vinum) si quis ipsum largiter sumpserit, neq; modicè biberit.

Βυλὸς

Βυλεύου δὲ πρὸ ἔργου, ὅπως μὴ μωρὰ πέλῃται.
Delibera ante opus, ne stulta sint quæ agis.

Βάτις μὲν ἐλέγου, νυῦ δ' αἰπόλω ἀνδρὶ ἔοικας.
Caprigeni gregis es ductor, paulò ante bubulcus.

Γ

Γαστέρα μοὶ προφέρεις, κάλλιστον ὄνειδος ἁπάντων.
Ventrem mi objectas, quo probrum haud pulchrius ullum.

Γαστρὸς ἀπὸ πλείης, βυλὴ καὶ μῦθος ἀμείνων.
Ventre repleto ad consilia & cogitandum sumus expeditiores.

Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί,
Vicini incincti, cincti venêre propinqui.

Γλώσσῃ νοῶν ἐχέμεν, κρεῖσσον λόγον ἐν φρεσὶν ἔχειν.
Prudenter loquere: utile namq; est prudentiam in pectore habere.

Γρηῢς ἀναπροπίσσα πολὺν κονιορτὸν ἐγείρει.
Anus subsaltans multum pulverem excitat.

Δ

Δειλαί τοι δειλοῖσιν ἐφεδρήζουσι πέλειαι.
Trepidæ columbæ assident trepidis.

Δειναὶ γὰρ κατὰ γαῖαν ἐριννύες εἰσὶ τοκήων.
Sunt vehementes in terrâ parentum furiæ.

Δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.
Forsan & innocuum culpet vir sævus & acer.

Δελφὸς ἀνὴρ στέφανον μὲν ἔχων, δίψῃ δ' ἀπολωλώς.
Vir Delphus dum portat serta siti exanimatur.

Δένδρον δ' ὡς ἔστηκε σιδηρείαις ὑπὸ ῥίζαις.
Constitit ut solidis ferro radicibus arbor.

Δηρὸν βουλεύου, ἵν' ἔχῃ καὶ πολλὸν ἄμεινον.
Consultato diu, multum ut præcellere possis.

Δίζεσθαι βιοτὴν, ἀρετὴν δὲ ὅταν βίος ἔλθῃ.
Quærendus victus; virtus autẽ, ubi victus affuerit.

Διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι.
Huc animus mihi versanti inclinat & illuc.

Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ' ἄμεινον.
Persuasio quidem falsa hominibus magnum malum est, experientia verò optimum.

Δὸς ἄρτον τυχὸν κῆ κώνδυλον ὄψον ἔπ' αὐτῷ.
Porrige, si possis panem, hinc obsonia pugnos.

Δορὶ πεζομένους τοὺς μὴ σὺ κτεῖνε σιδήρῳ.
Hasta victos noli occidere ferro.

Δύσζηλοι γάρ τ' ἐσμὲν δὴ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων.
Quippe homines plerique sumus male suspiciosi.

Δῶρα γὰρ ἀνθρώπων νοῦν ἤπαφεν, ἠδὲ καὶ ἔρκος.
Hominum mentes cum factis munera fallunt.

Δῶρα θεοὺς πείθει, καὶ αἰδοίους βασιλῆας.
Cum Divis flectunt venerandos munera reges.

Δὼς ἀγαθὴ, ἅρπαξ δ' ἢ κακὴ, θανάτοιο δότειρα.
Donatio bona est, rapina autem pernicioſa, ac mortis conciliatrix.

Δώτη

Δώτῃ μέν τις ἔδωκεν, ἀδώτῃ δ' οὔτις ἔδωκεν.
Danti aliquis dedit, at non danti non dedit ullus.

E

Εἰ βόρρας πηλὸν καταλήψεται, αὐτίκα χειμών.
Molle lutum Boreas si prenderit, illico hyems.

Εἰ δὲ κακὸν τ' εἴποις, τάχα κ' αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις.
Si maledixeris, fortè etiam ipse pejus audies.

Εἰ δὴ ὁμῶς πόλεμός τε δαμᾷ καὶ λοιμὸς Ἀχαιούς.
Iam pariter subigit bellumq; & morbus Achivos.

Εἰ δυνάμην τελέσαι γε, καὶ ἐκ τετελεσμένον ἔσται.
Si præstare queam, & fieri res ipsa potesit.

Εἰ ὁ νότος Βορέαν προκαλέσεται, αὐτίκα χειμών.
Illico hyems fit, ubi Boream accersiverit auster.

Εἶης μοι, μέτρον δ' εἶης τῶς, μήδ' ὑπολείποις.
Adsis quidem mihi, sed temperatè moderateq;, nec desis.

Εἰκ' ἐθέλων τε μένοις· ἀέκοντα δέ σ' οὔτις ἐρύξει.
Si maneas sponte: invitum nemo retinebit.

Εἴκε πάθοι τάκ' ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο.
Si quis patiatur quæ fecit, justa pœna illa fuerit.

Εἷς ἐς αὐτοτελὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
Vnus perfectus per se, ex uno omnia facta.

Εἴκε πάθοι πάκ' ἔρεξε, δίκη ἐθεῖα γένοιτο.
Si quis patiatur quæ fecit, justa pœna illa fuerit.

Εἷς ἐς' αὐτοτελὴς, ἐνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
Unus perfectus per se, ex uno omnia facta.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμυνέσθαι περὶ δείπνου.
Una avis optima, pro cœna pugnare tuenda.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμυνέσθαι περὶ πάτρης.
Unum augurium optimum est, pugnare pro patriâ.

Εἰς ὄρος ὀκχ' ἕπῃς, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο βάτῃ.
Batte cave pedibus nudis perrepere montem.

Εἰς σκῶλον μήτ' αὐτὸς ἴμεν, μήτ' ἄλλῳ ἕπεσθαι.
Nec per te Scolon ipse, nec ulli alij comes ito.

Ἐκ μοισᾶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισι.
Ex Musis bona fama provenit hominibus.

Ἐκ νυκτῶν ἄνεμοι χαλεποὶ δηλήματα νηῶν.
Noctu venti vehementes sunt Navium damna.

Ἐκ πίθου ἀντλεῖς δῆλον. ἐγὼ δ' ἔχω ὀχ ἅλις ὄξος.
Dolia plena fluunt tibi, sed mihi vix sat aceti est.

Ἐκ τοῦ βοὸς δεῖ τὸς ἱμάντας λαμβάνειν.
Oportet lora sumere ex ipso bove.

Ἐλπέσθαι χρὴ πάντ', ἐπεὶ οὐκ ἐς' ἀδύνατον ἄελπτον.
Speranda sunt omnia: nihil enim non sperari potest.

Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Sperandum est vivis, non est spes ulla sepultis.

Ἔμμορέτοι λιμῆς, ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ. (πῦ.
Sortitus est rem preciosam, qui sortitur bonũ vici-

Ἐν

Ἐν γὰρ ἀπηχαίῃ καὶ κάρκινος ἔμπορε τιμῆς.
Fert rebus desperatis & cancer honorem.
Ἐν γὰρ χερσὶ πλοῦτος πολέμοιο, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ.
Bella manu constant, at consultatio dictis.
Ἐν δ' ἰῇ ἴσῃ ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός.
Par honor ignavo, viro & virtute valenti.
Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετ' ἐστίν.
Iustitia in se virtutem complectitur omnem.
Ἐν δὲ δυσφασίῃ καὶ τάγκακος ἔμμορε τιμῆς.
Rebus turbatis vel pessimus est in honore.
Ἐν δὲ διχοστασίῃ κ' ἀνδροκλείδης πολεμαρχεῖ.
Seditione orta dux est etiam Androclides.
Ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἶρος, κρείων τ' ἀγαμέμνων.
In eadē sorte sunt Irus mendicus, & Rex Agamēnon.
Ἐν δὲ λίθοις ἐμάχοντο, λίθον δ' οὐκ ἶφι ἀνελέσθαι.
Pugna erat in saxis, neq; saxum tollere quibant.
Ἐν κορυδοῦ κοίτῃ σκολιὴ κέκρυπται ἀγρωστις.
Ramosum gramen nido occultatur alaudæ.
Ἐνδ' ἀπάτῃ παύρη σύνεσις, καὶ νόος ἀλαπαδνός.
In mendacio paucus intellectus, & mens exigua.
Ενθ' ὅ, τε δῆλος ἀνὴρ ὅς τ' ἄλκιμος ἐξεφαάνθη.
Illic qui vir iners, qui strenuus ipsa docet res.
Ἐξ ἰάδος χώρης ἦκεν σοφὸν ἰταλίησιν.
Ex Græciæ terrâ venit sapientia Italis.
Ἐξάνδα, μὴ κεῦθε νόῳ. ἵνα εἴδομεν ἄμφω.
Eloquitor, ne celato: quo norimus ambo.

Ἐξάντης λώζω τ' ἀμὸν κακὸν ἄλλον ἔχοντα.
Indemnis spectabo alium mala nostra ferentem.

Ἔργα νέων, βυλαὶ δ' μέζων, αὐχαὶ δὲ γερόντων.
Vota senum, consulta virorũ, & facta juventæ.

Ἔργα νέων, βυλαὶ δὲ μέζων, πορδαὶ δ' γερόντων.
Res juvenũ, consulta virûm, crepitus seniorum.

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος.
Labor verò nullũ opprobrium; sed ignavia dedecus.

Ἐσθλά τε καὶ τὰ κέρδεα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.
Et bona & mala in deorum potestate sunt.

Ἐσθλὰ μὲν ἐσθλὸς ἔδυνε, χέρεια δ' χείρονι δόσκεν.
Egregia egregius subit arma, ac deteriori deteriora dedit.

Ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος ἄσιμα εἰδῇ.
Hoc quoque præclarum est, ubi nuncius optima novit.

Ἐσθλῷ μὲν φίλος ἐσθλὸς ἀνὴρ, κακεπῷ δ' ἀλεγεινός.
Bono bonus vir amicus est, improbo autẽ improbus.

Ἐστι πύλος, πρὸ πύλοιο, πύλος γε μέν ἐστι καὶ ἄλλος.
Est Pylus ante Pylum, siquidem est Pylus altera sanè.

Ἐστι τόκος πρὸ τόκοιο, τόκος γε μεν ἐστι καὶ ἄλλος.
Usura usurâ prior, usura altera sanè est.

Ἐστιν ὀλίγου τὸ καλὸν, ἔστι παυλαχῆ καὶ τίμιον.
Rarum bonum est, ubiq; fitq; plurimi.

Ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀπερ ευγενέσιν ἑῶον.
Vespertinum amant, sed oderunt matutinum.

Εεὺς

Ἔσω σοι πόσις ἔστω, ὃν ἂν κείνωσι τοκῆες.
Hic tibi sit maritus, quemcũq; parentes decreverint.

Ἔσχατος ἡρώων Κλεομήδης Ἀστυπαλαιεύς.
Vltimus heroum Cleomedes Astypalæus.

Εὖ ἔρδων, εὖ πρᾶσσε. τί κ' ἄγγελον ἄλλον ἰάλλεις;
Benefaciens rectè fac. quare præconem aliũ requiris?

Εὐδαίμων μὲν Κόρινθος, ἐγὼ δ' εἶμι Τεγεάτης.
Fortunata Corinthus; at ego sim Tegeates.

Εὔδαιμον πολίεθρον ἑνὸς κήρυκος ἀκοῦσαι.
Vrbecula est felix, quæ præconem audiat unum.

Εὗρε Θεὸς τὸν ἀλιτρὸν, ἔχεις πάλαι ὧν ἐπεθύμεις.
Invenit Deus impium, habes quæ olim cupiebas.

Εὑρήσεις Γαλάθειαν ἴσως καλλίονα ἄλλαν.
Invenies Galatheam vel meliorem invenies aliam si te hic fastidit Alexis.

Εὐσεβέσιν μὲν ἀεὶ πέλει γλυκερώτερον ἦμαρ.
Piis finis semper placidior contingit.

Εὐσεβέων παίδεσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ' ἐ.
Piorum liberis bona (eveniunt:) impiorum verò liberis minimè.

Ἐχθρὲ πελασπόνεσσι φίλ' ἀθανάτοισι θεοῖσι.
Finitimis invise, Deis dilecte beatis.

Z

Ζεὺς, βασιλεὺς, ζεὺς αὐτὸς ἁπάντων ἀρχιγάμβλος.
Iupiter idem rex cunctorum, principiamque.

Ζεὺς

Ζεὺς γὰ τοι τὸ πάλαντον ὑπερρέπῃ ἄλλοτε ἄλλῳ.
Nunc etenim huic libra inclinat, nunc Iupiter illi,

Ζεὺς δ' ἀρετὰν ἀνδρεσσιν ὀφέλλει τε, μινύθῃ τε.
Iupiter virtutem hominibus auget, minuitque.

Ζεὺς κεφαλὴ, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
Deus initiũ ac medium est, ac à Deo omnia facta sũt.

Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ ἀστερόεντος ὀράνου.
Iupiter est terræ fundamentum, cælique micantis.

Ζωὸς ἀλιμάσσοντες, ἀποφθιμένου πόθεσσι.
Viuũ ignominiâ afficientes, mortuum verò desiderãt.

H

Η ἧ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
Malum consilium ipsi consultori est pessimum.

Η' ἧ μακρὴ ἀναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη.
Longa dilatio differenti nocentissima.

Η' κώδων ἀκαλανθὶς ἐπειγομένη τυφλὰ τίκτει.
Cæca parit properato Acalanthis tinnula nixu.

Η' μὲν δὴ λώβη τάδε γ' ἔστεται αἰνόθεν αἰνῶς.
Dedecori res ista profectò dedecus addit.

Ηπέδαιος ἧ νύ τοι θεράπων, σεσάδες δέ τοι ἵππω.
Cornipedes tibi sunt tardi, signisque minister.

Η' πλήρης μὲν ἐλαφροτέρη, κενὴ ἧ βαρεῖα.
Plenus is est levior, gravis idem ubi pẽdet inanis.

Η'ν δ' ἀγαθὸν φρονέῃς ἀγαθῶν καὶ τεύχεαι ἔργων.
Bona consilia bona etiam sequuntur opera.

Η'ὼς

Ἠὼς γάρ τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν.
Aurora laboris tertiam sortitur partem.

Θ

Θάρσει, ἐπεὶ δαίμων ἕτερον πλόον ἡγεμονεύει.
Fac tuũ officium, deinde Deus reliquũ cursũ guber-

Θάρσει μᾶλλον, ἐπεὶ ἔστι καὶ θεοῦ ἥδε γε βουλή. *(nabit.*
Fide, hoc consilium non est sine numine, nutrix.

Θνητὸς ἐὼν κατὰ σάρκα, σοφὸς περατώδεσιν ἔργοις.
Corpore mortalis, sapiens per facta stupenda:

Θρεπτὰ φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθαδίῳ δὲ οἱ αἰών.
Dilectis nutricationis præmia persolvit.

Θρέψαι τὼς λυκιστὰς, θρέψαι κύνας, ὥστε φάγωνται.
Pasce canes quite lanient, catulosq; luporum.

I

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν αἱρετός ἐστιν ἄλλων.
Medicus vir multis præferendus est aliis.

Ἵππευς ἱππεύειν ἐδάη, καὶ ἀοιδὸς ἀείδειν.
Eques equitare novit, & cantor canere.

Ἵπποι γὰρ σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν.
Equi crabronum sunt generatio, tauri autem apum.

Ἵπποι μὲν ἵπποισι, βόες δέ τε βουσὶν ὅμοιοι
Equi equis, & boves bobus similes sunt.

Ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κύκλα ἐπίβαλλε.
Equo senescenti minora onera imponito.

Ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.
Plurima narrabat figmenta simillima veris.

Ἰζω

Ἴσον δὲ αὐ καὶ ἄνασσα καὶ δμωὶς φέρει ἀνάγκην.
Eandem mortem moriuntur & regina & famula.

Ἶσον τι κυάμους τε φαγεῖν, κεφαλάς τε τοκήων.
Fabas edere, & capita parentum idem est.

Ἰσὸς ὑφαινόμεν ἄλλῳ κακὸν, ἄλλῳ ἄμεινον.
Tela texta, alii malum, alij commodum afferet.

Ἰσχὺς ἀπήμβλυται τ', νοῦς θεῖον ἦ μενοινᾷ.
Robur senibus debile est; sed mens divina valet.

K

Καὶ βραδὺς εὔβουλον ἔλεν ταχὺ ἄνδρα διώκων.
Callidus ac tardus celerem insectando prehendit.

Καὶ γὰρ ἐπ' ἀγλαΐῃ ζηλήμονες εἰσὶ γυναῖκες.
Ob pulchritudinem in admiratione sunt mulieres.

Καὶ γὰρ ἐγὼ θεός εἰμι, γόνον δέ μοι ἔνθεν ὄθεν σοι.
Ipsa etiam dea sum, genus inde mihi unde tibi ortus.

Καὶ δ' ἀνθ' ἁ κωμάζα ἄγει βροτολοιγὸν Ἄρηα.
Pestiferum Martem rursum exagitat cynomya.

Καὶ δ' ἔχει ἥβης ἄνθος, ὅτε κρατὸς ἐστὶ μέγιστον.
Flos quoque adest ævi, cujus tunc maxima vis est.

Καὶ

Καὶ ζῶν ὁ φθιμένῳ φθιμένος δ' ἔτι πολλὸν ἀγήρως.
Et vivus & defunctus non senescet: defunctus autem minus quàm vivus.

Καὶ δόμεν ὅσκεν δῶ, καὶ μὴ δόμεν ὅσκεν μὴ δῶ.
Dato ei qui dederit; & non dato ei qui non dederit.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.
Et figulus figulo infensus est, & faber fabro.

Καὶ μάλα τηρόμενοί περ ἀναγκαίη γὲ ἐσείκει.
Quamvis afflicti nimium: sed fatum ita cogit.

Καί περ ἐὼν ὀλίγος, μνᾶσθαι ἐπήχθω ἀθηναίων.
Tametsi parvus existens, tamen ambire audet formosam Minervam,

Καὶ πολιοί περ ἐόντες ἀναγκαῖοι πολεμιστής.
Aetas cana quidem, sed non inidonea bello.

Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.
Mendicus mendico invidet, cantorq; cantori.

Καίκε γυνὴ φέροι ἄχθος, ἐσείκεν ἀνὴρ ἀναθείη.
Mulier portaverit onus, si vir imposuerit.

Καίκεν ἐγὼν ἐπέεσσι καὶ ἀθανάτοισι μαχοίμην.
Sane ego vel divis possim contendere lingua.

Καιρῷ λατρεύειν. μηδ' ἀνιπτόειν ἀνέμοισι.
Tempori servito, neque repugnes ventis.

Καίτε κασιγνήτῳ γελάσας ἐπὶ μάρτυρα θέσθαι.
Et fratri per risum jocatus, testem adhibeto.

Κάλλιστον τὸ δικαιότατον. λῷστον δ' ὑγιαίνειν.
Pulcherrimum est, quod justissimum: optimum verò sanum esse.

Κάλλ-

Κάλλος ἄνευ χαρίτων τέρψει μόνον, οὐ κατέχει δέ.
Forma sine morum suavitate, solum delectat, sed non detinet.

Καππαδόκαι, Κᾶρες, Κίλικες, τρία κάππατα κάκιστα.
Cappadoces, cares, cilices, tria pessima cappa.

Κάτθανε ὁμῶς ὅτ' ἄτυμβος ἀνὴρ, ὅς τ' ἔλλαχε τύμβου.
Moritur simul & qui sepulchro caret vir, & qui tumbam sortitur.

Κάτθανε ὁμῶς ὅτ' ἀεργὸς ἀνὴρ, ὅτε πολλὰ ἐοργώς.
Strenuus, ut segnis, fato potiuntur eodem.

Æqualis est ratio: citò adfectus cadit.) *Sunt verba Senecæ ex libro* I. *de Ira cap.* XVI: Ira incipit magno impetu, deinde desinit ante tempus fatigata, & quæ nihil aliud quàm crudelitatem ac nova genera pœnarum versaverat; cùm animadvertendum est, jam fracta lenisque est. Affectus citò cadit: æqualis est ratio.

Æquo ferendum est animo, fors quidquid feret.) *Est ex Phormione Terentij.*

Æquum est homini cuique esse rem suam in manu.) *Versus Plauti, actu I. sc. 2. versu 116. Mercat.*

Æquum est curare semet lassos de viâ.) *Et hic versus juvenitur in Pseudolo Plauti, actu* II. *sc.* II. *numero* LXVI.

Æstate

Æstate somnus sub lucem est profundior.) *Livius libro* IX. *capite* XXXVII. *m*: Dato deinde signo paullò ante lucem, quod æstivis noctibus sopitæ maximè quietis tempus est, proruto vallo, erupit acies. *Ducibus convenit versus, dum enim id norint, poterunt feliciter invadere urbes hostiles.*

Ætas mala ipsi merx mala est tergo senum.) *Formatus versus ex Plauti Menæchmis, act.* V. *sc.* II. *versu* VII.

Ætas senecta ambitionis malum atterit.) *Dictum Synesii Epistolâ* LX. *m.* Et ita reverâ est, omnes exstinguit cupiditates ætas grandior, præterquàm avaritiæ unam. *consulatur Seneca Epistolâ* XII. *m. Herodianus de pertinace ad Imperium vocato libro*, II. *cap.* V: ὁ δὲ τὰ μὲν πρῶτα, παρῃτεῖτο τὴν ἀρχήν τὸ ἐπισφαλὲς, γήρᾳ τε σφετέρῳ, συγγνώμης ἐδεῖτο: At ille recusare instituit, tanquam rem invidiosam, nomen Imperii; excusare senectutem, veniamque orare. Inde monstro simile *Suetonio, quod novarum rerum inceſſeretur L. Andasius*, neque ætate, neque corpore integer, *capite* XIX. *Augusti. nec alio tendunt ista Taciti libro* IV. *Annal. cap.* XXIX: Tum accusator Gnæum Lentulum & Sejum Tuberonem nominat: magno pudore Cæsaris; cùm primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremæ, Tubero defecto corpore, tumultus hostilis & turbandæ reipublicæ arcesserentur. *Quintus Cicero de petitione consulatus cap.* II. *f:* Ille hominem optimum Quintum Cæcilium, sororis suæ virum, equitem Romanum, nullarum partium, cùm semper naturâ, tum etiam ætate jam quietum, suis manibus occidit.

Ætatis omnis homines admittit schola.) *Etiam maximè*

maximè senes. Notissimus est versus Solones.

Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

videantur plura huc pertinentia apud Senecam Epistolâ LXXVI. *pr; apud Manuelem Imp. Regiæ: educationis capite* LXXV.

Ætatis in animo haud sentias injuriam.) *Fictum videtur ex Senecæ verbis Epistolâ* XXVI: Non sentio in animo ætatis injuriam, cùm sentiam in corpore: tantum vitia, & vitiorum ministeria senuerunt. Viget animus &c.

Ætas senecta, ut corpus, sic animum terit.) *Hinc dictitat L. Furius apud Livium libro* VI. *cap.* XXIII. *m:* Iuvenibus bella data; & cum corporibus vigere & desloresceré animos. *Et apud eundem lib.* X. *cap.* XIII. *p. Quintus Fabius:* Quid se jam senem ac perfunctum laboribus laborumque præmiis, sollicitarent? nec corporis nec animi vigorem remanere eundem, &c.

Ætate fessas sacramento solvitur.) *Tacitus libro* XVI. *Annal. cap.* XIII. *f:* Dilectus habiti supplendis Illyrici legionibus, ex quibus ætate aut valetudine fessi sacramento solvebantur.

Ætate primum est in nostrâ, quod optimum est.) *Allusum illi Virgiliano:*

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Ætatibus siccis est ira fortior.) *Proderit istud scire, ne tales provocentur ad iram; aut si provocentur, norimus eorum ætatum iras non crescere; neque multum sibi adjicere: quoniam mox inclinatum calorem insequatur frigus; ut loquitur Seneca, libro* II. *de Irâ capite* XIX. *f.*

Æterna

Æterna miseria est, torqueri alienis malis.) *Videtur dicere, haud æmulandum nobis Heraclitum, qui quoties processerat in publicum, flebat vitia hominum, moresque publicos. qui enim eam viam institerint, Crasso similes, nunquam ridebunt: adeo ubique & semper occurret scelerum turba, & quidem felicium.*

Aliquando & insanire jucundissimum est.) *Est hoc Proverbio Græco: quo ipso defendamus viros magnos, si quando obsecuti Platonis decreto (lib. II. de Legibus) largiore vini invitatione, edulcarint sibi amara curarum, nempe* Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. *Seneca.*

Aliquando, & vivere ipsum, est facere fortiter.) *Quemadmodum Socrates qui pertulit Athenis triginta tyrannos. Prudenter Martialis libro* XI. *Epigr.* LVII.

Rebus in angustis facilè est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Aliquando sapiens parte contentus sui est.) *Si illi videlicet hostis manum inciderit, si casus oculum excusserit. videatur Senecæ Epistola* IX. *è quâ versus hujus verba petita.*

Aliquando pœna, facinus dum monstrat, docet.) *Est & istud à Senecâ, pluribusque illustrat libro* I. *de Clementiâ, capite vigesimo tertio.*

Aliquando victis ira etiam ac virtus redit.) *Alludum forsan ad Virgilianum illud libro* II. *Æneid. vers. 567:*

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

sed inveni tamen apud Tacitum in vitâ Agricolæ, cap. XXXVII: Passim arma & corpora, & laceri artus, & cruenta

cruenta humus, & aliquando etiam victis ira virtusque.

Aliquid loqui ingens, nisi mens mota, non potest.) *Inde, juxta Platonis sententiam,* Frustra poëticas fores compos sui pepulit; *juxta vero Aristotelis,* Nullum magnum ingenium sine mixturâ dementiæ fuit.

Aliquid mali homini est, propter vicinum malum.) *Gnoma Plauto usurpata Mercatoris versu* XXXII. *actus* I V. *scenæ* I V.

Aliquid novis auditis auctor adjicit.) *Versus quidem tolerari queat, sed non res ipsa, quei enim fieri possit, ut auditis novis aliquid auctor adjiciat: cùm auctor is sit qui rem primitus publicat? Itaque videtur capite truncatus versus, & legendum trochaico carmine:*

Proximus novis auditis aliquid auctor adjicit.

verùm quid si potius versum damnemus? asseverantes scilicet, legendum, Aliquid novus auditis auctor adjicit. *& hoc verius est. extat enim omnibus literarum apicibus Ovidij libro* XII. *Metam. vers.* LVIII.

——— auditis aliquid novus adjicit auctor.

Aliquis superstes carnifici fuit suo.) *Intelligendum non de lictore qui jam lege in aliquem animadvertit; sed de eo qui carnificum manibus traditus ut duceretur, casu aliquo evasit; gladiusve ab ipsâ cervice revocatus est, miserante Principe. Sic fortè Crœsus carnifici suo supervixit, qui rogum suum & incendi vidit, & exstingui, uti est apud Herodotum libro primo.*

Aliter amicam, aliter osculamur liberos.) *Hinc argumentum Byblidis, fratrem suum incestuosè amantis, apud Nasonem libro* IX. *Metam. versu 539:*

Et crebri amplexus, & quæ, si forte notasti,

Oscula sentiri non esse sororia possent. *Nec aliorsùm tendunt ista Suetonij de Claudio Imp. cap.* XXVI: Verùm illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi, & blanditiarum occasiones pellectus in amorem &c.

Aliter beneficium solvitur, aliter creditum.) *Est sententia Senecæ, quam fusè explicat libro altero de Beneficiis, capite penultimo:*

Aliter cum amico, aliter vivas cum Principe.) *Subintellige qui propior est tyrannidi. nam* amico adulari nefas: sed aures tyranni mulceri licitum est; *quemadmodum loquitur Ioan. Saresberiensis Policratici libro* III. *cap.* XV.

Aliter homines populo vivunt, aliter sibi.) *Plane aliter: paucosque invenias qui quod sint, esse velint; qui conscientiæ vivant non famæ. malè tamen. ut enim est inter trochaicos Publio Syro adscriptos;* Non aliter vives in solitudine, aliter in foro; *quas sciamus licet, voces esse Senecæ, positas Epistolâ* XCIV.

Aliter olent catelli, aliter olent sues.) *Est à Planti Epidico, actus* IV. *scenæ* II. *versu nono.*

Aliter secundâ, aliter re adversâ consulas.) *Omne enim consilium capiendum è re natâ. in prosperis ratio habenda dignitatis atque honestatis; in adversis attendendum utilitati ac saluti. quod ipsum quatenus fieri expediat, pulcrè ostendit in Archidamo suo Isocrates.*

Alterius exspectare opes miserrimum est.) *Sunt verba Ciceronis, visunturque in oratione pro Publio Quinctio, capite decimoquinto. m.*

Amare capitis damnatos licet palàm.) *Sub bonis quidem regibus, non etiam sub malis. acerrimè exercentibus legem majestatis. Sidonius libro* I. *Epistolâ* VII:

Angit

Angit me casus Arvandi: nec dissimulo, quin angat. nam hic quoque cumulus accedit laudibus Imperatoris, quod amare palam licet & capite damnatos. *At de Tiberio Imperatore habemus apud Tacitum libro* VI. *Annal. cap.* XIX: Jacuit immensa strages: omnis sexus, omnis ætas: inlustres, ignobiles: dispersi aut aggregati. neque propinquis aut amicis, adsistere, adlacrimare; ne visere quidem diutius dabatur: sed circumjecti custodes, & in mœrorem cujusque intenti, corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur: ubi fluitantia, aut ripis adpulsa, non cremare quisquam, non contingere. Intercíderat sortis humanæ commercium vi metus: quantumque sævitia gliscceret, miseratio arcebatur.

Amare lucrum nullum amatorem addecet.) *Vitiatur eo Plautus in Pœnulo, actus* I. *scenæ* II. *versu* CXVI.

Amare res est omnium liberrima.) *Seneca de brevitate vitæ cap.* XIX: Omnium quidem occupationum conditio misera est: eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant: ad alienum dormiunt somnium, ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum: amare & odisse, res omnium liberrimas, jubentur.

Amare servus vix herum potest; timet.) *Non convenit ista definitio omnibus, sed iis tantum quibus vita sub heris nimium severis, quique sese de meminerunt homines. de quibus luculenter Senecæ Epistola* XCVII. *nec non Synesii Epistola* CXLV.

Ambitio adeptis consenescit honoribus.) *Lactantius lib.* VII. *Divinar. Instit. cap.* X: Vitia omnia temporalia sunt: ad præsens enim commovetur iræ

impetus; receptâ ultione sedatur. libidinis, voluptat corporis finis est. cupiditatem aut satietatem earum rerum quas expetit, aut aliorum affectuum commotiones interimunt. ambitio postquàm honores quos voluit adepta est consenescit. *Addatur Taciti locus lib.* III. *Annal. cap.* XXXI. *f.*

Amicitia esse non potest inter malos.) *Memmius apud Sallustium Iugurthinæ cap.* XXXI. *§.* II. *f:* Inter bonos amicitia, inter malos factio est. *Quintiliani Declamatione* IX: Nisi fortè similitudine flagitiorum ductus, turpi me conjunxeram juveni; quæ vita sine dubio nomen amicitiæ non accipit. *Addatur Sarisberiensis Policraticus libro* III. *cap.* XII.

Amicitiæ vel quærunt, vel faciunt pares.) *Idem est cum Publij Syri dicto:* Amicitia pares vel accipit vel facit. *videatur Cassiodorus lib.* II. *Variarum Epistolâ tertiâ.*

Amicitiæ quàm similis assentatio est.) *Imò non imitatur tantum illam, sed vincit & præterit; quemadmodum copiosè ostendit Plutarchus libello quo infitum discrimen amici atque adulatoris.*

Amicus amici actu lætatur non suo.) *Seneca Epistolâ* CIX. §. III: Præterea secundum naturam est, amicos complecti & amicorum actu, ut suo proprioque lætari.

Amicus certus in re incertâ cernitur.) *Nulli humaniorum literarum studioso ignotum esse potest, Enny esse versum, quem conservavit nobis Cicero.*

Amissa quæ sunt, maximè cuivis placent.) *Seneca consolatione ad Marciam cap.* XVI: Hæc quidem natura mortalium est, ut nihil magis placeat, quàm quod amissum est. Iniquiores sumus adversus relicta

licta, ereptorum desiderio.

Amisso apum Rege, omne examen labitur.) *Virgiliano alludit:*

——rege incolumi mens omnibus una:
Amisso rupere fidem.

Amittitur pudor si deprehenditur.) *Ratio est; quia nemo id esse, quod etiam videtur, timet. Divinè Nazianzenus ad Vitalianum: de parentum dissimulatione.*

Πολλὰ μὲν ὧν λάθρα σιν, ἐπεὶ ῥ' ἐθέλουσιν ἄλλως.
Πολλὰ δ' ἀνηκούσησεν ἐν ὠσὶν οἷσιν ἔχοντες,
Ὄφρα κε μὴ θεσπέσιον ἀνὸν ἀπορρήξειεν ἔλεγχον,
Αἰδῶ τὴν τοκέων ἐσθλὴν ἀπίκορον ἐλέγξας.
Τίκτει δὲ θεσπέσιον ὕβρις, ἀναιδείη δέ τε φῶτα.

Multa vident, quæ se fingunt non cernere; multa.
Dissimulant audisse patres, licet auribus hausta:
Ne tenerum abrumpat reprehensio dura pudorem,
Auxilium patribus quo nullum firmius usquam
est. [destos.
Probra etenim effrontes faciunt, bonitasque mo-
Et venia. ——

Idem voluit Seneca lib. I. *de clementia cap.* XXII: Diligentius vivit cui allquid integri supereſt. nemo dignitati perditæ parcit. impunitatis genus est jam non habere pœnæ locum. *Addatur Dio Cassius libro* LVII. *ipso fine anni ab urbe conditâ* DCCLXVII.

Amplecti amas virtutes? media amplectere.) *Verè enim, cecinit Martialis lib.* I. *Epigram.*

Illud quod medium est, atque inter utrumq; probatur. *& prius etiam simili planè sensu Horatius:*

Virtus est medium vitiorum utrinque reductum.
An quis in amorem incidere aspectu uno potest?)

Curius pro Fulvio, apud Ciceronem libro I. *de Inventione cap.* XLIII. *m:* Nemo potest uno adspectu, neque præteriens in amorem incidere.

Anathemata ornant urbem, animum mathemata.) *Est à Græcis sumptum: ut & multa alia hujus florilegii, quæ prudens prætereo; arbitratus scilicet nemini non obvia; iis utique, qui vel eminus saltem adspexere Gratias Hellanicas. sed & altera caussa est, quod typographi operæ characteres ejus generis non admittant, isto quidem tempore.*

Anima manet in furiosis, mens exstinguitur.) *Sunt omnia verba Lactantij ex libro* VII. *Divinar: Institutionum, capite* XII.

Animus remitti, non resolvi quæritat.) *Seneca Epistolâ* XV: Neque ego te jubeo semper imminere libro aut pugillaribus. dandum & aliquod intervallum animo: ita tamen ut non resolvatur, sed ut remittatur.

Animi facilius mala sustollas quàm regas.) *Idem Annæus Epistolâ* LXXXV. §. II: Sola virtus habet, non recipiunt animi mala, temperamentum. facilius sustuleris illa quàm rexeris.

Animi superstitio est in morbo corporum.) *Livius, libro* IV. *cap.* XXX. *m:* Nec corpora modò adfecta tabo, sed animos quoque multiplex religio, & pleraque externa invasit

Animo bene habenti, calamitas quævis levis.) *Sunt mihi ad manum nonnulla Divi Chrysostomi, huic gnomæ illustrandæ: quæ producere non audeo ob typothetarum morositatem. itaque si Græcis parcius utor, eis imputetur, non mihi.*

Animo parandum est ultimum magno scelus) *Petitum*

titum est ex Senecæ Medea, versu XCXXII.

Annos Dei fœdos morbis insigniunt.) *Tacitus lib.* XVI. *Annal. cap.* XIII. *p*: Tot facinoribus fœdū annum etiam Dii tempestatibus & morbis insignivere.

Ante experimentum nemo præmium percipit.) *Minutius Felix in Octavio*: Quis non miles sub oculis Imperatoris audacius periculum provocet? nemo enim præmium percipit ante experimentū, &c.

Apagesis, negotii quanta in muliere unica est.) *Visitur apud Plautum in Epidico, actus* I. *scenæ* II. *versu* XVI.

Apertus est felix, opertus est miser.) *Intelligendum in vultu & sermone. & utriusque exstat exemplum apud Dionem Nicæum libro quinquagesimo, statim ferè initio, in Cnæo Domitio, ac Cajo Sossio; quod consulat qui volet. nam ego cur id non etiam producam, satis jam aperui.*

Apes relinquunt aculeos in vulnere.) *Locum suum habebit, cùm dehortabimur iracundiores ab ultione: nunquam eam contingere, nisi etiam damno nostro. De apum aculeo, præter alias, sic Plinius libro* XI. *cap.* XVIII: Aculeum apibus natura dedit ventri confertum. ad unum ictum hoc infixo, quidam eas statim emori putant. aliqui, non nisi in tantum adacto, ut intestini quippiam sequatur; sed fucos postea esse, nec mella facere, velut castratis viribus, pariterque & nocere & prodesse desinere. *Videatur & Seneca lib.* I. *de Clementiâ cap.* XIX.

Aptus magis foro eloquens quàm prælio.) *Fabius apud Livium, libro* X. *cap.* XXII: Esse præterea viros natos militiæ, factis magnos, ad verborum linguæque certamina rudes; ea ingenia consularia esse: cal-

lidos solertesque, juris atque eloquentiæ consultos, qualis Appius Claudius esset, urbi ac foro præsides habendos, prætoresque ad reddenda jura creandos esse.

Apud inferos tantummodò unus Cerberus.) *Usurpavit Joan. Sarisberiensis, libro* v. *Policratici cap.* x: Inclementiam Cerberi omnes abhorrent. Ego me credo vidisse ostiarios Cerbero duriores. Apud inferos tamen unus Cerberus est: quot sunt diverticula Curialium, tot Cerberi sunt. atrienses quoq; Cerberos sustinebis totamque familiam, quæ semper aut mordet, aut latrat.

Apud tyrannos & pro pœnâ quæstio est.) *Tertullianus Apologetico adversùm gentes, cap.* II: Civilis non tyrannica dominatio vestra est. Apud tyrannos enim tormenta etiam pro pœnâ adhibentur: apud vos soli quæstioni temperantur.

Arcana Regum, ipsi produnt satellites.) *Livius de Nabide Lacedæmoniorum tyranno:* Has conditiones, quamquam ipse in secreto volutaverat cum amicis, vulgò tamen omnes famâ ferebant: vanis, ut ad ceteram fidem, sic ad secreta tegenda satellitum regiorum ingeniis. *ubi malè interpretes accipiunt* satellites *pro custodibus & apparitoribus regum. ita enim vocantur ipsimet Principum amici, quòd scilicet eorum potentiæ in omnibus & per omnia, non secus obnoxij sunt quàm apparitores.* *Apud Livium Hanno libro* XXIII. *cap.* XII: Itaque ista, quæ modò Mago jactavit, Himilconi cæterisque Annibalis satellitibus jam læta sunt &c. *lib.* XXIV. *cap.* XXXII. *f:* Postremò, ut omnia vana erant, obliti majestatis, precibus agebant, ne proderent patriam tyranni ante satellitibus &c. *videatur*

deatur idem Livius, libro XXV. *cap.* XXVIII. *m. capite* XXIX. *p. Lucius Philippus apud Sallustium:* Saturnini olim, post Sulpicii, dein Marii, Damasippique, nunc Lepidi satellites. &c. *Arminius apud Tacitum lib.* II. *Annal. cap.* XLV: Proditorem patriæ, Satellitem Cæsaris haud minus infensis animis exturbandum, quàm Varum Quintilianum interfecerint. *Idem Cornelius de Peligno lib.* XII. *Annal. cap.* XLIX: Donisque Rhadamisti evictus, ultrò regium insigne sumere cohortatur; sumentique adest auctor & satelles. *Inde factum, ut iidem quoque iisdem auctoribus vocentur*, Apparitores, Stipatores, Ministri, Adsectæ, Mancipia, Servitia; *consulantur modò Livius, libro* II. *cap.* LIV. *m. Sallustius Catilinariæ cap.* XIV. *p. Livius lib.* V. *cap.* XI. *p. ut & lib.* II. *cap.* X. *m. lib.* X. *cap.* XXXVII: *m. Sallustius Iugurth. cap.* XXVII. *pr. quæ figura etiam haud inusitata scriptoribus Græcis.*

Arx disciplinæ, recta est educatio.) *Unde & Plato libro* I. *de Legibus:* Κεφάλαιον δὴ παιδείας, ὀρθὴ τροφή: Caput disciplinæ, recta educatio. *Aristoteles verò lib.* II. *Ethic. ad Nicomachum:* Οὐ μικρὸν δὲ διαφέρει τὸ ἔτως ἢ ἔτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ. μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν: Non parum, sed plurimũ, quin potius totũ refert, sic, an non sic, homines ab adolescentiâ instituantur. *Sed & Diotogenes apud Stobæum sermone* XLII: Ἀρχὴ πολιτείας ἁπάσης, νέων τροφή: Fundamentum est totius Reipublicæ, adolescentium educatio.

Avaritia omnis pestis est potentiæ:) *Seneca consolatione ad Helbiam cap.* XVII: Hæc non ideò refero ut ejus laudes exsequar: sed ut intelligas, magni animi esse feminam, quam non ambitio, non avaritia,

comites omnis potentiæ, & peſtes, vicerunt.

Avaritiam repetundarũ infringit metus.) *Thraſea Pætus apud Tacitum libro* XV. *Annal. cap.* XXI. *f:* Vt metu repetundarum infracta avaritia eſt; ita vetitâ gratiarum actione ambitio cohibetur.

Auctoramenta ſervitutum ſunt opes.) *Seneca Epiſtolæ* CIV. *fine:* Denique ſpernendæ opes: auctorata ſunt ſervitutum.

Auctoritas Duci ipſa eſt pro facundia.) *Vult, puto, haud ita neceſſariam Duci facundiam, qui militibus ſuis præeſt cum auctoritate: facta enim ejus perſuadent. Vnde & P. Scipio militibus ſuis apud Livium libro* XXVIII. *cap.* XXVII. *pr:* Numquam mihi defuturam orationem, quâ exercitum meum alloquerer, credidi: non quod verba unquam potiùs quàm res exercuerim: ſed quia propè à pueritiâ in caſtris habitus, aſſueveram militaribus ingeniis.

Auctoritati nullæ niſa Opinio eſt.) *Simile quid memini legere in Saturnalibus Macrobij.*

Audacia etiam alieno creſcit ex metu.) *Livius libro* III. *cap.* XXVI. *p:* Minutio neque fortuna, neque vis animi eadem in gerendo negotio fuit. nam cùm haud procul ab hoſte caſtra poſuiſſet, nullâ magnopere clade acceptâ, caſtris ſe pavidus tenebat. quod ubi ſenſerunt hoſtes, crevit ex metu alieno, ut fit, audacia.

Audaciter ad ſalutem porrige brachium.) *Sunt verba ex Plauti Pſeudolo, actus* II. *ſcenæ* IV. *verſu* XVIII.

Audire miſeri properant miſerias ſuas.) *Formatum è duobus hemiſtichiis Senecæ verſus 754. & 755. Hercule OEtæo.*

Audire

Audire plus quàm fari militem decet.) *Julianus apud Ammianum Marcellinum, libro* XXI. *cap.* VIII. *p:* Plus audire quàm loqui militem decet actibus coalitum glorioſis, &c. *Eò tendunt & illa P. Æmilij apud Livium libro* XLIV. *cap.* XXXIV: Vnum Imperatorem in exercitu providere & conſulere quid agendum ſit debere, nunc per ſe, nunc cum iis quos advocaverit ad concilium. qui non ſunt advocati, eos nec palàm, nec ſecreto jactare conſilia ſua. *Benè igitur requiritur Centurio Vegetio, lib.* II. *cap.* XIV: magis ad facienda quæ ei imperantur, quàm ad loquendum paratus.

Auget nec-opina gaudium præſentia.) *Minucius Felix ſub initium Octavii ſui:* Quo in adventu ejus non poſſum exprimere ſermonibus, quanto quamque impatienti gaudio exſultaverim: cùm augeret maximè lætitiam meam amiciſſimi hominis inopinata præſentia.

Avidos facit nimia homines felicitas.) *Fit enim gradus à magnis ad majora: & ſpes improbiſſimas complectuntur inſperata adſecuti. Juſtinus libro* VI. *cap.* I. *pr:* Lacedæmonii, more ingenii humani, quo plura habent eò ampliora cupientes; non contenti, acceſſione Athenienſium opum, vires ſibi duplicatas: totius Aſiæ imperium affectare cœperunt. *Idem lib.* XXIII. *cap.* I. *pr:* Agathocles rex Siciliæ pacificatus cum Carthaginienſibus, partem civitatum à ſe fiduciâ virium diſſidentem armis ſubegit. dein quaſi anguſtis inſulæ terminis clauderetur, cujus imperii partē primis incrementis ne ſperaverat quidem; in Italiam transcendit &c. *videatur Polybius, lib.* I. *Hiſt. cap.* XLIX. *m. Livius lib.* IV. *cap.* XIII. *pr. Diodorus. lib.* II. *Bibliothecæ cap.* II. *p. lib.* XVIII. *cap.* XLIII. *f. &c.*

Aulam scelera intrant, exsulat virtus casis.) *Id est, virtus ejecta palatiis Principum, vivit in exilio, casa alicujus ergastulo contenta, An versus sit Senecæ nescio: videor tamen ipsa verba legisse in tragœdiis ejusdem.*

Aures oculique plurimi sunt Regibus.) *Dici potest tam de bono Principe quàm malo. malus submittit homines qui clam in omnium dicta ac facta inquirat: pro bono, unusque ultrò bonus metuit: ideoque, ne quid dignitati ejus aut saluti noxium contingat, semper vigili aure atque oculo attendit.*

Aures superbas adsentatores regunt.) *Pudendum quidem, sed res tamen est: Reges fere Principesque tantum non obfrenati ducuntur quolibet, non à viris egregiis, sed ab adulatorum vilissimâ fœce. quanto enim quis est servitutis projectioris, tantò est & summæ potentiæ propios. Plinius Panegyr. ad Trajanum cap.* LXXXVIII. *p:* Plerique Principes, cùm essent civium domini, libertorum servi erant. per hos audiebant, per hos loquebantur; per hoc Præturæ etiam & Sacerdotia, & Consulatus: imò & ab his petebantur. *Mamertinus gratiarum actione ad Julianum Imp cap.* XXV. *p:* Habuerunt nonnulli alii Principes devotam & amantem sui cohortem; sed alio quodam modo: primùm quod imperiti ac rudes indoctissimum quemque in consilium deligebant; scilicet ut ipsorum prudentia vulgo suo aliquatenus emineret. Ita cùm vilissimus quisque honorum & divitiarum potitus foret, sua commoda, & vitia Principum diligebant. ab his optimus quisque abigebatur procul, cùm suspecta esse: probitas & invisa; & quanto quisque honestior, tanto importunior turpium arbiter vitaretur. *Nimirum inane nomẽ apud Reges tales est; imperium omne,*

penes

penes aulæ illa dehonestamenta. & bene, si non major eorum pars essent, scurræ, histriones, aurigæ, de quibus in Vitellij vitâ Tacitus libro II. *Histor. cap.* LXXXVII. *f.*

Aurum ignibus, discrimine arguitur probus.) *Respexit versus sector ad Minutij* Octavium, *in quo legas:* Itaque & nobis Deus nec non potest subvenire, nec despicit; cùm sit & omnium rector & amator suorum: sed in adversis unumquemque explorat & examinat. ingenium singulorum periculis pensitat: usque ad extremam mortem voluntatem hominis scisitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur

Auro magis imperium quàm ferro adaugeas.] *Felicissimè profectò id consecutus est Philippus Macedoniæ rex, qui argenteis hastis pugnando omnium urbium portas sibi aperuit; in tantum quidem ut ipse gloriari non dubitaret;* Δεῖ χρυσοῦ πολλὸς μᾶλλον, ἢ δόρατος τὴν ὁπλων ἡυξημένην τὴν ἰδίαν βασιλείαν: longè magis auro quàm armis regnum suum crevisse.

Auscultaei, eia, auriculæ cui sunt quattuor.) *Ortum videtur ab eo quod refert Zenodotus:* Ἄκρε δ' τέσσαρα ὦτα ἔχοντος.

Aut rariter Regi loquare, aut suaviter.) *Expressit antiquissimum proverbium Græcum, quo Philosophi redemptum è Dionysij tyrannide Platonē commonefecerūt:* διὸτι δεῖ τὸ σοφὸν τοῖς τυράννοις ἢ ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν: quod sapientem cum tyrannis, vel rarissimè versari oporteat.

Aut esse frugi oportet hominem, aut Cæsarem.) *Haud equidem habuerim pro adagio antiquiore, quàm fuit ævum Caij Caligulæ. de eo enim ita scripsit Suetonius, cap.* XXXVII: Nepotinis sumptibus omnium prodigorum

gorum ingenia superavit; commentus novum balnearum usum, portentissima genera ciborum atque cœnarum: ut calidis frigidisque unguentis lavaretur: pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet; conviviis ex auro panes & obsonia apponeret: Aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem.

Auxilio opus Dei quoq; habebat Hercules.) *Talè quid invenias etiam apud Synesium epistolâ* CL. *m.*

B

BEata vita utiq; est virtutis præmium) *Lactantius lib.* III. *Divinar. Institut. cap.* XII: Seneca quoq; fatetur, nullum esse aliud virtutis præmium quàm immortalitatem &c. *videatur locus.*

Beatus est cui gaudiũ omne ex se nascitur.) *Seneca sub finem Epistolæ* CXXIV. Tunc beatum esse te judica, cùm tibi ex te gaudium omne nascetur: cùm in his quæ homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inveneris, non dico quod malis, sed quod velis.

Beatus est, beatus est qui in liberis) *Versus Tyndari apud Euripidẽ in Oreste:* Ζηλωτὸς, ὅστις ἡυτύχησεν εἰς τέκνα.

Beatus est qui vivere in publico potest.) *Seneca ad Lucillium Epistolâ* XLIII: Tu nunc in provinciâ, licet contemnas ipse te, magnus es: quid agas, quemadmodum cenes, quemadmodum dormias; quæritur, scitur. eo tibi diligentius vivendum est. Tunc felicem te esse judica, cùm poteris in publico vivere, cùm te parietes tui tegent, non abscondent; quos plerumq; circumdatos nobis judicamus, non ut tutius vivamus, sed ut peccemus occultius.

Bellum paret, pacem pati qui non potest.) *Scipio*

ad

ad Hannibalem: Sin illa quoque gravia videntur; bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis. *Livii libro* XXX. *cap.* XXXI. *f.*

Bellum omnia aufert, præter virtutes viri.) *Apparet natum è responso Stilponis Megarensis; qui, quo tempore patriam ejus, civibus in servitutem abductis, solo æquaret Demetrius, interrogaretq; bonum senem, ecquid suarum rerum amisisset?* οὐ δῆτα, εἶπε, πόλεμος γὰρ οὐδὲν λαφυραγωγεῖ ἀρετήν: Nihil se amisisse respondit: neque enim bellum virtutem inter spolia capere. *Plutarchus libro de liberis educandis.*

Bellum requirit, consilium ac pecuniam.) *Thucydides, libro* II. *Hist.* Τὰ πολλὰ ἡ πολέμου γνώμη ἐς χρημάτων περιουσίαν κατέστησε: Magna ex parte bellum consilio & pecuniæ vi geritur.

Bello ac periclis summa mereas præmia.) *Nero Senecæ apud Tacitū lib.* XIV. *Annal.* LV. *m*: Avus meus Augustus Agrippæ & Mecænati usurpare otium post labores concessit; sed in eâ ipsâ ætate, cujus auctoritas tueretur quidquid illud & qualecumq; tribuisset. attamē neutrū datis à se præmiis exuit. bello & periculis meruerant: in his enim juventa Augusti versata est.

Bello atq; pace semper sunt bonæ canes.) *Ita sanè est: etiam suus in bello usus canum; quemadmodum non uno exemplo palam fit, ex Plinij lib.* VIII. *Hist. nat. cap.* XL: *Æliani lib.* VII. *Animal. cap.* XXXVIII. *lib.* XIV. *Variæ Historiæ cap.* XLVI. *Polyæni lib.* IV. *Stratagematum, §. Philippi* XVI. *Vegetij lib.* IV. *de re militari c.* XXVI. *Æneæ Poliorcetico cap.* XXII. *&* XXXI.

Bello exitus secundum jus fas dant Dei.] *Legimus quidem apud Lucanū de bello civili:* victrix causa Deo placuit, sed victa Catoni: *sed tamen, tandem tandem bona*

bona cauſſa triumphat. conſulatur Quintus Marcius Livii libro XLIV. *cap.* I. *f. Ceterùm verſus iſte formatus è verbis P. Scipionis ad Annibalem, libro* XXX. *capite* XXXI. *m:* Neque patres noſtri priores de Siciliâ, neque nos de Hiſpaniâ fecimus bellum. & tunc Mamertinorum ſociorum periculum, & nunc Sagunti excidium nobis pia ac juſta induerunt arma. Vos laceſſiſſe, & tu ipſe fateris, & Dei teſtes ſunt; qui & illius belli exitum ſecundum jus fasque dederunt, & hujus dant, & dabunt.

Bene conſulere in concilio, non meritricium eſt.) *Verſus ex Plauti Bacchidibus, actus* I. *ſcena* I. *verſus* VI.

Bene ſapere, & bene agere, fermè diſſident.] *Ariſtides Oratione priore de Pace:* Εἰ μὲν ἦν παλαιὸς τις λόγος, ὡς ἄρα ἁ ῥᾴδιον εὖ φρονεῖν ἀλλ' οἱ πολλοὶ χείρους ὑπὸ τῆς τύχης γίγνονται, &c: Et quamquam hoc veteri ſermone fertur, felices non temerè ſapere, quin per fortunam plerique deteriores reddantur, &c. *Addatur Livius lib.* XXX. *cap.* XXX. *m. cap.* XLII. *f. Seneca Epiſtola* XCIV. *f.*

Beneficium haud dedit qui invitus profuit.] *Rationes exſtant paſſim; etiam apud Senecam libro* V. *de Beneficiis, cap.* XX. *p.*

Benefacta multa uno delicto deſtruas.] *Conſulatur Salluſtij Jugurtina cap.* XXVIII: *m. Velleij liber poſterior Hiſt. cap.* LXXII. *p. S. Trebellius Pollio cap.* VI. *f. Valerius Maximus, lib.* VI. *cap.* III. *exemplo* II. *cap.* IV. *exemplo* VI. *&c.*

Beneficiis ab ullo vinci, haud regium eſt.] *Principum enim eſt mortales omnes ſibi reddere obnoxios; utiq; cum id poſſint, ob fluentiam opum. Inde Bocchus Rex Sullæ,*

Sullæ apud Saluſtium Iugurth. cap. CX: Numquam ego ratus ſum fore, uti rex maximus in hac terrâ, & omnium quos novi opulentiſſimus privato homini gratiam deberem. Et meherculè, Sulla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultrò egomet opem tuli; nullius indigens. id eſſe imminutum mihi, quod cæteri dolere ſolent, ego lætor, &c. *Seneca lib. v. de Beneficiis cap.* VI. *p:* Alexander Macedonum rex gloriari ſolebat, à nullo ſe beneficiis victum, &c. *Addatur Tacitus lib.* IV. *Annal. cap.* XVIII. *f. Plinius Panegyrici ad Trajanum cap.* LX. *f. & cap.* LXXXV. *f. Mamertinus Panegyrico ad Julianum cap.* XXXII. *pr.* Abſit, Auguſte, & iſtud ſancta divinitas omen avertat, ut tu à quoquam mortalium exſpectes vicem beneficii &c.

Beneficium non eſt quod recuſanti datur.) *Lactantius libro* V. *Divin. Inſtit. cap.* XXI. At non eſt beneficium quod ingeritur recuſanti. *Videatur Sophocles Ædipo Coloneo, verſ. 815.*

Beneficia accipere ſe putant, cùm dant boni.) *Conſulatur Symmachus libro* II. *Epiſt.* XXIX. *& Epiſt.* LXXVII. *item lib.* VII. *Epiſt.* XLVI. *nec non libro* VIII. *Ep.* I. *Caſſiodorus lib.* II. *Variarum, Epiſt.* V. *Seneca lib.* I. *de Benef. cap.* VII. *Pertinet & huc illud Polybii de Rhodiorum ſolertiâ, poſt terræmotum, in muneribus expetendis: Eo enim inquit civitates, regesque adduxerunt,* ὥστε μὴ μόνον λαμβάνειν δωρεὰς ὑπερβαλλούσας, ἀλλὰ καὶ χάριν ἀξιοῦν ἐπιφέρειν αὐτοῖς τὰς διδούσας: ut non ſolùm dona ingentia ab ipſis acciperent; verùm etiam illos ipſos qui ea darent, tanquam pro magno beneficio obſtrictos, in poſterum ſibi haberent.

Beneficia multa frontem habent aſperrimam.)

Ut cùm insanus vinculis coërceatur, cùm ager uritur aut sectatur, quei reliquis membris liceat uti integris, *ut loquitur Ammianus Marcellinus, libro* XVII. *cap.* XI.

Beneficia nemo perdit, nisi qui computat.) *Id ipsum luculenter ostendit Seneca libri* I. *de Beneficiis cap.* II.

Beneficus alteri omnia præstat, non sibi.) *Hocq, adeò verum est, ut si quis dederit suâ ipsius caussâ, non tam sit humanitas, quàm beneficii feneratio. Acutè Publius Syrus:* Malus est vocandus qui suâ caussâ est bonus. *Sed & Cicero libro* VII. *Epist. fam.* XII. Quis est bonus, qui facit nihil, nisi suâ caussâ? &c. *Videatur idem lib.* II. *de Finibus cap.* XXIV. *m.*

Blandissimè quem quis vitæ exemplo arguat.) *De Diogene Cynico Maximus Tyrius Dissertatione* XX: Πολεμουμένης δὲ τῆς Ἑλλάδος, καὶ πάντων πᾶσιν ἐπιτιθεμένων, οἱ μὲν ἐπ' ἀλλήλοισι φέρον πολυδάκρυα ἄρηα, ἐκεχειρίαν ἠγεμόνος, ἐν ὡπλισμένοις ἄοπλος, ἐν μαχομένοις ἕναρος δος πᾶσιν· ἀπεῖχοντο ἢ αὐτὸς καὶ οἱ ἀδικοι καὶ οἱ πύκτναι καὶ οἱ συκοφάνται. ἤλεγχε μὲν γὰρ τοὺς πονηροὺς, ἀλλ' οὐ λόγων σοφίσμασιν, ὅσπερ ἐλέγχων ἀνιαρώτατος· ἀλλὰ ἔργοις αὐθαιρέτοις ἐκώλυε. Iam cùm gravissimo bello arderet Græcia, sibique mutuò omnes insultarent, consueti inter se miserando cernere Marte, solus inducias agebat; inter armatos inermis, inter bellantes fœderatus omnium. Manum ab eo abstinebant improbi omnes, & tyranni, & sycophantæ. Et tamen sceleſtos arguebat, non verborum captiunculis, quod reprehendendi genus molestissimum est, ut plurimum; sed re ipsâ, ipsâque vitâ vitam eorum arguebat: quæ reprehensio & efficaci-

caciſſima ſolet eſſe, miniméque aſpera.

Blanditia meretricum nil quàm viſcus merus.) *Extat apud Bacchides Plauti, nempe verſu* XVI. *actus primi, ſcenæ primæ.*

Bona corporis, animi ipſiusmet ſunt mala.) *Hoc eſt, cupiditas, & libido, quibus & opes adpetuntur, & ſuavitates variarum voluptatum, quibus enervatus animus exſtinguitur. Sic contrà, animi bona, mala ſunt corporis, id eſt, opum fuga, voluptatum interdictio, doloris mortisque contemptus.*

Bona herclè non ſunt ulla, quæ deſunt Deo.) *Seneca Epiſtolâ* LXXIV. §. II: Aut iſta bona non ſunt quæ vocantur, aut homo felicior Deo eſt; quoniam quidem quæ parata nobis ſunt, non habet in uſu Deus: nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quidquam ex his hominem inescantibus, & vili voluptate ducentibus, pertinet. Ergo aut, quod incredibile eſt, bona Deo deſunt; aut hoc ipſum argumentum eſt, bona non eſſe, quæ Deo non deſunt.

Bona ſegnius ſua homines quàm mala ſentiunt.) *Livius libro* XXX. *cap.* XXI. *m:* Mentio deinde à ſenioribus facta eſt, ſegnius homines bona quàm mala ſentire, &c.

Bonæ locus de eo ſpei, cui eſt pudor.) *Vult, de homine emendando non omninò deſperandum, qui nondum depudit, qui adhuc erubeſcit peccare. Verè enim Lyſus apud Plauti Bacchides:* Nam ego illum periſſe duco, cui quidem periit pudor.

Bonitatis eſt pars magna, fieri velle bonum.) *Petitum eſt ommibus literis ex Epiſtolâ Senecæ* XXXIV.

Bonus animus in malâ re, dimidium est mali.) *Versus Plautinus trigesimus septimus, actus* I. *scenæ* V. *Pseudoli.*

Bonus nequam hominis parvi pendit gratiam.) *Est à Plauti Bacchidibus, actus nimirum* III. *scenæ* VI. *versus* XXIX.

Boni ex ingenio mores alienos probant.) *Et istud quoque sumptum è Plauti Persâ, actu ac scenâ alterâ, versu* XXX.

Bonum ac malum homini omne à vicinis provenit.) *Thucydides:* Πρὸς τὰς ἀσυγκρίτους πᾶσι τὸ ἀπήμαλον ἢ ἐλεύθερον καθίστατο.

Bonum aut malum consilium eventus efficit.) *Vulgi quidem sententiâ; non etiam prudentum: quibus sedet; quod* prosperitas simul utilitasque consultorũ non ubique concordant, *ut loquitur moriente jam linguâ apud Marcellinum Julianus Imperator, libro* XXV. *cap.* X. *m.*

Bonum bono, malum usq; proximum malo est.) *Innuere videtur, neque bonum neque malum venire sine comitatu suo. Apollonius Rhodius:* ἀγαθὸν ἢ κακῷ κακόν: prope malum malo. *Et sic certè: nulla calamitas, nulla felicitas venit sola; suum semper sibi adjunctum habet utraq; pedisequum.*

Bonum minimè est inordinatum aut turbidum.) *Verba sunt Senecæ, desumpta ex Epistolâ* CXXIV.

Bonum sine malo in vitâ hac esse non potest.) *Id quod pluribus rationibus ostenderunt, Cicero libris de Finibus bonorum ac malorum, Lactantius libro secundo divinarum Institutionum; aliique scriptores.*

Bonis fere malè est, malis ferè est benè.) *Censura quidem vulgi, sed non sapientum. videatur Seneca libro de Pro-*

de Providentiâ, item de Vitâ beatâ.

Bonis saluti est, quisquis punit improbos.) *Rationem habemus apud Sallustium fine orationis Memmianæ, cap.* XXXI. *Jugurth:* In republicâ multò præstat beneficii quàm maleficii immemorem esse. bonus tantummodo segnior fit, ubi negligas: at malus improbior. *Adde quod & alii plures æmulantur impunitam hanc nequitiam. Lucius Philippus apud eundem Sallustium:* Ne patiamini licentiam scelerum, quasi rabiem, ad integros procedere. nam ubi malos præmia sequuntur, haud facilè quisquam gratuitò bonus est.

Bos est tuus si utroque cornu contines.) *Proverbii speciem habere, testatur gens rustica. at quàm lepidè alio deflexerit Demetrius Phalereus, legere est apud Polybium libro* VII. *Historiarum fragmento tertio.*

C

CAmporum aperta, fraudis extra sunt metum.) *Tacitus libro* XIV. *Annal. cap.* XXXIV: Diligitque locum arctis faucibus, & à tergo silvis clausum; satis cognito, nihil hostile nisi in fronte, & apertam planitiem esse sine metu insidiarum. *Consulatur Onosander de optimo Imperatore cap.* V. §. V. *Livius libro* VII. *cap.* XXXVI. *f. lib.* XXII. *cap.* XXVIII. *p. libro* XXVII. *cap.* XIV. *m. & cap.* XLIII. *m. libro* XXXIX, *cap.* XXX. *f. aliiq;*.

Carum bono omni naturâ suâ bonum est.) *Seneca Epistolâ* CIX. Invenire sapientem sapienti per se res petenda est: quia naturâ bonum omni carum est bono; & sic conciliatur bono, quemadmodum sibi.

Castæ virum haud sequuntur, prægredi solent.)

Dicit versus, castas mulieres ita amare maritos, ut ante eos mori malint, imò sileant. fictus autem est jambus, ex Senecæ Hercule OEtæo vers. 857.

Caussidicus illicò fit Cercops pro libero.) *Synesius Epistola* CI. Ἐπεὶ δ' ὅσοι εἰσὶ πλωτῶν ἐν ταῖς καθ' ὑμᾶς ἀγορᾶις· μὴ πανταχοῦ μιγνύωσι καὶ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα δίκαια, καὶ Κέρκωπα αὖτε ἐλευθέρου νομίζωσιν: Alio enim modo ditari non licet per fora vestra, nisi quis omnia commisceat divina & humana jura, & Cercops fiat pro libero.

Cæli ratio in animo; terræ est in corpore.) *Verba sunt Lactantij omnia è libro* VI. *Divin. Institut. cap.* I.

Cæleste regnum per terrenum proficit.) *Isidorus libro* III. *de summo bono cap.* LIII: Sæpe per regnum terrenum cæleste regnum proficit; ut qui intra ecclesiam positi, contra fidem & disciplinam ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur.

Cælo Dei haud descendunt, ut quemquam juvent.) *M. Manlius ad plebem, Livii libro* VI. *cap.* XVIII: Bene est quod abominamini. Dii prohibebunt hæc: sed nunquam propter me de cœlo descendent: vobis dent mentem oportet, ut prohibeatis, &c.

Ferro interimas cave quos hastâ viceris.) *Idem dicit cum versu oraculi Delphici ab Pausaniâ prodito in Achaicis:* Δρεῦ πεζομένους τὲς μὴ σὺ κτεῖνε σιδήρῳ.

Cavere nescit sueta mens victoriis.) *Sunt voces Ennodij; neque abeunt à veritate: facinnt enim temerarios prospera prœliorum, ut pluribus alibi ostendimus.*

Cedunt in usum res omnes sapientiæ.) *Libri secundi Policratici prologo:* Omnia cedunt in usum sapientis; habetq; materiam virtutis exercendæ, quæcumque

cumque dicuntur aut fiunt. nam & otia ejus negotia sunt, & dum rationis libramine rerum omnium vires pensat, providâ dispensatione quidquid ad beatitudinem proficit, quadam quasi manu virtutis apprehendit.

Censura nunquam fallitur quispiam suâ) *Vult, opinor, neminem esse cùm in se descendit, quin norit quid bonum sit quid malum: ideoque censorem agere verè incorruptum, id est juxta conscientiam.*

Certamen ipsum tolle, haud adversarium.) *Lactantius libro* VI. *cap.* XVIII: Sapientis ergo ac boni viri non est velle certare, ac se periculo committere; quoniam & vincere non est in nostrâ potestate, & est anceps omne certamen: sed est sapientis atque optimi viri, non adversarium velle tollere (quod fieri sine scelere ac periculo non potest) sed certamen ipsum: quod fieri & utiliter & justè potest.

Certissima est tutela quæque è proximo.) *Desumptum è Senecæ Epistolâ centesimâ vigesimâ primâ:* Et quia tutela certissima ex proximo est; sibi quisq; commissus est.

Cui non odio obstinata sit severitas?) *Thraseæ Pæti Patribus conscriptis:* Quædam imò virtutes odio sunt: severitas obstinata; invictus adversum gratiam animus &c. *libro* XV. *Annalium Taciti cap.* XXI. *m.*

Clades suas duplat, nimis qui detegit.) *Certè magis patet ad novas clades. Livius libro* XXIII. *cap.* IV. Et auxit rerum suarum contemptum Consul, nimis detegendo cladem nudandoque. *Prudenter igitur Dux Athenienſium in Siciliâ, libri Thucididis* VII. ἐγὼ Νικίας ἐνόμιζε μὴ καὶ αὐτὸς πονηρὸς σφῶν ᾖ πρὰγ-

μαζῶ εἶ), τῷ δὲ λόγῳ οὐκ ἐβέλετο αὐτῷ ἀσθενῆ ὑποδεικνύναι, ἠδ' ἐμφανῶς σφᾶς ψηφιζομένους μὴ πολλῶν τὴν ἀναχώρησιν, τοῖς πολεμίοις καταγγέλλεσθαι γίγνεσθαι. λαθεῖν δὲ ἂν ὁπότε βέλοιντο τῶν ποιούντες πολὺ ῥᾷον: Nicias verò sentiebat quidem & ipse res suas infirmas esse: sed tamen ipsarum infirmitatem verbis declarare nolebat: etiam de recepto decreto à se cum multis palam fieri, ne rumor ad hostes emanaret. nam si hoc feciissent, se multò minus quotiescumq; voluissent, clam discedere posse.

Clamor ferè de prælii index exitu est.) *Id alibi non parco exemplorum cumulo palam feci: inculcatque tantum non Livius libro* IV. *cap.* XXXVII. *f:* Clamor indicium primum fuit, quò res inclinatura esset; excitatior crebriorque ab hoste sublatus; ab Romanis dissonus, impar, segnis, sæpe iteratus, incerto clamore prodidit pavorem animorum. *Iterum libro* XXX. *cap.* XXXIV. *f:* Ad hoc, dictu parva, sed magni eadem in re gerendâ momenti res: congruens clamor à Romanis, eoque major & terribilior: dissonæ illis, ut gentium multarum discrepantibus linguis, voces.

Clariſſimi morte indignâ pereunt duces.] *Sic est; ut quisque est dux clarior, ita minus dignum splendore vitæ sortitur exitum. De Annibale: de Philopœmene, de Scipione Africano junctim videndus, lib.* XXXIX. *cap.* LIII. *f. Livius.*

Cœna ulla non placet mihi quæ bilem movet.) *Extat apud Plautum in Bacchidibus, versu* VIII. *act.* III. *sc.* VI.

Cœpit simul cum odio sui ipsa Veritas.) *Legi tale quid in Apologetico Tertulliani contra gentes.*

Colere

Colere pietatem minimè facilè Principi est.) *Imò nec ullam aliam virtutem. cùm enim in maximâ vitiorum versentur tam facultate quàm licentiâ; & præterea obsideantur hinc inde Assentatorum, si non blando, at tristi satellitio, quod, tantum abest, ut titubantes dominos suos, sustineat, ut adhuc ultro impellat, quantâ laborent in Charybdi, quivis videt. Prudenter Flavius Vopiscus in vitâ Aureliani, capite* XLIV: Et quæritur quidem, quæ res malos Principes faciat. Iam primum, nimia Licentia, deinde rerum Copia: Amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi avariſſimi, aulici vel stulti vel detestabiles; & (quod negari non potest) rerum publicarum Ignorantia. *nec imprudenter Isidorus lib.* III. *Sentent. cap.* LI. Difficile est Principem regredi ad melius, si fuerit vitiis implicatus. Populi enim peccantes judicem metuunt. Reges autem, nisi solo Dei timore, metuque gehennæ coerceantur, liberè in præceps proruunt, & per abruptum licentiæ, in omne facinus vitiorum labuntur.

Collegiorum noxia est frequentia.) *Duplicem admittit intellectum, vel nocere reipublicæ multitudinem collegiorum: vel adeò nocere, si sæpius frequententur collegia, licet numero pauciora & ab antiquitate omni approbata. & utrumque verum est. nam si sæpius convenitur, fieri non potest, quin aliquis aliquid novi excogitet: sin verò plures permittantur cœtus*; plurimæ factiones titulo collegii novi, ad nullius non facinoris societatem coibunt, *ut accidisse imperio Augusti, auctor est Suetonius in vitâ ejus, capite* XXXII.

Cognoscere astra, etiam bello ars est utilis.] *Ducibus utique necessaria qualiscunque siderum observatio:*

cui dum non attendit, enormiter peccavit Cleomenes Spartanus, ut etiam Rex Philippus, quorum meminit Polybius libro IX. *Historiarum cap.* XVII. *& ante ipsos Sphodrias Thespiis præfectus, de quo Xenophon libro* V. *Histor. Græcæ. Delictum, heic quoque qualecumque Thebanorum, prodidit Thucydides libro secundo; non longè ab initio: debuissent enim consuluisse cælum & astra, aut in omnem eventum exiisse maturius. Sed & maritimâ expeditione nocuit eadem ignorantia Romanis, indicante Polybio lib.* I. *cap.* XXVII. *Eademq; hæserunt in voragine Cæsariani, de quibus ipse Cæsar libro* IV. *Belli Gallici cap.* XXIX. *Neque liber à tali clade Alexander Magnus, recensente Curtio, lib.* IX. *capite* XLVI. *pr. Trahique huc queat factum Germanici, memoratum prolixè Tacito libri primi capite* LXX. *Haud igitur frustraneum monitum Lycomedis quo Neoptolemum prosequitur apud Cointum Calabrum lib.* VII. *versu* CCXCVI.

——Ναῦτῃ γὰ ἀεὶ κεδνὸν ἐπισπεῖν ὀλέθρῳ.
Ἀλλὰ σὺ δείδιε τέκνον ἐπὶ πλόον ἠνεμόφωνον,
Ὑετερον, ἢ τριτάτην, ἢ ἄλλοθεν, οἵά τε πολλὰ
Τῇμος, ὅτ' αἰγοκερῆι συμπίπτεται ἠέροεντι
Ἠέλιος, μετόπωρα βαλὼν ῥυτῆρα βελέμνων.
Τοξευτὴν ὅτε χεῖμα λυγρὸν κλονέουσιν ἀέλλαι.
Ἠδὲ ὁπόταν ὠκεανοῖο καὶ πλατὺ χεῦμα φέρονται,
Ἄστρα κατερχομένοιο πὸτ κνέφας Ὠρίωνος.
Δείδιε δ' ἐν φρεσὶν ἦσιν ἰσημερίην ἀλεγεινὴν.
Ἢ ἔνι, συμφέρονται ἀὴ εὐρέα βένθεα πόντου.
Ἔκποθεν αἰάζουσαι ὑπὸ μεγαλαύτμου θαλάσσης.
Ἢ ὅτι Πληϊάδων πέλεται δύσις, ἣν ῥα Ἑαυτὴν

Δείδιθι

Δείδιθι μαμώωσαν ἔσω ἀλὸς, ἐν δ' ἔ ἄλλα.
Ἄστρα, τὰ τῶν μογεροῖσι πέλει δλέθρ' ἀνθρώποισι.
Δυόμενοῦ ἠέλ' αὖ ἰόντα κ' πλατὺ χεῦμα θαλάσσης.

——— Nautæ semper vicini sunt morti.
Ideo cave tibi, mi fili, cùm navigationē instituęs
Post modò, vel à Trojâ, vel aliunde: (ut sæpe usu
venit.) [greditur
Tum, quando cum nebuloso Capricorno con-
Sol post tergum rejecto sagittarum ejaculatore
Arcitenente: cùm sævā hyemem nimbi concitāt:
Et quando in latam Oceani undam rapiuntur
Sidera, descendente ad occasum Orione.
Reformida etiā in animo tuo æquinoctiū triste;
In quo committuntur per latum ponti fundum
Procellæ undecunq; exortæ, in marmore vasto:
Aut cū Pleiadū occasus est. Ipsā præterea capellā
Suspectam habe, in mare se præcipitantem aliaq;
Astra quæ ærumnosis mortalib. terrorē incutiūt,
Dū occidūt veloriūtur circa spaciosū sali gurgitē.

Quid, quod cæli cognitio, necessaria ob eclypses, veteribus valdè formidabiles: ut liquet ex Polybij libro V. *Hist. cap.* LXXVIII. *p. Curtii libro* IV. *cap.* LXIV. *pr. Justini libro* XXXIII. *cap.* II. *aliisque. gessit quese egregiè tali in casu Agathocles rex, apud eundem Justinum libro* XXII. *cap.* VI. *p. neque eo inferior, Dio apud Plutarchum, in vitâ ejusdem. æque etiam dexter Romani sanguinis miles, de quo & Livius libro* XLIV. *cap.* XXXVII. *& Val. Maximus libro* VIII. *cap.* II. *nec non Quintilianus libro* I. *Instit. Orat. capitis decimi fine. cujus verba, tanquam si gemmea essent, haud absurdè quis includat auro Polybiano, quod inveniet libri noni capitulo decimoquinto. Sed & celebranda industria Julii Cæsaris, cu-*

jus meminit. Hirtius libro III. *Belli Alexandrini, capite* VIII. *Imò nec aves negligendæ aut quadrupedes; ut monemur ab Æliano libro* VII. *capite* VII. *&* VIII. *Mactî igitur duces, mactî*

——cautâ qui mente notatis,

Si revolant mergi, graditur si littore cornix, *& cætera, quæ leguntur apud Claudianum libro de bello Gildonico versu 492.*

Commune malum est nobilitatis superbia.) *De Metello Sallustius Jugurth. cap.* LXIV. *p.* Ei quanquam virtus, gloria, atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemptor animus, & superbia, commune nobilitatis malum. *adeatur Livius libri* IX. *capite* XLVI. *Vellejus libri posterioris cap.* XI. *m. quod vitium, quomodo in iis viris extenuet Aurelius Victor, videas capite* XXXIX. *in vitâ Valerij Diocletiani Imp.*

Communio nulla esse cum improbis potest.] *Reperies ea verba apud Ciceronem libro* XI. *Epist. fam.* XXVIII.

Communis ipsa cunctis Roma patria est.] *Notissimum istud, vel ex Jure consultorum libris; cui succinit præter alios multos, etiam Seneca, consolatione ad Helbiam matrem, capite* VI.

Communia sunt amicorum inter se omnia.] *Nulli non celebratus versus, ex Terentii sumptus Adelphis act.* V *sc.* III.

Conatur animus magnus paria ac perditus.] *Seneca libro* II. *Natur quæst. c.* LIX: Animus ex ipsâ desperatione sumatur. Ignaviissima animalia quæ natura ad fugam genuit, ubi exitus non patet, tentant fugam corpore imbelli. Nullus pernicioſior hostis

est,

est, quàm quem audacem angustiæ faciunt: longèq; violentius semper ex necessitate, quàm ex virtute corrigimur. Majora, aut certè paria conatur animus magnus ac perditus.

Conditio eadem est præceptorũ quæ seminum.] *Quemadmodum enim non toto seritur culleo, sed manu: sic* plurimum proficit sermo, *inquit Seneca*, qui minutatim irrepserit animo. *sed & idem insit*: Seminis modo spargenda sunt præcepta; quod quamvis sit exiguum; cùm occupavit idoneum locum, vires suas explicat, & ex minimo in maximos auctus diffunditur, &c. *Epistola* XXXVIII.

Confertam ingenium hominis doctrinam haud sufferat.] *Basilius Seleuciensis Oratione* XXV: Ἀθρόον τὸ μάθημα φύσις ἀνθρώπων ἀ δέχεται.

Consilium in ipso ineptum omne est negotio.] *Cæsar libro* V. *Belli Gallici cap.* XXXII: Tum demum Tiutius, uti qui nihil ante providisset, trepidare & concursare, cohortesque disponere: hæc tamen ipsa timidè; atque ut eum omnia deficere viderentur: quod plerumque his accidere consuevit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur.

Consilia amicis Regum constant maximo.] *Præsertim libera, & regibus regnisque salutaria. Videri queat respexisse versiculus ad Cambysen ejusque amicum Prexaspen, qui cùm Regem monuisset*, ut parcius biberet; turpem esse ebrietatem in eo quem oculi omnium auresque sequerentur: respondit Rex; ut scias quemadmodum nunquam excidam, approbabo jam & oculos post vinum in officio esse & manus. bibit deinde liberaliùs, quàm aliàs, capacioribus scyphis: & jam gravis & vinolentus, objurgatoris sui

sui filium procedere ultrà limen jubet, allevatâque super caput sinistrâ manu stare. tunc intendit arcum, & ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit; recisoque pectore hærens in ipso corde speculum ostendit: ac respiciens patrem, an satis certam haberet manum, interrogavit &c. *Seneca lib.* III. *de Ira. cap.* XIV.

Consilia fermè succedunt audacia.) *Præcipuè rebus desperatis atque miseris. L. Martius ad milites obsessos a Pœnis, post occisos Scipiones Duces:* Scio audax videri consilium: sed in rebus asperis & tenuibus, fortissima quæque consilia tutissima sunt: quia si in occasionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paullùm fueris, nequiquam mox omissam queraris. *Livii libro* XXV. *cap.* XXVIII. *f.*

Consilia fida quei sint, quæ sunt hostium?) *Lucius Aurunculejus complures q. tribuni ac centuriones apud Cæsarem libro* V. *Belli Gallici cap.* XXVIII: Postremò quid esset levius, aut turpius, quàm auctore hoste de summis rebus capere consilium? *Et tamen legimus apud Tacitum libro* XV. *Annal. cap.* XXVII. *f:* Non infidum, nedum hostili odio Corbulonis nomen etiam Barbaris habebatur: coque consilium ejus fidem credebant.

Constare nulli gratis libertas potest.) *Aut raro admodum: de quâ re plura cumulavimus ad illa Taciti libro* XIV. *cap.* XLII. *p:* Haud multo pòst, præfectum urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit; seu negatâ libertate, cui pretium pepigerat, sive amore exoleti infensus &c. *Bellè traduxit ad Philosophica Seneca Epistolâ* CIV: Aurum & argentum, & quidquid aliud felices domos onerat, relinquatur: non potest gratis constare libertas. Con-

Constare nulli magna res parvo potest.] *Sumptum & istud ex Senecæ Epistolâ* XIX.

Convitium bene vivendo fit improbis.) *Omninò. quod ipsum pulcrè ostendit Lactantius libro* V. *Divin. Instit. cap.* IX: Veritas ideò semper invisa est, quod is qui peccat, vult haberi liberũ peccandi locum; nec aliter se putat malefactorũ voluptate securius perfrui posse, quàm si nemo sit, cui delicta non placeant. Ergo tanquam scelerum & malitiæ suæ testes exstirpare funditus nituntur & tollere; gravesque sibi putant, tanquam vita eorum coarguatur. Cur enim sunt aliqui intempestivè boni, qui corruptis moribus publicis, convitium bene vivendo faciant? cur non omnes sunt æquè mali, rapaces, impudici, adulteri, perjuri, cupidi, fraudulenti? quin potius auferantur, quibus coram male vivere pudet, qui peccantium frontẽ, etsi non verbis, quia tacent, tamen ipso vitæ genere dissimili, feriunt & verberant. castigare enim videtur, quicumque dissentit. *videatur idem lib.* VI. *cap.* IV. *ut & Tacitus lib.* IV. *Annal. cap.* XXXIII. *f. nec nõ Sallustius Orat.* II. *de Republ. ordinandâ ad C. Cæsarẽ.*

Cor atque linguam maximè curent senes.) *D. Cyprianus vel alius quis:* Iuvenibus incertus hujus vitæ terminus instat: senib. verò cunctis maturior ex hac luce recessus. Cavendæ ergo sunt homini duæ particulæ, quæ in illius carne non veterascunt, & totum hominem ad peccandum trahunt, cor videlicet & lingua.

Cor facilè adhæret quæ frequentat omnibus.) *Aut fallor, aut talia planè verba legi apud D. Bernardum.*

Cor non putrescit si levetur ad Deum.) *Et istud est D. Augustini expositione super Psalmum* LXXXV.

Crinita

Crinita mortem ſtella minatur Regibus.] *Ita jam ab omni antiquitate vulgò receptum eſt. Unde Seneca de tali ſtella, quæ tamen non abſtulerat Imperatorem:* Nec eſt quod putemus, eundem viſum eſſe ſub Claudio, quem ſub Auguſto vidimus: nec hunc qui ſub Nerone Cæſare apparuit. & Cometis detraxit infamiam, illi ſimilem fuiſſe, qui poſt necem Divi Iuliii ludis Veneris genetricis, circa undecimum horam diei emerſit. *libro* VII. *Natural. quæſt. cap.* XVII.

Crudelis eſt qui miſero diſſuadet mori.] *Natus verſus ex iſtis Senecæ apud Herculem OEtæum:* Quicumq; miſero fortè diſſuadet mori. Crudelis ille eſt, interim pœna eſt mori.

Crudelitas laſſa haud equidem clementia eſt.] *Seneca libro* I. *de Clementia cap.* II. Fuerit Auguſtus moderatus & clemens: nempe poſt mare Actiacum Romano cruore infectum; nempe poſt fractas in Siciliâ claſſes & ſuas & alienas; nempe poſt Peruſinas aras & proſcriptiones. Ego verò clementiam non voco laſſam crudelitatem. Hæc eſt, Cæſar, clementia vera quàm tu præſtas, quæ non ſævitiæ pœnitentiâ cæpit: nullam habere maculam, nunquam civilem ſanguinem fudiſſe.

Cui jus valet imperii, transmittat inania.] *Vtiq, ſi fuerit Princeps prudentior. Et ſciamus licet carmen factum ex iſtis Taciti, lib.* XV. *Annal. cap.* XXXI. Vologeſes propriis nunciis à Corbulone petierat ne quam imaginem ſervitii Tiridates perferret, neu ferrum traderet, aut complexu provincias obtinentium arceretur, foribusve eorum adſiſteret: tantusque Romæ quantus Conſulibus honor eſſet. Scilicet externæ ſuperbiæ ſueto, non erat notitia noſtri; apud quos

jus

jus imperii valet; inania transmittuntur. *Non abludit ab hac re fabella Phædri* LXXIV:

Barbam capellæ cùm impetrassent ab Iove.
Hirci mærentes indignari cæperant,
Quod dignitatem fœminæ æquassent suam.
Sinite, inquit, illas gloria vanâ frui.
Et usurpari vestri ornatum muneris;
Pares dum non sint vestræ fortitudinis.

Cui non homini ex alieno incommodo lucrum?) *Sanè* miles bellum optat: agricolam annonæ caritas erigit; eloquens captat pretium ex litium numero: medicis gravis annus in quæstu est, *inquit Seneca; qui videatur libro* VI. *de Beneficiis cap.* XXXVII.

Cui non malorum egestas creditur ultimum?] *Nemini non. quod indicium tamen esse sæculi corrupti, uno ore totum clamat Sapientiæ collegium. Sallustius de labe Reipublicæ Romanæ capite* XII. *conjurat. Catilin:* Postquàm divitiæ honori esse cœperunt, & eas gloria, imperium, potentia sequebatur; hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit &c. *Consulatur idem auctor Oratione primâ & secundâ de Republicâ ordinandâ: item Horatius libro* II. *Satyra* III. *versu* XCI: *Ovidius libro* III. *Amorum Elegiâ* VII. *versu* III. *Seneca de Providentiâ cap.* V: *Tacitus libro* XIV. *cap.* XL: *Juvenalis Satyrâ* VI. *versu* CCLXXXVI: *nec non Sat.* XIV. *versu* CXX.

Cui profuere Vatum à sæclo oracula?] *Auctor Policratici libro* II. *cap.* XXVII: Pythonici fallunt interdum studio fallendi, interdum cæcitatis suæ errore decepti: id tamen agunt assiduè, ut futurorum conscii per omnia videantur. Inde est, quod am-

biguitate verborum, obnubilare ſtudent oracula; ut cum mendaces aut fallaces inventi fuerint, aliquo rationis velamento ſuam queant tueri fallaciam. ſic utique fallacia non deſiſtunt, donec auditores ſuos præcipitent in ruinam. Cui enim à ſæculo vatum profuere oracula? Crœſone an Pyrrho, aut præcedentium aut ſubſequentium cuiquam? &c.

Cui vita, vitæ ei & ornamenta ſerviunt.) *Sunt verba Senecæ, comparentque in Epiſtola* XC. §. VI.

Cuicumque vitæ jus eſt ac necis ſuæ.) *Ideſt, nullus eſt mortalium omnium quin habeat poteſtatem in vitam ſuam ac necem. quod mirè laudat Plinius libro* XXVIII. *cap.* I. *aſſeveratque*: Ex omnibus bonis quæ homini tribuit natura, nullum melius eſſe tempeſtivâ morte; in eâque id optimum, quod illam ſibi quisque præſtare poterit.

Culina fœdum eſt exitium patrimonii.] *Sunt Senecæ voces, quas legas libro primo de Beneficiis, cap.* X.

Culpam minuit pudor, cumulat defenſio.) *D. Ambroſius de Morte Abel & Cain:* Erubeſcere debemus & condemnare peccatum, non defendere: quoniam pudore culpa minuitur, defenſione cumulatur.

Culpa inde abeſt, mens conſiliumque unde abfuit.) *Lucretiæ inquiunt amici:* Mentem peccare, non corpus; & unde conſilium abfuerit, culpam abeſſe. *Livii libro primo, capite antepenultimo.*

Culpam antecedit ſemper pœna quamlibet.) *Manifeſtè falſum: imò pœna ſequitur culpam omnem, non præcedit, Itaque non dubium quin errarit manus exſcriptoris, fingique debeat:* Pœnam antecedit culpa

ſemper

semper quamlibet. *Pætus Thrasea apud Tacitum libro* XV. *Annal. cap.* XX. *m*: Usu probatum est, leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia, Cincium rogationem; candidatorum ambitus, Iulias leges; magistratuum avaritia, Calpurnia scita peperierunt. nam culpa quàm pœna tempore prior; emendari quàm peccare posterius est. *addatur Horatius libro* III. *Oda* II. *f.*

Cultura vana extraneos metuit arbitros.] *Verba sunt petita ex Tertulliani apologetico adversus gentes.*

Cum Deis ne belligeres, quibus sat esse non queas.) *Est versus trochaicus; ideoque non positus suo loco: Extat tamen apud Plautum in Persâ, actu* I. *sc.* I. *numero* XXVII.

Cum dico ut digna es, non loquor male, sed bene.) *Etiam iste versus petitus ex Persæ actu* II. *sc.* II. *versu* XXV.

Cùm morimur, esse maximè gratis libet.) *Senecâ libro* IV. *de Benef. cap.* XXII: Quid est quare grati velimus esse cùm morimur? quare singulorum perpendimus officia? quare id agimus, in omnem vitam nostram memoriâ decurrente, ne cujus officii videamur obliti? Nihil jam supereſt, quo spes porrigatur; in illo tamen cardine positi, abire è rebus humanis quàm gratissimè volumus &c.

Cunctationis vitia virtus corrigit.) *Vologeses.* Non ibo inficias, æquitate quàm sanguine, causâ quàm armis retinere parta majoribus malueram. si cunctatione deliqui, virtute corrigam; *libro* XV. *Annal. Taciti, cap.* II.

Cupiditas omnis semper à fine incipit.] *Id est finis unius cupiditatis, initium est alterius. Senecæ Epist.* LXXIII: Nec ambitio tantum instabilis est, verùm cupiditas omnis; quia semper incipit à fine.

Cuncta eveniunt Deos sequentibus benè.) *Versus hic, ut & proxime sequens, formari potuit ex istis Camilli adversus tribunos plebis:* Intuemini horum deinceps annorum vel secundas res, vel adversas: invenietis omnia prosperè evenisse sequentibus Deos, adversa spernentibus. *Livii libro* V. *cap.* LI. *m.*

Cura animal omne in amorem verterit sui.] *Obscuriora verba; quibus tamen lux ex hisce Senecæ:* Officia etiam feræ sentiunt: nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora à magistris impunè tractantur. elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus: adeo etiam quæ extra intellectum atque existimationem beneficii ponuntur, assiduitas tamen meriti pertinacis evincit.

Curandâ sunt quædam ægris ignorantibus.] *Spectat & istud ad medicos urbium, hoc est magistratus, certè fine usurpatum Senecæ libro de Brevitate vitæ, ad Paullinum cap.* XVIII: Quem tum animum habuerunt illi, quibus erat mandata frumenti publici cura, ferrum, saxa, ignes, Cajum excepturi, summâ dissimulatione tantum inter viscera latentis mali tegebant. cum ratione scilicet: quædam enim ignorantibus ægris curanda sunt. causa multis moriendi fuit morbum suum nosse.

Cynicâ esse è gente oportet parasitum probè.) *Legitur apud Plautum in Persâ, versu* XLIII. *actus* I. *sc.* III.

Damna

D

DAmnat reum sua vita, haud accusatio.) *Cicero oratione pro Roscio Comœdo cap.* VI. *m:* Quid ais? nonne ut ignis in aquam conjectus, continuò exstinguitur & refrigeratur: sic refervens falsum crimen in purissimam & castissimam vitam collatum, statim concidit & exstinguitur? *Argutè P. Syrus:* Probi delicta judex legens deterit. *adeatur Synesius Epistolâ quinquagesimâ.*

Dat ira pœnas fermè pœnas dum exigit.) *Id ipsum multis probavit Seneca libro* III. *de Irâ cap.* V.

De liberis haud judicat rectè parens.) *Synesius Epistolâ primâ f:* τὰς πιθήκους γὰρ φασιν ἐπειδὰν τέκωσιν, ὥσπερ ἀγάλμασιν ἐναπενίζειν τοῖς βλέφεσιν, ἀγαμένας ἕως κάλλους. ὅτως ἐστὶν ἡ φύσις φιλότεκνον. τὰ δ' ἀλλήλων ὁρῶσι, ἅπερ ἐστὶ, πιθήκων παιδία. ἑτέροις οὖν ἐπιτρεπτέον ἐξετάζειν ἃ ἔχουσι. αἱ γὰρ εὔνοιαι, δύνανται δικάσαι ἃς ψήφους. Διὰ τοῦτο Λυσίππῳ Ἀπελλῆ εἰς ἃς γραφὰς εἰσῆγε, καὶ Λυσίππου Ἀπελλῆς: Simias ajunt postquam pepererunt, intentis oculis in catulos, tanquam sacras imagines intueri, admirantes ob pulchritudinem. usque adeò natura liberos amat. fœtus autem seu catulos aliæ aliarum simiarum, quales sunt, cernunt. Aliis igitur mandare & permittere oportet de liberis judicium. Nam benevolentiæ possunt corrumpere calculos. Idcirco Lysippus ad suas picturas Apellem introducebat, & Lysippum Apelles.

De morte sapiens moriens fert sententiam.) *Quomodo, pluribus videre est apud Senecam Epistolâ* XXX. *medio.*

Debet sibi quisque, à negligente quod capit.) *Neronis præceptor libro* I. *de Beneficiis cap.* I. *m:* Eodem animo beneficium debetur quo datur; & ideo non est negligenter dandum. Sibi enim quisque debet quod à negligente accepit.

Delator unus felix plures suscitat.) *Quid ni? cùm juxta Domitianum:* Princeps qui delatores non castigat, irritet; *ut est apud Suetonium cap.* IX. *f. Addatur Tacitus, libro* IV. *Annal. cap.* XXX. *f. Synesius Epistolâ* CXVIII. *f.*

Deligere oportet eum diligere quem velis.) *Citatur apud auctorem ad Herennium, lib.* IV. *cap.* XXI. *f:*

Dentes cadunt plerumque septuennibus.) *Vti expressit Menæchmus Plauti, actus* V. *scenæ* IX. *versu* LVII.

Desiderant firmam frontem civilia.] *Seneca cap.* IV. *de Tranquillitate animi:* Quorundam parum idonea est verecundia rebus civilibus, quæ firmam frontem desiderant.

Desiderat scenam Regum impotentia.) *Imò & cujuscunque hominis. Seneca Epistolâ* XCIV: Nemo oculis suis lautus, ne paucorum quidem & familiarium; sed apparatum vitiorum suorum, pro modo turbæ spectantis expandit. itaque irritamentum est omnium in quæ insanimus, admirator & conscius. Ne concupiscamus efficies, si ne ostendamus effeceris. ambitio, & luxuria, & impotentia scænam desiderant. sanabis ista si absconderis, &c.

Despicere virtus est, occasio ut admonet.) *Versus* XVI: *ex Persâ Plauto, scenæ* III. *actus* II.

Deus bonum virum in delitiis non habet.) *Quin potius*

potius eum experitur, indurat, sibi illum præparat; uti egregiè probat toto libro de Providentiâ Seneca, ubi & isthæc inveniunda verba.

Deum propitiat qui se à fraude vendicat.) *Minutius Fœlix in Octavio:* Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat; qui justitiam, Deo libat; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum; qui hominem periculo eripit, opimam victimam cædit.

Deo nihil acceptum à perjuris supplicii.) *Iambus Plauti ex Prologo Rudentis, versu* XXV.

Diis templa; libros consecres, potentibus.) *Aristides Oratione quinta Sacrorum:* τὰς μὲν νεως τοῖς θεοῖς προσήκει καθιερᾶν, τὰς δ' ἀνδρας τοὺς ἐλλογίμους τῇ τῶν βιβλίων ἀναθέσει τιμᾶν: Templa Diis consecrare convenit; viros verò eximios decet librorum dedicatione honorare.

Discenda virtus: nemo fit casu bonus.) *Hoc ipsum pluribus firmat Seneca Epistolæ* CXXIII. §. III. *p.*

Dispar facultas cuique vivendi data est.) *Idem consolatione ad Marciam cap.* XX. Non una hominibus senectus est; ut ne animalibus quidem. intra quatuordecim quædam annos defatigantur: & hæc illis longissima ætas est, quæ homini prima. Dispar cuique vivendi facultas data est. nemo nimis citò morirur, qui victurus diutius quàm vixit, non fuit &c.

Dives fieri qui vult, fieri vult & citò.) *Factum videtur ex versu Juvenalis Satyræ* XIV. CLXXVI: dives qui fieri vult, Et citò vult fieri.

Divina jussa exsequere; minime examines.)

D. Chrysostomus, oratione alterâ adversus Judæos: τί γὰρ τούτου ἄλογον ἂν φανείη τοῦ παραδόξου μᾶλλον; ὁ τυπτήσας τὸν προφήτην, ἐσώθη· καὶ ὁ φειδόμενος ἐκολάζετο. ἵνα μάθῃς ὅτι τοῖς προστάγμασι, καὶ δεῖ περιεργάζεσθαι τῷ φύσιν τὰ λεγόμενα, ἀλλὰ πείθεσθαι μόνον: Quid hoc absurdius fieri possit? qui percussit Prophetã, evasit incolumis: qui pepercit, dedit pœnas. Nimirum ut intelligeres, in jussis divinis non oportere curiosum esse, examinareque rerum quæ præcipiuntur naturam, sed nihil aliud quàm obtemperare.

Divortium quasi fructus matrimonii est.] *Petitum à Tertulliani Apologia adversus gentes.*

Divortunt mores virgini longè ac lupę.) *Plautinum est, inveniundum versu* XXII. *act.* III. *sc. Epidici.*

Diutinè uti bene licet partum bene.) *Et hoc quoque ejusdem auctoris, conspicitur que Rudentis actu* IV. *scenâ* VII. *versu* XV.

Diuturnitate minuitur diligentia.) *Hirtius libro* VIII. *Belli Gallici cap.* XII: Quod cùm quotidiè fieret, ac jam consuetudine diligentia minueretur, quod plerumque accidit diuturnitate &c.

Diuturnus obses, mancipium patientiâ est.) *De Vonone, Tacitus libro* II. *Annal. cap.* II: Vbi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium, si mancipium Cæsaris, tot per annos servitutem perpessum, Parthis imperitet? *Apud eundem scriptorem quiritantur Cheruſci libro* XI. *capite* XVI: Frustrà Arminium proscribi, cujus si filius hostili in solo adultus in regnum veniisset, posse extimesci; infectum alimoniâ, servitio, cultu, omnibus externis. *Sed & ejusdem libro* XIV. *cap.* XXVI: *m:* Advenit Tigranes,

granes à Nerone ad capessendum imperium dilectus, Cappadocum ex nobilitate, Regis Archelai nepos: sed quod diu obses apud urbem fuerat, usque ad servilem patientiam dimissus.

Diuturnitate senescit adflictatio.) *Legitur alicubi inter Eunodiana. & ita est; adsuetudo omnia leniora facit, etiam calamitates. Seneca Thyeste:* Iam tempus illi fecit ærumnas leves. *& sapius in Elegiacis suis Ovidius.*

Doctrina, docti è vitiis, improbè carpitur.) *Legas apud Ciceronem libro* I. *de Inventione, cap.* LI.

Dolor insidiatur usque solitudini.) *Seneca Epistolâ* XX: Lugentem timentemque custodire solemus, ne solitudine malè utatur.

Doloris omnis ultio, confessio est.) *Idem Philosophus libro* III. *de Irâ cap.* V: Ingens animus & verus æstimator sui non vindicat injuriam, quia non sentit. Vt tela à duro resiliunt, cum dolore cedentis solida feriuntur; ita nulla magnum animum injuria ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit. Quantò pulcrius, veluti nulli penetrabilem telo, omnes injurias contumeliasque respuere! ultio, doloris confessio est &c.

Dolis medeare sæpe, si haud intelligas.) *Hoc est, si præ te tuleris non intelligere. Tacitus lib.* II. *Annal. cap.* XLII. *de Archelao rege*: Ille ignarus doli, vel si intelligere crederetur, vim metuens &c. *Idem lib.* XIII. *cap.* XXXVIII. *m. de Corbulone*: Dissimulato tamen intellectu &c. *Sed & idem lib.* XIV. *cap.* VI. *de Agrippina matre Neronis:* Observans etiam Acceronię necem, simul suum vulnus adspiciens; solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur &c.

Domesticus non curat luctus publicum.) *Naso libro* XIII. *Metamorphos. versu 578.*

Non vacat Auroræ, quamquam iisdem faverat armis;
Cladibus, & casu Trojæque Hecubæque moverit
Cura Deam propior, luctusque domesticus an-
Memnonis amissi. ——— (git.

Domi timeri tam molestum est quàm foris.) *Seneca Epistolâ* CV: Iliud ne timearis, præstabit tibi & fortunæ mediocritas, & ingenii lenitas: cùm te esse homines scient quem offendere sine periculo possunt. Reconciliatio tua, & facilis sit & certa. Timeri autem tam domi molestum est quàm foris; tam à servis quàm à liberis. nulli non ad nocendum satis virium est.

Domini est docere, non audire villicum.) *Columella libro* I. *cap.* II. *de re rustica:* Nam illud vetus est, & Catonis, Agrum pessimè mulctari, cujus dominus quid in eo faciendum sit, non docet, sed audit villicum.

Donatio nil sæpe est quàm venatio.) *Hieronymus Epistola ad Rusticum:* Modica esca in hamo ponitur, ut matronarum in eo sacculi protrahantur. Sic bestiæ, sic aves, sic capiuntur & pisces. Parum tribuunt, ut amplius accipiant; quæ magis venatio est appellanda quàm donatio.

Donum Deûm lex omnis immortalium est.) *Demosthenes:* Πᾶς ἐστι νόμος ἕυρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν.

Donum veneno hostile semper oblitum est.) *Tribuni plebis apud Livium libro* V. *cap.* II: Hoc illud esse dictitantes, quod æra militibus sint constituta: nec se fefelliſſe, id donum inimicorum veneno illitum fore.

fore. væniſſe libertatem plebis, &c. *videantur huc facientia apud Demoſthenem Oratione de Cherſoneſo, item apud Suetonii Galbam, ſub finem capitis decimi.*

Ducas amicum errores qui prodit tuos.) *Joannes Sariſberienſis Policratici lib. 1. Prologo:* Et ego vel ad inimici vocem non refugiam emendari: imò & amicum ducam qui meum caſtigabit errorem.

Ducenda foſſa quà fluvio diffiditur.) *Præceptum militare; cujus uſus eſt in obſidione, cùm murum vel vallum præmunitum cupimus. ubi enim non pertingit amnis, ibi percutienda foſſa profundior. videatur Vegetius, Polyænus, Frontinus; imò vulgus Hiſtoricorum.*

Ducenda ſi uxor, pervicinam ducito.) *Monitum prudens Heſiodi:* Τὴν δ' μάλιστα γαμεῖν, ἥ τις σέθεν ἐγγὺς ναίει: πάντα μάλ' ἀμφὶς ἰδὼν, μὴ γείτονα χάρμα γένηται: Eam verò ducito maximè quæ prope te habitat; omnia valde diligenter conſiderans, ne vicinis gaudia ducas.

Dulce eſt referre, quidquid acerbum olim fuit.) *Præſertim ſi id etiam feliciter, evaſimus. aliàs,* Poſt calamitatem memoria, alia eſt calamitas. *Tullius in Bruto, capitis* LXXVII. *fine:* Sileamus, Brute, ne augeamus dolorem. nam & præteritorum recordatio eſt acerba, & acerbior exſpectatio reliquorum. *Secus eſt ſi jam ſumus extra mali metum. Seneca verſu 655. Herculis Furentis:* quæ fuit durum pati Meminiſſe dulce. *& Cicero libro* II. *de finibus bonorum & malorum cap.* XXX: Suavis eſt laborum præteritorum memoria.

Dulciſſimum eſt potiri quæ deſideras.) *Pentamer Theognidis:* Πρᾶγμα δ' περπνότατον, ὅ τις ἐρᾷ, τ' τυχεῖν.

Dum

Dum mane est, omnes esse mortales decet.) *Reperias in Persa Plauti, versu nimirum* XXXIII. *actus* I. *sc.* III.

Dum respuunt laudari plures, appetunt.) *D. Hieronymus:* Plures in hoc ipso placere cupiunt, quod placere contemnunt: & mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur.

Duos amicos violat, violat qui alterum.) *Apud Ovidium libro* XII. *Metamorph. versu* CCXXVII: Quæ te vecordia Theseus, Euryte, pulsat? ait, qui me vivente lacessis Pirithoum, violasque duos ignarus in uno?

Duos puella amare non potest simul.) *Simocatta Theophylactus, Epistola* XXXIX: Ὡ γὰρ ἡ γῆ δυσὶ ἡλίοις ἐ διαίκτῳ θάλπεσθαι, ἕτω μία ψυχὴ δυσὶ δαὰδ@ πυρσῶν ἐρωτικῶν οὐκ ἀνέχεται: Quemadmodum terra duobus solibus non potest illuminari, sic una anima duas flammas amoris simul non capit.

Durat beneficium eo etiam amisso quod datur.) *Sunt voces Senecæ. is enim loquitur libro* I. *de Benef. cap.* V: Hęc quæ tenemus, quæ aspicimus, in quibus cupiditas nostra hæret, caduca sunt: auferre ea nobis & fortuna & injuria potest. Beneficium verò, etiam amisso eo quod datum est, durat. est enim rectè factum, quod irritum nulla vis efficit.

Duos magistratus gerere anno uno nefas.] *Livius libro* VII. *cap.* XLII. *p:* Invenio apud quosdam, Lucium Genucium tribunum plebis tulisse ad populum, ne fœnerare liceret. item aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus uno anno gereret.

Durat

Durat parum doloris summa intentio.] *Æschyli versus apud Plutarchum, quomodo audiendi sint poetæ:* Θαρσει· πόνε· τὸ ἄκρον οὐκ ἔχει χρόνον: Virili sis animo: laboris immensitas tempus non habet; *cujus explicationem ibidem videto.*

Dux admonendus; verùm non à quolibet.) *Paullus Æmilius:* Non sum is, qui non existimem admonendos duces esse, imò eum qui de suâ unius sententiâ omnia gerat, superbum judico magis quàm sapientem. Quid ergo? primùm à prudentibus & propriè rei militaris peritis, & usu doctis, monendi imperatores sunt: deinde ab his qui intersunt gerendis rebus; qui loca, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem veluti navigio participes sunt periculi, &c. *Livii libro* XLIV. *cap.* XV.

Dux illicò reus fit, re gestâ malè.) *Omninò, sive cladis ipse caussa fuerit, sive fortuna. Vehementes hoc admodum Græci; vehementiores Carthaginienses: sed moderatissimi omnium Romani. Fabius senex apud Livium libro* VIII. *cap.* XXXIII: Nam populi quidem, penes quem potestas omnium rerum esset, ne iram quidem unquam atrociorem fuisse in eos, qui temeritate atque insciti exercitus amisissent, quàm ut pecunia eos mulctaret: capite anquisitum ob rem bello male gestam de Imperatore, nullum ad eum diem esse, &c.

Dux prævius bonus, adsectam reddit bonum.) Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine ullius adjutorio exisse, fecisse sibi ipsos viam. hos maximè laudat quibus ex se impetus fuit, qui se ipsos protulerunt. quosdam indigere ope alienâ, non ituros si nemo

nemo præcesserit, sed bene secuturos, &c. *Seneca Epist.* LII. *Plutarchi Lycurgus*: ὁ καλῶς ἀγων; ἐμποιεῖ τὸ καλῶς ἑπεσθαι.

Duci itineris extra vincla cur habeas fidem?) *Intelligendum de eo qui exercitum ducit viâ minus notâ; vel adeo prorsus ignotâ. defectu nimirum exploratorum, excipere solemus obvios agricolas, eorumq; ductu pervenitur quò destinavimus. interim ne fides eorum nobis noxæ sit, iidem præcedunt non soluti, sed vincti; uti si fefellerint, esse sciant in nostrâ potestate vitam suam ac necem. exempla reperias apud Xenophontem de expeditione Cyri libro* IV. *Plutarchum in vita Antonii, Livium libro* XXXII. *cap.* XII. *p. aliosque. addatur Vegetius libro* III. *de re milit. cap.* VI. *Quod si fingimus, minimè eis diffidere; tunc utique oculis custodiantur, circumdatâ tacitâ custodiâ. de quâ re alibi disseruimus uberius.*

E

EAdem probamus, eadē modò reprehendimus.) *Non illa tantum levitas inest vulgo, sed cuicumque nostrûm. vel unâ horâ aliud volumus, aliud nolumus: adeò nemini sua sors placet. consulatur Horatius libro* II. *Satyrâ* VII. *item libro* I. *Epistolâ* I. *Seneca libro de vitâ beatâ cap.* I.

Egon' ut cavere nequeam, cui prædicitur?] *Versus Plautinus; extatque in Pseudolo, act.* I. *sc.* V. *versu* CI.

Ei licet adulari, occidere quem licet.) *Proverbiū vetustissimum, conservatum nobis ab Sarisberiensi in Policratici libro* III. *cap.* XV. Vnde & in sæcularibus libris

libris cautum est, quia aliter cum amico, aliter vivendum est cum tyranno. Amico utique adulari non licet, sed aures tyranni mulcere licitum est. ei namque licet adulari, quem licet occidere. porrò tyrannum occidere, non modò licitum est, sed æquum & justum.

Emenda quovis non est vita præmio.) *Seneca Epistolâ* LXX: Omni, inquit, homini dum vivit speranda sunt. Vt sit hoc verum, non omni pretio vita emenda est, &c.

Emere aliquid, alii mox ut vendas, sordidum est.) *Cicero libro* II. *de Officiis cap.* XLII: Illiberales autem & sordidi quæstus mercenariorum, quorum operæ, non quorum artes emuntur. est enim illis ipsa merces, auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur à mercatoribus quod statim vendant. nihil enim proficiunt, nisi admodū mentiantur: nec verò quicquam turpius vanitate.

Eodem mihi pretio sal perhibetur quo tibi.) *Verba Plautina è Persâ ejus versu* XXIV. *act.* III. *sc.* III.

Equites Senatus dicas seminarium.] *Perseus rex admilites suos:* Præjudicatum eventum belli habetis: meliorem partem hostium, equitatum Romanum, quo invictos se esse gloriabantur, fudistis. Equites enim illi, principes juventutis, equites seminarium Senatus: inde lectos in patrum numerum consules, inde Imperatores creant. *Livii lib.* XLII. *cap.* LXI.

Equus freno rebellat, rarò quo uteris.) *Sunt ferè verba Sidonii, libro* IX. *Epistolâ* XII.

Esse innocentem in bello difficillimum est.) *Videri possit fictum esse ex his Senecæ Epistola* CXXI *ubi*

ubi loquitur de Fabricio duce: Admirati sumus ingentem virum, quem non Regis, non contra Regem promissa flexissent, boni exempli tenacem; quod difficilimum est, in bello innocentem: qui aliquod esse crederet etiam in hostes nefas.

Est aliud pœnæ eximere, aliud infamiæ.] *Unde habemus apud Livium libro* XXXVI. *cap.* XXXV. *f:* Responsum datum est, quo veniam impetrasse, non caussam probasse, videri possent. *Sed & apud eundem libro* VIII. *cap.* XXXV *inquit Papirius dictator:* Non noxæ eximitur Quintus Fabius, qui contra edictum Imperatoris pugnavit; sed noxæ damnatus, donatur populo Romano &c. *Acutè, stoicus alioquin Claudius Cæsar:* cùm orantibus familiaribus dempsisset cuidam appositam notam, Litura tamen, *inquit*, exstat. *Suetonius in vitâ ejus cap.* XVI.

Est artium antiquissima omnium Musica.] *Maximus Tyrius Dialex:* XXI: Νῦν δὲ ἡμῖν μετὰ τῆς περὶ τὰ ἐν τῇ ψυχῇ ἐπιτηδευμάτων ἐπιμελείας, λέγωμεν καὶ εἰκότως, &c: Nunc de Musicâ ut instituimus, quæ omnium animi disciplinarum antiquissima est, quæ par videtur dicamus.

Est culpa Pœnæ anteambulo, non subsequa.] *Tiberius apud Tacitum libro* III. *Annal. cap.* LXIX: A majoribus institutum, ut si anteissent delicta, pœnæ sequerentur. *Inde acutè Cato in Sallustii Catilinaria cap.* LII: Nam cetera maleficia, tum persequare, ubi facta sunt: hoc nisi provideris ne accidat; ubi evenit, judicia frustra implores.

Est etiam & illud ex vitæ officiis, mori.] *Seneca Epistola* LXXVII: Sed ego, inquis, vivere volo, qui multa honestè facio. invitus relinquo officia vitæ quibus

quibus fideliter & cum industriâ fungor; Quid? tu nescis unum esse ex vitæ officiis & mori? nullum officium relinquis, &c.

Est judicare onus grave atque incommodum.) *Sunt verba Marci Tullij è libro primo in Verrem, capitulo* VIII. *m.*

Est mentis abjectæ index arrogantia.) *At qui eâ gloriantur, putant excelsi imprimis esse animi: in quo tamen miè fallûntur: modestia enim magnanimitatis index unica est; quemadmodum pulcrè disserit D. Chrysostomus Homiliâ* I. *ad Epistolam D. Pauli ad Corinthios primam. Divinè etiam ob oculos ponit Manuel Imperator Oratione* I. *omne quidquid barbarum, & literarum rude est, si feliciter agat, intolerabile esse inferioribus; sin insolentiæ ille quasi fons subtrahatur, vel mancipiorum subjacere ludibriis. videatur, quæso, atque legatur.*

Est negligens semper sui præsumptio.) *Herodes ad socios, apud Egesippum libro* I. *de excidio Hierosol. cap.* XXXII: Conflictu superiore potiores fuimus; sed in processu prælii sors mutata, ut vinceremur ab his quos vinceramus. Ergo & nobis sperare suppetit, quod vincentur à nobis, qui nos vicerant. incauta enim semper nimia præsumptio, & sui negligens. timor autem prospicere futuris admonet, & diligentiam docet. in prosperis audacia obrepit; & inconsulta temeritas nescit consilium Ducis exspectare.

Est noxium æquè contemni quàm suspici.] *Seneca Epistolâ* XIV: Tria ex præcepto veteri præstanda sunt, ut vitentur, Odium, Invidia, Contemptus. quomodo hoc fiat, sapientia sola monstrabit: diffi-

cile enim temperamentum est; verendumque, ne in contemptum nos invidiæ timor transferat; ne dum calcare nolumus, videamur posse calcari. Multis timendi attulit causas, timeri posse. undique non reducamus, non minus contemni quàm suspici nocet, &c.

Est omnium servus qui servit gloriæ.) *Divinè istud ostendit non uno loco D. Chrysostomus, ut etiam Homiliâ* XVII. *ad Epistolam D. Paulli ad Romanos.*

Est personata divitum felicitas.) *Ejusdem sententiæ versus cum illo qui supra præcessit:* Est bracteata Regibus felicitas. *quàm autem non modò laboriosa, sed & periculosa ac misera, Regum divitumque sit felicitas, si larvam eis abstuleris; infinitis locis inculcant, Historici, Oratores, Philosophi, Poëtæ, quos jam non exscribo.*

Est prostitutis aliqua etiam modestia.) *Martialis lib.* I. *Epigrammate* XXXV: Incustoditis & apertis, Lesbia, semper liminibus peccas, nec tua furta tegis; Et plus spectator, quàm te delectat adulter: Nec sunt grata, tibi gaudia, si qua latent. At meritrix abigit testem, veloque, seraque; Raraque Summæni fornice rima patet. A chione saltem vel ab Elide discere pudorem: Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas. *addatur Seneca libro* I. *Natural. cap.* XVI.

Est satius otiosum esse, agere quàm nihil.) *Jambus veteris Attilij: excidit tamen apud quem legerim.*

Et caussa pugnæ facta aliquando aquatio.) *Intelligit, credo, non pastorum, sed militum: dum nimirum exercitus duo oppositi laborant aquæ inopiâ, & unum tantum habent rivum unde aquentur: tali casu venitur utrinq; ad arma. videatur Florus libro* III. *cap.* III. *Livius lib.* XXXV. *cap.* XXVIII. *f. aliiq; passim.*

Et Diis sua, ludo intermisso, indignatio est.) *Opinione quidem Romanorum: sicuti non uno loco innuit Livius; & deridet jure merito Orthodoxæ Ecclesiæ antistites, qui videantur.*

Et fama judex Principum liberrima est.) *Seneca consolatione ad marciam cap.* IV: Nec in majoribus modò servasti, sed in minimis, ne quid faceres, cui famâ, liberrimam Principum judicem, velles ignoscere &c.

Et feminæ ambitiosæ sunt per liberos.) *Item ad Helbiam matrem cap.* XIV: Viderint illæ matres, quæ potentiam liberorum muliebri impotentiâ exercêt: quæ quia feminis honores non licet gerere, per illos ambitiosæ sunt &c. *Inde intelligitur illud Taciti libro* I. *Annal. cap.* IV. *f:* Accedere matrem, muliebri, impotentiâ; serviendum feminæ, &c.

Et gratiæ aguntur Regibus pro injuriæ.) *Quicquid summæ potestates nobis faciant, ab eis discedendum actis gratiis. etiamsi quidvis in nos commiserint & nostros, grateis eis dicendæ, & quidem exquisitissimæ. Tacitus libro* XIV. *Annal. cap.* LVI: Seneca, qui finis omnium cum dominante, grates egit. *Idem in vitâ Agricolæ cap.* XLII: Pertraxere ad Domitianum, qui paratus simulatione, in arrogantiam compositus, & audiit preces excusantis; & cùm annuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii injuriâ. *Verè igitur Seneca libro altero de Ira cap.* XXXIII. Potentiorum injuriæ hilari vultu, non patienter tantùm ferendæ sunt. facient iterum si se feciſſe crediderint. Hoc habent pessimum animi magnâ fortunâ insolentes; quos læserunt, & oderunt. Notissima vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat. cùm illum quidam interrogaret,

quomodo rariſſimam rem in aulâ conſecutus eſſ
ſenectutem? Injurias, inquit, accipiendo, & gr
tias agendo.

Et hamum & eſcam ſæpe piſcis abſtulit.) *Sic verba quæ aliquoties uſurpavit Lucianus, ubi ab a quo vult deluſum corvum hiantem.*

Et lex, & ætas quosdam à prælis avocat.) *Tullius Oratione pro Roſcio Amerino cap.* XXXII. *m*: Qu ibi non eſt vulneratus ferro Phrygio? non neceſ eſt omnes commemorare, Curtios, Marios, deni Mamercos. quos jam ætas à prælis avocabat: p ſtremò Priamum ipſum, ſenem Antiſtium, qu non modò ætas, ſed etiam leges pugnare prohib bant.

Et miſericordia proxima innocentiæ eſt.) *L Lactantius Epitomâ Divinar. Inſtitut:* Innocentiæ pro ximæ eſt miſericordia. illa enim malum non facit, hæc bonũ operatur, illa inchoat juſtitiã, hæc cõple

Et poſtmodum orta gratia poſt injuriam eſt.) *Raptores virginum apud Livium libro* I. *cap.* IX. *f*: Qu bus ſors corpora dediſſet, darent animos. ſæpe injuriâ poſtmodum gratiam ortam.

Et ſæpe naturam ſuperat neceſſitas.) *Videatur exemplum apud Diodorum Siculum libro* XVI. *Bibliothecæ, cap.* XVIII. *p.*

Et turpis aliquam pictor pulcram pinxerit.) *Gregorius*: Vſurpavi mihi cotis officium, quæ ferrum acuit, cùm ſit inutilis ad ſecandum: pulcrum depinxi hominem pictor fœdus; aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus verſor.

Et veritatem celat benevolentia.) *Syneſius Epiſt.*

ſtola CXLVII: εἰ μὴ φίλος ὢν γάνος ἐν τῷ λέγειν καὶ διαγγέλλειν σὰ σὲ πρὸς ἡμᾶς οἴεται δεῖν τι καὶ ψεύδεσθαι. δεινὸν γὰρ ἡ εὔνοια κλέψαι τὴν ἀλήθειαν: niſi amicus tuus Ganus narrando & nunciando nobis, res tuas, exiſtimat oportere quid mentiri. maximè enim veritatem ſupprimere poteſt benevolentia.

Etiam juvant caſtas formæ præconia.] *D. Hieronymus Epiſtola ad matrem:* Vix eſt ita turpis, aut ſenio confecta, quæ non gaudeat, & libenter audiat, ſi dicatur eſſe pulcra. Delectant caſtas etiam præconia formæ.

Etiam æſtimatur fama à Diis modeſtiæ.) *Vologeſes Parthorum Rex apud Tacitum libro* XV. *Annal. cap.* II. *m:* Veſtra quidem vis & gloria in integro eſt, additâ modeſtiæ famâ, quæ neque ſummis mortalium ſpernenda eſt, & à Diis æſtimatur.

Etiam altitudo res ſummas ipſa attonat.] *Factus verſus ex Mecænatis dicto, in libro qui* Prometheus *dictus*; Ipſa etiam altitudo attonat ſumma.

Etiam calamitas calamitatis ſolatium eſt.) *Syneſius Epiſtolâ* LVII: Καὶ γεγόνασι μοι συμφοραὶ παραμυθίαι τῶν συμφορῶν, πρὸς ἑαυτὰς ἀνθέλκουσαι, καὶ πεῖρα πάθους ἐκκρούουσαι: Et fuere mihi calamitates ſolatia calamitatum, ad ſeipſas retrahentes, & malum malo exturbantes. *quæ verba omnia invenias repetita Epiſtola* LXXIX.

Etiam dolendi diſciplina homini ſua eſt.) *Seneca ad Polybium capite* XXXIV: *de Cæſare patruo Claudij Imp:* Modum tamen lugendi non ſibi tantùm ſed etiam aliis fecit; ac totum exercitum, non ſolùm mœſtum, ſed etiam attonitum, corpus Druſi ſui ſibi vindicantem, ad morem Romani luctus redegit;

judicavitque non tantum militandi disciplinam esse servandam, sed etiam dolendi.

Etiam dolor ridiculos homines efficit.) *Dictum Diceconis Oratione* I. *in Verrem cap.* XLVII. *f.*

Etiam boum pro lignis fimus uritur.) *Oeconomica cui usui esse queat hujus rei notitia. Esse autem gentes ubi illud usurpetur, liquet ex Livij libro* XXXVIII. *capite* XVIII: Data venia regulo. duci inde exercitus per Axylon, quàm vocant, terram cœptus. Ab re nomen habet. non ligni modò quidquam, sed ne spinas quidem, aut ullum aliud alimentum fert ignis: fimo bubulo pro lignis utuntur.

Etiam decens & luctui imperat pudor.) *Non advertit à superiori.*

Etiam dolendi disciplina homini sua est.) *Basilium Seleuciensis Oratione* XL: τί ὖν, φησὶν ἀνθρωπον ὄντα ἐμὲ μὴ δακρύειν; μὴ γὰρ ἐγὼ τοῦτ' κωλύω κωλύω ἀλγεῖν, ἀλλὰ κωλύω ἀκρατῶς ἀλγεῖν. σὸν εἰμὶ ῥηριώδης ὐδὲ ἀπηνής· οἶδα ἡ φύσις ἐλέγχειν καὶ ἀπιζητεῖται σπήθειαν ἐ τῶν ὁμιλίαν γὰ καθημερινῶν: Quid ergo, dicat quis, homo cùm sim lacrimare non est integrum? non ego lacrimas prohibeo, verum ne quid in luctu turpe prohibeo. Non sum usque adeò ferus aut inclemens. scio naturam se prodere, & consuetudinem domesticam quotidianamque familiaritatem requirere. *Similia legas apud Senecam Epistolâ* LXIII.

Etiam domi beatis aurum nascitur.) *Citatur apud Herennium libro* IV. *cap.* XXIII. *f.*

Etiam eligas opportuna horreis loca.) *Præceptum ad Duces spectat. Livius libro* XLIV. *cap.* IX. *f.* Sed hiberna jam præparans, vias commeatibus subvehendis ex Thessaliâ muniri jubet, & eligi horreis opportuna

tuna loca, tectaque ædificari, ubi diversari portantes commeatus possent.

Etiam fides ipsis præstanda perfidis.) *Est ab D. Ambrosio, qui consulatur libro* II. *Officiorum. Cæsar quoq; in Sallustii Catilinariâ cap.* LI: Bellis Punicis omnibus, cùm sæpe Carthaginienses & in pace, & per inducias multa nefaria facinora fecissent, nunquam Romani per occasionem talia fecere &c.

Etiam feræ subjectionem ultro induunt.) *Egesippus libro* V. *de excid. Hierosol. cap.* XV: Non omnibus victoria datur. paucis præesse Natura dedit, pluribus obtemperare. Tauri armentis eminent, arietes gregibus. Penes paucos eminentia, penes plurimos mansuetudo. Et vos induite mansuetudinem; suscipite subjectionem, quam etiam feræ induunt.

Etiam impium votum sceleris vicem tenet.) *Seneca libro* VI. *de Benef. cap.* XXXVII: Ne in patrocinium quidem est, nedum in gloriam, incendium exstinxisse quod feceris. In quibusdam civitatibus impium votum sceleris vicem tenuit. Demades certè Athenis eum, qui necessaria funeribus venditabat, damnavit, cùm probasset magnum lucrum optasse; quod contingere illi sine multorum morte non poterat. *Valerius Maximus libro* VIII. *cap.* I: Claudiam insontem crimine, votum impium subvertit: quia enim à ludis domum rediens turba elideretur, optaverat ut frater suus, maritimarum virium nostrarum præcipuâ jactura, reviviscceret; sæpiusque Consul factus infelici ductu nimis magnam urbis frequentiam mineret.

Etiam impudicat nimius cultus corporis.] *Hactenus, ut talis passim in suspicionem veniat impudicitiæ.*

notissimum est Claudiam Vestalem dubiæ fuisse fumæ ob vestitum delicatiorē, de quo præter Livium libro XXIX. *cap.* XIV. *f. Lactantius libro* II. *cap.* VIII.

Etiam in Deis laudamus mansuetudinem.) *Isocrates Oratione ad Philippum*: Ὁρῶ γὰρ ὡς μὲν χαλεπότητας λυπηρὰς ὄσας καὶ πῶς ἔχει, καὶ τῆς ἐντυγχάνει: ὡς δὲ πραότητας ἡμέρου δὴ τοῦ ζώων, καὶ τοῦ ἀνθρώπων, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων εὐδοκιμούσας, ἀλλὰ καὶ τῶν θεῶν: Difficiles mores molestes esse video, tum iis penes quos sunt, tum his qui eorum consuetudine utuntur: mansuetudinē verò non in animantibus solùm, & hominibus & ceteris rebus omnibus, sed in Diis quoque celebrari.

Etiam invenias quietem lassitudine.) *Seneca de Tranquillitate animi cap.* II: Adjice illos, qui non aliter quàm quibus difficilis somnus est, versant se, atque hoc & illo modo componunt, donec quietem lassitudine inveniant.

Etiam invenias qui honesta in mercedem colant.) *Quos ipsos meritò exagitat Seneca libro* IV. *de Beneficiis capite principe:* rerum enim honestarum pretium in ipsis est.

Etiam in virum potest converti femina.) *Putarim non tam dici de moribus, quàm de corpore. neque enim solùm inveniamus*, gallinam in marem, gallum in feminam sese vertisse *in Campaniâ, apud Livium libro* XXII. *cap.* I. *m: sed etiam puellas evasisse in viros; quorum exempla aliquot reperias, tum apud alios scriptores, tum apud Diodorum Siculum; in Eclogâ videlicet primâ libri Bibliothecæ* XXXII.

Etiam ipsa Virtus adprobat se pessimis.) *Idem penè est cum superioribus illis:* Etiam improbis suus ad verba

verba improba est rubor. *item:* Etiam improbi vitiorum nomen respuunt.

Etiam manu fit hominum pestilentia.] *Tunc nimirum cùm violantur fontes venenis; quod non solùm contingit in bello ab hostibus. sed etiam ab inimicis nostris invidisque. utinam id non firmaret crebra experientia.*

Etiam manu navem comprendas ferreâ.) *Fortè ænigmatis vicem præbet: Interim corvos, quos* ferreas *vocant* manus, *navibus injectas, adeo ut cominus consereretur pugna, nulli non cognitum est, vel ex Livii libro* XXVI. *cap.* XXXIX. *m: libro* XXXVI. *cap.* XLIV. *f.*

Etiam memoria absentes præsentes facit.) Ἡ μὲν ἀεὶ ἡμῶν, ἐπιδημεῖς τῇ μνήμῃ: Nobis semper, etiam absens, præsens memoriæ obversaris, *inquit Olympio Synesius Epistola* CXLIX.

Etiam natura ad laudem indoctos provehit.) *Lactantius libro* III. *cap.* XV: Nullum igitur in hac disciplinâ magisterium virtutis est; cùm etiam illi, qui honestiora præcipiunt, aut non faciunt ipsi quæ suadent; aut si faciunt (quod rarò accidit) non disciplina eos ad rectum, sed natura perducit, quæ sæpe etiam indoctos ad laudem impellit.

Etiam parentes nimium exanimat gaudium.) *Obvium exemplum de Romanis mulieribus, unam quidè,* in ipsâ portâ, sospite filio repentè oblato; in conspectu ejus exspirasse; alteram, cui mors filii falso nuntiata erat; mœstam sidentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam. *Livius libro* XXII. *cap.* VII. *Seneca Epito.* VIII. *Controversia prima, aliique plures.*

Etiam ruinâ extinguere est incendium.] *Sic est*

igne vastiore, nulla ratio est, impediundi ejus impotentiam, nisi domorum aliquot ruinâ. Cui remedio miserrimo alluſit Catilina apud Sallustium capite XXXI. *f:* Quoniam quidem circumventus, inquit, ab inimicis præceps agor, incendium meum ruinâ exstinguam: *Seneca libro* I. *de Clementiâ cap.* XXV. Sub uno aliquo tecto flamma apparuit? familia vicinique aquam ingerunt: at incendium vastum, & multas, jam domos depastum, parte urbis obruitur.

Etiam scelestos ejurare fas patres.) *Rationem videsis apud Senecam libro* VI. *de Beneficiis cap.* IV.

Etiam scelus nocet privati publico.) *Inde argumentatio Horatij lib.* III. *Odâ* II: Vetabo qui Cereris sacrum vulgarit arcanæ, sub iisdem sit trabibus, fragilemque mecum Solvat phaselum. sæpe Diespiter Neglectus incesto addidit integrum &c. *Tacitus libro* XII. *Annalium, cap.* V: Quin & incestum: ac si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur.

Etiam sine armis, religionis vincere est.) *Josephus Judæis suis âpud Egesippum libro* V. *cap.* XVI: Intermissa erat sacræ cura religionis Heli sacerdotis negligentia: divina imperia deserabantur, irrogatum ab Allophylis prælium victi Hebræi, capta etiam arca Dei, & sine armis reddita illis: quo indicio claruit, quod & sine religione arma non vincant, & religionem sine armis vincere.

Etiam sine hoste, homines patimur hostilia?) *Adeò quidem, ut cladis causſas, si alia deficiunt, nimia sibi inveniat felicitas. Acute Publius Syrus:* Homo ne sit sine dolore, fortunam invenit.

Etiam suis beneficia servi dant heris.) *Idipsum pluribus*

ribus capitibus probat. Seneca libro III. *de Beneficiis.*

Etiam ſuis bona includuntur finibus.) *Adſine illi quod non ita multum præceſſit:* Etiam modus ſuus ipſimet ſapientiæ eſt.

Etiam ſuis ipſum patronis jus eget.) *Dicit, puto, idem quod Syneſius Epiſtolâ* CLVI: Τὰ δίκαια χρήζει συμμάχων, ἢ γίγοιντ' ἂν οἱ βοηθήσαντες αὐτοῖς δίδαιμονες, τοῖς ὀρθῶς ἔχουσι συμπονήσαντες: Ius indiget patronis, & beati fuerint, qui opem ei tulerint, unà cum his, quæ recta ſunt elaborantes.

Etiam temeritas hoſtem in prælium elicit.) *Tacitus libro* II. *Annal. cap.* LII. *m:* Sed nihil æquè cavebatur, quàm ne bellum metu eluderent. ſpe victoriæ inducti ſunt, ut vincerentur. *Idem lib.* XV. *ca.* XIII: Eoque intentius Vologeſes premere obſeſſos, modò vallum legionum, modò caſtellum quo imbellis ætas defendebatur, oppugnare; propius accedens quàm mos Parthis, ſi eâ temeritate hoſtem in prælium eliceret.

Etiam togatis latrocinia ſunt ſua.) *Seneca libro, in ſapientem non cadere injuriam, capite* IX: Illud quoq; cogita, injuriarum latiſſimè patere materiam illis, per quæ periculum nobis quæſitum eſt: ut accuſatore ſubmiſſo, aut criminatione falsâ, aut irritatis in nos potentiorum motibus, quæque alia inter togatos latrocinia ſunt.

Etiam triumphat lucrum de ſapientiâ.) *Pindarus:* Ἀλλὰ κέρδει ἢ σοφίᾳ δεδέπται: Etiam ſapientia ipſa lucro vincitur.

Etiam tyrannus ſævus eſt per otium.] *Seneca libro* II. *de Irâ capite* V: Origo hujus mali ab irâ eſt; quæ ubi frequenti exercitatione & ſatietate in obli-

oblivionem clementiæ venit, & omne fœdus humanum ejecit animo, noviſſimè in crudelitatem tranſit. rident itaque, gaudentque, & voluptate multâ perfruuntur, plurimumq; ab iratorum vultu abſunt, per otium ſævi.

Etiam viâ legum impugnant leges mali.) *Syneſius Epiſtola* XLVII: Κωλύσατε τὸν ἀληθέστερον ἄνθρωπον τῷ λόγῳ τῶν νόμων ἐπὶ τὰς νόμους ἐλθεῖν: Prohibete ſceleratum hominem legum viâ in leges graſſari.

Etiam viros fortes ſubitis exterreas.) *Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* LIX. *pr:* Nihil adverſum hoc Neroni proviſum. etiam fortes viros ſubitis terreri nedum ille ſcenicus, Tigellino ſcilicet cum pellicibus ſuis comitante, arma contra cieret.

Etiam viros debellat invictos dolor.] *De Ajace Ovidius libro* XIII. *Metamorph. verſu* CCCLXXXV: Hectora qui ſolus, qui ferrum ignesque, Iovemque Suſtinuit toties, unam non ſuſtinet iram: Invictumque virum vicit dolor.

Etiam volunt pacem qui poſſunt vincere.] *Titus Quintius:* Pacem, etiam qui vincere poſſunt, volunt: quid nos velle oportet? *apud Livium libro* VII. *cap.* XLI. *p.*

Etſi Deus differt pœnam, haud aufert pedem.] *Pindarus:* Χρόνια μὲν ἃ τῶν Θεῶν πῶς, εἰς τέλος δ' ὅσιον ἀέθεν ἦ: Serò veniunt res Deorum, ſed poſtremò non infirmæ. *Horatius;* Rarò antecedentem ſceleſtum deſeruit pede Pœna claudo.

Ex confragoſo fortior miles venit.) *Quales ſunt paſtores &c. Tacitus libro* VI. *Annal. cap.* XXXIV: Nam Hiberi Albanique, ſaltuoſos locos incolentes, duritię

duritiæ patientiæque magis insuevere. *Livius libro* IX. *cap.* XIII. *m:* Samnites eâ tempestate in montibus vicatim habitantes, campestria & maritima loca, contemptu cultu molliore, atque ut evenit, locis simili genere, ipsi montani atque agrestes depopulabantur.

Ex militum fit otio protervia.] *Livius libro* II. *cap.* LII: Ex copiâ deinde otioque lascivire rursus animi; & pristina mala postquàm foris deerant, domi quærere.

Excusat à judicio morbus sonticus.] *Satis notum ex libris Jureconsultorum. Etiam Livius lib.* XXXVIII. *cap.* LII. *m:* Tribuni plebei appellati à L. Scipione, ita decreverunt, si morbi caussâ excusaretur, sibi placere accipi eam caussam, diemque à collegis produci.

Excusa potius proximum, quàm judices.) *D. Bernardus:* Noli judicare proximum, sed magis excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta surreptionem, puta casum, &c.

Exercet omnis mundus histrioniam.) *Notissimus versiculus, quemque excutit Policratici auctor lib.* III. *capite* IX.

Exempla honesta procreant mores mali.) *Idem est cùm proximè antecedente:* Exemplum honestum aliorum ex culpâ gignitur. *Cato apud Livium libro* XXXIV. *cap.* IV: Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quàm remedia eorum: sic cupiditates prius natæ sunt quàm leges, quæ iis modum facerent.

Exempla testimoniorum obtinent locum.] *Verba ex*

ba ex libro IV. *ad Herennium capite* I. *m.*

Exercitatus miles est saniſſimus.] *Conſulatur Onoſander cap.* X. §. II. *Livius libro* X. *cap* XXV. *m:* Negabat utile eſſe uno loco ſedere exercitum: itineribus, ac mutatione locorum nobiliorem ac ſalubriorem eſſe &c. *addatur Salluſtij Iugurthina cap.* XLV. *m.*

Exordium est egeſtatis, nil parcere.] *Rutilius Lupus de figuris ſent. lib.* II: Nequaquam mihi dives eſt, quamvis multa poſſideat, qui neque finem habet cupiendi, neque modum ſtatuit utendi. nam & multum deſiderare, egentis eſt ſignum: & nihil parcere, egeſtatis eſt initium.

Expers ſepulcri mens eſt, expers gloria eſt.) *Æquè rotundè Sidonius Apollinaris libro* IV. *Epiſtolâ* II: Mens & gloria non queunt humari.

Expulit Libido Reges, expulit Decem viros.) *Egregium carmen, quo libidinis commendatur abſtinentia; ſed quod huc minus conveniat. ablegendum enim erat ad Trochaicos. Utrumq; verò ordinem hac de cauſâ exactum Româ, præter infinitos alios, ponit diſertè Livius lib.* III. *cap.* XLIV. *p.*

Exſtingui aquis, mors mortium miſerrima.) *Unde apud Virgilium libro* I. *Æneid. verſu* XCVIII. O terque quaterque beati, quos ante ora patrum, Trojæ ſub mœnibus altis contigit oppetere! *Latius de* hac *morte Syneſius Epiſtolâ* IV. *item* XXV.

Extollit animum a matre & patre nobilis.) *Cui enim altera adeſt nobilitas videtur navis* Amiſſis remis, atque ordine debilis uno. *Livius libro* XLIV. *cap.* XXX: Hoc propter ignobilitatem paternam minus ſuſpecto, Platorem occidit &c. *addatur Iuſtinus lib.* I. *cap.* IV. *m. Euripidis Electra, Tacitus lib.* III. *Annal. cap.* XCII.

XCII. *Plutarchi Sulla. Seneca libro* VII. *Controversiâ* VII. *F. aliique passim.*

F

FAcientis animum nemo, omnes factum æstimant.) *Pessimè. ille enim intuendus est*; an noluerit; an inciderit; an coactus sit, an deceptus: odium secutus sit, an præmium; sibi morem gesserit; an manum alteri commodaverit, *ut loquitur Neronis præceptor libro* III. *de Irâ cap.* XII.

Facilè est homini despicere opes, opes cùm habet.) *D. Gregorius libro* II. *Moralium:* Facilè est homini tunc divitias despicere cùm habet: difficilè verò cùm non habet, viles æstimare.

Facilè invenire est rebus jam motis ducem.) *Apud Tacitum Poppæa Neroni:* Arma illa adversus Principem, sumpta: ducem tantum defuisse, qui motis rebus facilè reperiretur. *lib.* XIV. *Annal. cap.* LXI. *m.*

Facilè fidem cum sorte mutant barbari.) Cum sorte, *id est cum fortunâ: nec id barbarorum tantùm, sed omnium mortalium. Vellejus Paterculus, libro* II. *cap.* LIII: Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? *Insignes tamen præ ceteris barbari. Livius libro* XXII. *cap.* XXII: Acedux erat Sagunti nobilis Hispanus fidus ante Pœnis: tum (qualia plerumque sunt barbarorũ ingenia) cum fortunâ mutaverat fidem &c. *De Syphace idem auctor lib.* XXVIII. *cap.* XVII. *p:* Fœdus eâ tempestate Regi cum Carthaginiensibus erat, quod haud gravius ei sanctiusq; quàm vulgo barbaris quibus ex fortuna pendet fides.

Facit insolentes formæ conscientia.) *Egesippus libro* I. *de excidio Hierosolymitano cap.* XXXVIII: Hunc Mariamne exitum tulit, sobriè viro pudica, sed insolens formæ conscientiâ.

Faciundum id nobis quod parentes imperant.] *Versus Plautinus è Sticho*; *versus nempe* LIII. *actus* I. *sc.* I.

Factis honestas colitur, haud sermonibus.) *Decius apud Halicarnassæum libro* VII: Τοῦτο γὰρ ἦν ἔργα ἀγαθοῦ πολίτου, καὶ τὸ καλὸν ἔργοις ἀσκεῖν ἀλλ' οὐ λόγοις: Hoc erat boni civis officium, reverâ virtutem colentis, non verbis.

Falsum probrũ aures fortè, mentem non subit.) *Æschines de falsâ legatione*: Τὸ γὰρ ψευδὲς ἀνειδος οὐ περαιτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνεῖται: Falsum probrum ultra aures non penetrat.

Famæ reclamat sæpe conscientia.) *Seneca libro* IV. *de Beneficiis cap.* XXI: Conscientia etiam obruta delectat, quæ concioni ac famæ reclamat, & in se omnia reponit; & cùm ingentem ex alterâ parte turbam contra sentientium aspexit, non numerat suffragia, sed unâ sententiâ vincit.

Fame, sitique, speque, piscator perit.] *Verba Plautina ex Rudentis versu* VII: *actu*: II. *sc.* II.

Fas est sine ferro & sanguine esse Martyri.) *D. Gregorius*: Nos sine ferro & sanguine Martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodiamus.

Fas pro salute proloqui mendacium.) *Pisandri versus Consonat*: Οὐ νέμεσις καὶ ψευδῆ σωτὴρ ψυχῆς ἀγορεύειν: Non reprehendendus est qui mendacium pro vitâ suâ dixerit.

Fasti-

Fastidium parit plerumque copia.) *Livius libro tertio, capite principem:* Fecit statim, ut fit, fastidium copia.

Fatale cuique est, quid fleat, quid gaudeat.) *Seneca lib. de Providentia cap.* v: Fata nos ducunt; & quantum cuique restet, prima nascentium hora dispositit. causa pendet ex causâ; privata ac publica longus ordo rerum trahit. ideò fortiter omne ferendum est: quia non, ut putamus, incidunt cuncta sed veniunt. Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleveas, &c.

Fato datur, fato potestas tollitur.) *Tranquillus in vitâ Titi Imp: cap.* IX: Duos patricii generis convictos in affectatione imperii, nihil ampliùs quàm ut desisterent monuit, dicens principatum fato dari. *consulatur super eadem re judicium Ægyptiorum apud Diodorum Siculum, libro* I. *Biblioth: capite* XC. *f.*

Fato Metelli Romæ fiunt consules.) *Alludit isti versui Cicero in Verrem actione primâ cap.* X: *citatur autem veluti Nævianus ab Asconio Pædiano.*

Feciſſe, factæ pœna injuriæ maxima est.) *Seneca libro* III. *de Irâ cap.* XXVI: Quid ergo? inquis, impunè illi erit? Puta te velle; tamen non erit. maxima enim factæ injuriæ pœna, feciſſe: nec quisquam gravius afficitur, quàm qui ad supplicium pœnitentiæ traditur, &c.

Felicitas felix minus propter locum est.) *Synesius Pylameni, Epistolâ* XLVIII: Καλῶς ποιεῖς εἰς τὴν ἔχουσαν τὸν βασιλέα πόλιν ἐπανελθών. εἰ γὰρ καὶ τῆς Ισαύρων ὄρεσιν ἀγαθὴ σι τύχη σωλεῖν· ἀλλ' ἀτυχία τοῦδε τὸν τόπον ἀτυχεστέρᾳ: Rectè feciſti, quòd reversus sis in urbem

Imperatorem habentem. licet enim in Isaurorum montibus tibi fuisset fortuna contubernalis : attamen est secunda fortuna propter locum infelicior.

Felicitas premit se, nisi se temperat.) *Seneca Epistolâ* LXXIV: Quisquis bona sine ratione possedit, non diu tenuit. ipsa enim felicitas se, nisi temperat premit. &c.

Felicitas non stat : vita ipsa est circulus.) *Respexit forte ad Phocylidis carmen :* Κοιναὶ πάντων πάντων. ὁ βίος τροχός, ἀεὶ δ' ὅλβος : Communes sunt casus omnium. vita circulus est, & instabilis felicitas.

Felicitas quæ lenta est, est durabilis.] *Seneca ad Marciam cap.* XII: Nulli ferè & magna bona & diuturna contingunt. non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta felicitas.

Felicitatem difficulter quis regat.) *Apud Tacitum Neroni Seneca:* Medio temporis, tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus. *libro* XIV. *Annal. cap.* LIII. *p.*

Fer mente æquâ pauperiem ; effeceris levem.) *De Philemone & Baucide Naso libro* VIII. *Metamorph. versu 635:* -paupertatemque ferendo, Effecere levem, nec iniquâ mente ferendam.

Ferè flagitia quævis tollunt literæ.] *Epitome Sexti Aurelij Victoris in vitâ Vitellij:* Hi omnes, quos paucos attigi, præcipuè Cæsarum gens, adeò literis culti atque eloquentiâ fuere, ut ni cunctis vitiis, absque Augusto, nimii forent, profectò texissent immodica flagitia.

Ferè puer bonus in virum evadit malum.) *Idem hodie, Europæorum communi dicitur proverbio; idemq; testa-*

teſtatur experientia: nec deſunt ſuæ ſibi rationes. de quibus alibi diximus prolixè.

Ferè novant res, nulla res quibus domi eſt.] *Quid mirum?* Inops audacia tuta eſt, *inquit ille. Livius libro* XLII. *cap.* XXX. *p:* Pars altera regiæ adulationis erat, quos æs alienum & deſperatio rerum ſuarum eodem manente ſtatu, præcipites ad novanda omnia agebat.

Ferina rabies eſt gaudere ſanguine.] *Seneca libro* I. *de Clementiâ cap.* XXIV: Crudelitas minimè humanum malum eſt, indignum tam miti animo. Ferina iſta rabies eſt, ſanguine gaudere ac vulneribus; & abjecto homine, in ſilveſtre animal tranſire.

Fermè indiget auxilio, auxilium qui non tulit.) *Ajax apud Ovidium libro* XIII. *verſu* LXXI: Adſpiciunt oculis Superi mortalia juſtis. En eget auxilio qui non tulit: utq; reliquit, Sic linquendus erat: legem ſibi dixerat ipſe.

Ferox juventus maximè exitio ſibi eſt.) *Exemplo ſit vel Cæſo Quintius, de quo ſic Livius lib.* III, *cap.* XI. *f:* Aulus Virginius Cęſoni capitis diem dicit: atrox ingenium accenderat eo facto magis quàm conterruerat: eò acrius obſtare legi, agitare plebem, tribunos veluti juſto perſequi bello. accuſator pati reum ruere, invidiæque flammam ac materiam criminibus ſuis ſuggerere: legem interim, non ad ſpem perferendi, quàm ad laceſſendam Cæſonis temeritatem ferre, &c.

Ferro vel igne, fruſtra amorem cogere eſt.) *Quoniam amare, ut & odiſſe, res ſunt omnium liberrimæ. Non inſulsè Dio Caſſius de Auguſto, libro* XLVIII: καὶ ὃκ τούτου διετέλει ἢ τούτοις ἢ ἐκείνοις προσκούων· ἢ

τοτὲ μὲν ὡς φιλόδημος, τοτὲ δὲ ὡς καὶ φιλοστρατιώτης ἐγκαλέμενος. καὶ διὰ ταῦτα ἐπὶ μήτε τὶ ἤνυε. καὶ ὥσπερ καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων ἔμαθεν ὅτι οὐδὲν ἄλλο ὄπλα πρὸς τὸ τοὺς ἀδικημένους εὐνοϊκῶς οἱ ἔχειν ἐδύνατο, ἀλλ' ἀπολέσαι μὲν πάντα τὸ μὴ ὑπήκοον δ' αὐτῶν οἷόν τε ὑπ' ἀνάγκαις ἀδικίας· ἵνα δ' φιλεῖν οὐ μὴ βλέπῃ, ἀδύνατον ὑπάρχοι. Sic Cæsar identidem alterutram partem offendens, ac modò ob populi studiū, modò ob militum, malè audiens, nihil proficiebat: experiebatur ipsâ re, armis eorum benevolentiam, quos injuriâ affecisset, parare se sibi non posse: sed posse quidem omnes qui non obtemperassent ipsi, armis ad interitum adigi: cogi verò armis, ut eum quem nollet, amaret, neminem posse.

Ferrū sui formidant lateris Principes.) *Desumptū est ex eis quæ legimus apud Senecæ Thebaidē, vers.* 446.

Fertilibus agris si imperes, exhaurias.) *Seneca de Tranquillitate animi cap.* XV: Danda est remissio animis: meliores acrioresque requieti surgent. Vt fertilibus agris non est imperandum: citò enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas; ita animorum impetus assiduus labor frangit. vires recipiēt paullum resoluti & remissi. nascitur ex assiduitate laborum, animorum hebetatio quædam & languor.

Fiat moderatè quod faciendum est sæpius.) *Idem consolatione ad Polybium cap.* XXIII: Lacrimę nobis deerunt antequam caussæ dolendi. Non vides qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quæ primum nascentium omen fletum esse voluit? hoc principio edimur; huic omnis sequentium annorum ordo consentit: sic vitam agimus: ideoque moderatè id fieri

fieri debet à nobis, quod sæpè faciendum est, &c.

Fidelem amicum facies, si putaveris.) *Inde argumentatio Livii libro* III. *cap.* XVI: Multi & varii timores. inter ceteros eminebat terror servilis, ne suus cuique domi hostis esset, cui nec credere, nec non credendo, ne infestior fieret, fidem abrogare satis erat tutum. *Vere Acedux Bostari apud eundem historicum libro* XXII. *cap.* XXII. *m:* Vult sibi quisq; credi, & habita fides ipsam plerumque obligat fidem.

Fides bonis majorem adhibet vim quàm metus.) *Cicero oratione pro Roscio Amerino cap.* XI: Nulla res tanta exsistat, Iudices, ut possit vim mihi majorem adhibere metus quàm fides.

Fides tyranni maxima erga extraneos.) *Quare; non uno loco prodidere Plato, Aristoteles, Xenophon: superatque exemplorum copia passim, passim. inde etiam est, quod milite utantur extraneo, nec non satellite. Livius libro* XXXIV. *cap.* XXVIII. *m:* Nabis intra murum instructos paratosque habebat sub signis mercenarios milites, in quibus omnis fiducia erat. *Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* LVIII: Volitabantque per fora, per domos, rura quoque & proxima municipiorum pedites equitesque permixti Germanis, quibus fidebat Princeps, quasi externis. *de quibus Germanis, non contemnenda quoque reperias apud Iosephum libro* XIX. *Antiquit. Iudaicarum cap.* I.

Fidei facit jacturam sæpe dejerans.) *Egregiè igitur Diodorus Siculus libro* I. *Bibliothecæ Historicæ cap.* LXXIX. *p:* Τὰς δὲ πρὸς τοὺς συμβολαίων νόμους βοηχόους δεδόσθαι φασί. πρόσταξαι γὰρ τοὺς μὲν ἀσυγγράφως δανίσασθαι, καὶ μὴ φάσκουσιν ὀφείλειν, ὁμόσαντας ἀποτίνεσθαι δανείσασθαι. πρῶτον μὲν, ὅπως ἐν μεγάλῳ

πθέμενοι τοὺς ὅρκους, δεισδαιμονῶσι. προδήλου γὰρ ὄντος ὅτι τῷ πολλάκις ὁμόσιον τι συμβήσεται τὴν πίστιν ἀποβαλεῖν ἵνα τῆς ἐυχρηστίας μὴ στερηθῇ, περὶ πλείστου πᾶς τις ἕξει τὸ μὴ καταντᾶν ἐπὶ τὸν ὅρκον. ἔπειθ' ὑπελάμβανεν ὁ νομοθέτης, τὴν ὅλην πίστιν ἐν τῇ καλοκαγαθίᾳ ποιήσας, προτρέψεσθαι πάντας προθύμως εἶναι τοῖς ἤθεσιν, ἵνα μὴ πίστεως ἀνάξιοι ἀφαιρεθῶσι. πρὸς ἤ τούτοις, ἄδικον ἔκρινεν εἶναι τοὺς χωρὶς ὅρκου πιστευθέντας, περὶ τῶν αὐτῶν συμβολαίων ὁμόσαντας μὴ τυγχάνειν πίστεως. Leges de commerciis à Bocchoride latas asserunt. His mandatur, ut si quis pecuniis mutuò acceptis absque syngrapho se debere neget, interposito juramento, à debito absolvatur. Primum adeò ut jurisjurandi religionē magnifacientes Deum revereantur. Cùm enim manifestum sit, quod sæpius deierans fidei jacturam faciat, unusquisque, ne hoc emolumento privetur, maximoperè cavebit ne ad juramentum deveniatur. Deinde & hoc animum legislator induxit, si fidem in vitæ integritate totam constituat, cunctos ad morum probitatem invitatum iri, ne tanquam fide indigni infamentur. Iniquum præterea judicabant, quibus citra juramentum fides habita esset, his de eodem contractu juratis fidem denegari.

Fieri nequit vir semper ut lateat malus.] *Plato libro* 1. *de Republicâ:* οὐ ῥᾴδιον, ἀεὶ λανθάνειν κακὸν ὄντα.

Fieri suum, bonum est inæstimabile.] *Seneca Epistolâ* LXXV: Quæris quæ sit absoluta libertas? non homi-

homines timere, non Deos: nec turpia velle, nec nimia: in seipsum habere maximam potestatem, Inæstimabile bonum est, suum fieri.

Finis sacerdotii una Contemplatio est.) *Synesius Andronico Epistolâ* LVII: Θεωρία τέλος ἐστὶν ἱερωσύνης, μὴ ψευδωνύμου τὸ ὄνομα: Contemplatio finis est episcopatus, non ementientis nomen suum.

Fit crimen, haud ex se ipso, verùm ex causâ, opus.] *Versus sensus obscurissimi. longè facilius eum adsequeremur, si neglectis numeris legeretur*, Opus non ex se, sed ex causâ, fit crimen; *quæ verba extant, libro* I. *Policratici cap.* IV: *ut & eorum explicatio: unde petatur.*

Fiunt mali pejores, si laudaveris.) *Philostratus libro* VIII. *de vitâ Apollonij:* Οἱ γὰρ κακοὶ, κακίας ἐπαινούμενοι: Pravi si laudentur, deteriores evadunt.

Flammas Amoris separare noxium.) *Orpheus:* Οὐ μὲν δὴ λῦσαι φίλον ἔς ἐκπυρσὸν ἔρωτος: Non bonum est divellere conjugii flammas.

Flecti emerendo vel jecur horridum potest.) *Simile quid extat in Senecæ Hercule OEtæo, versu* 574.

Fœcunditas ætatem exprobrat feminis.) *Helbiæ matri filius Annæus cap.* XVI: Non gemmæ te, non margaritæ flexerunt: non tibi divitiæ, veluti maximum generis humani bonum, refulserunt: non te bene in antiquâ & severâ institutam domo, periculosa etiam probis, pejorum detorsit imitatio: non te fœcunditatis tuæ, quasi exprobraret ætatem, puduit, &c.

Formidinis nunquam expers est infirmitas.) *Egesippus libro* I. *Excidij Hierosol. cap.* VI: Haud difficilè æger animus in valido fessus corpore impulsus

est, ut credibile duceret, quod pro vero adferebatur: maximè cùm dies sacratus religioni, mendacii suspicionem excluderet, pompa excitaret invidiam, infirmitas metum adderet &c.

Fortuna minimè caussa contingentium est.) *Unde Polybius*, τ συμβαινόντων τύχλω αἰτιᾶσθαι φαῦλον: Amenta est fortunam facere caussam eventorum.

Fortuna plus consiliis humanis potest.) *Livium libro* XLIV. *cap* XLVI. Neutro imperatorum volente, fortuna, quæ plus consiliis humanis pollet, contraxit certamen.

Fortuna quæ dat, sunt insidiæ, haud munera.] *Alludit ad illud Græcum*, Hostium munera, ne-munera. *Videatur Senecæ Epistola* VIII. *cujus sunt verba*.

Fortuna quamvis maxima, haud mutat genus.) *Horatio adfine Epod.* IV: Licet superbus ambules pecunia; Fortuna non mutat genus.

Fortuna queis repentina, iis est & gravis.) *Seneca consolatione ad Helbiam cap.* V: Illis gravis est fortuna, quibus est repentina. facilè eam sustinere potest, qui semper exspectat.

Fortuna rebus dat famam, & famam eripit.) *Sallustius Catilinariæ cap.* VIII: Sed profectò fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex libidine magis, quàm ex vero celebrat, obscuratque. Athenienſium res gestæ, sicut ego existimo, satis amplæ magnificæque fuere: verùm aliquanto minores quàm famâ feruntur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia; per terrarum orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur, &c.

Curtius

Curtius libro IX. *cap.* LIV: Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen incessit; parata præda, si quid victus saltem adversus comessantes animi fuisset. Mille herculè viri modò, & sobrii, septem dierum crapulâ graves, in suo triumpho capere potuerunt. sed fortuna, quæ rebus famam pretiumque constituit, heic quoque militiæ probrum vertit in gloriam, &c.

Fortuna sæpe pro culpâ innocentiæ est.) *Neronis præceptor libro* I. *de Clementiâ cap.* II Deinde habet clementia in personâ quoque innocentium locum: quia interdum fortuna pro culpa est: nec innocentiæ tantùm clementia succurrit, sed sæpe virtuti: quoniam quidem conditione temporum incidunt quædam quæ possint laudata puniri.

Fortuna sæpe commutatur cum loco.) *Synesius Epistolâ* CII: Αἰτᾶται δὴ τὴν τῆς πατρίδος ἀκληρίαν· ᾗ πείθει τις αὐτὸν λόγος, ὡς ἔστι συμμεταβαλεῖν τῷ χωρίῳ τὴν τύχην: Itaque accusat patriæ infelicitatem; & quædam ratio ei persuadet, quod licet commutare cum loco fortunam.

Fortuna semper vindicat jus gentium.] *Id est, stat ab ea parte in prælio & bello, in quibus læsum est jus commune generis humani: tuetur nimirum gentium jus, impugnatque ejus violatores. Livius libro* XXXVIII. *capite* XXV. *m*: Mille ad eam rem ex omni numero audaciæ expertæ deligerunt equites. & successisset fraus, in pro jure gentium, cujus violandi consilium initum erat, stetisset fortuna.

Fortuna sibi quærit pares fortissimos.) *Tanquam videlicet nolit componi cum athletâ inferiore. videatur Seneca libro de Providentia, cap.* III.

Fortuna volvi suevit è summo retrò.] *Paullus Æmilius apud Livium libro* XLV. *cap.* XLI. *m*: Illud optavi, ut cùm ex summo retrò volvi fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potius quàm respublica sentiret.

Fortuna ut artem, ita ars fortunam diligit.] *Reddidit versum, Aristoteli celebratum in Ethicis*: Τέχνη τύχῃ ἐστερξε, ἡ τύχη τέχνην.

Fraudi patet cuilibet ferocia.] *Id ipsum pluribus verbis firmat, libro* III. *Historiarum capite* LXXXI. *sub finem, Polybius, qui consulatur.*

Fraus cauta quamvis, tandem seipsam detegit.) *Livius libro* XLIV. *cap.* XV. *p*: Alii responsum esse tradunt, populum Romanum, & principio hujus belli, haud vanis auctoribus compertũ habuisse, Rhodios cum Perseo rege adversum Rempublicam suam occulta iniisse: & si ante id dubium fuisset, legatorum paullò ante verba ad certum redegisse: & plerumque se fraudem, etiamsi initio cautior fuerit, detegere.

Frontis beneficos etiam infirmitas facit.) *Seneca libro* II. *de Beneficiis cap. primore*: Nam cùm in beneficio jucundissima sit tribuentis voluntas; qui nolentem se tribuisse ipsâ cunctatione testatus est, non dedit, sed adversus ducentem malè tenuit. multi autem sunt, quos liberales facit frontis infirmitas.

Frugalitas virtutis specie decipit.) *Lactantius libro* VI. *cap.* XVI: Quod si patrimonio minimè parcen-

cendum est, ut humanitatem justitiamque teneamus, non est virtus frugi esse; quod nomen, virtutis specie fallit ac decipit. Est enim frugalitas abstinentia quidem voluptatum, sed eò vitium, quia ex habendi amore descendit; cùm sit & voluptatibus abstinendum, & pecuniæ minimè temperandum, &c.

Fuga irriti conatus stultitiam indicat.) *Julianus Imp. ad milites:* Quo cedimus, viri fortissimi? an ignoratis fugam, quæ salutem, nunquam reperit, irriti conatus stultitiam indicare? *Ammianus libro* XVI. *cap.* XXX. *p.*

Fugit pericla Ignavia, Virtus occupat.) *Est petitum è Senecæ Epistolâ vigesima quarta.*

Funus ferè est animæ, fœnus pecuniæ.) *Verba omnia reperias apud Leonem Magnum.*

Funus tacitum molestiarum habet minus.) *Seneca libro de Tranquillitate animi, cap.* I: Morti natus es: minus molestiarum habet funus tacitum.

Furare multa, pauca da; & servaberis.) *Citat Græcum Lampridius in Alexandro Severo:* Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δῷς, ἐκφεύξεται.

Fures vigilant potestates dum dormiunt.) *Sidonius lib.* I. *Epistola* VIII: Sitiunt vivi; natant sepulti: vigilant fures; potestates vigilant; fœnerantur clerici, Syri psallunt.

Furtiva magnis displicet victoria.) *Alexander apud Curtium, libro* IV. *cap.* LXXX: Latrunculorum, inquit, & furum ista solertia est, quam præcipis mihi. quippe illorum votum unicum est fallere. Meæ verò gloriæ semper aut absentiam Darii, aut angustias locorum aut furtum noctis, obstare non patiar. palam luce

luce adgredi certum est malo me fortunæ pœnitet, quàm victoriæ pudeat. *Similia memorat de Romanis Polybius libro* XIII. *Histor. cap.* I. *Sed & de Dario legimus apud Iustinum libro* XI. *cap.* XI: Rex Persarum fiducia virium, nihil astu agere; affirmans suis occulta consilia victoriæ furtivæ convenire &c.

G

GAleam recusat caput opertum linteo.) *D. Hieronymus Epistola ad Theodomachum:* De cubiculo ad aciem, de umbrâ egrediens ad Solem; corpus assuetum tunicæ, loricæ onus non sustinet: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum durus exasperat capulus, &c.

Generis sui corruptor, quid non audeat?] *De Antonini Imp. filio Commodo Aurelius Victor:* At filius sævâ à principio dominatione detestabilior habebatur, præcipuè per majorum controversam memoriam; quæ posteris usque eò gravis est, ut absque communi in impios odio, quasi corruptores generis, execrabiliores sint.

Genus infitiandi est, furtivè agere gratias.) *Seneca lib.* II *de Beneficiis cap.* XXIII: Quidam furtivè agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. non est ista verecundia; sed infitiandi genus. Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias.

Genus institutum humanum, ut paucis serviat.) *Iulius Cæsar apud Lucanum:* Humanum paucis vivit genus.

Gestatio æquè lassat quàm ambulatio) *Epistolâ Seneca* LV: A gestatione cùm maximè venio non minus fati-

fatigatus, quàm si tantùm ambulassem quantum sedi. labor est enim diu ferri; ac nescio an eo major, quia contra naturam est, quæ pedes dedit ut per nos ambularemus, oculos ut per nos videremus.

Gratissima est virtutum misericordia.] *Divus Augustinus libro* IX. *de civitate Dei*: Longè melius & humanius, & piorum sensibus accommodatius in Cæsaris laude locutus est Cicero; ubi ait: Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior nec gratior misericordiâ est.

Gratissima est virtutum liberalitas.) *Auctor Policratici libro* VIII. *cap.* XV: Cùm omnis virtus gratiosa sit, liberalitas gratissima est, eò quod plurimis prodest. *ubi tamen reponi malim*, gratiosissima est.

Gratissimũ est donum preces quod prævenit.) *Citatur versus apud Cassiodorum in Variis*: Gratius est donum quod venit ante preces. *Vnde Seneca libro* II. *de Beneficiis cap.* II: Serò beneficium dedit, qui roganti dedit.

Gratum est beneficium, amicum auctorem quod habet.) *Si non verba, at sensus est ab Ennodio, qui sumpsit ab istis Ovidij*: -acceptissima semper Munera sunt auctor quæ pretiosa facit.

Gravior solet esse testis, surgit qui à reo.) *Formatus versus ex totidem verbis Pompeij Silonis, producta. Seneca patri in controversiis*: Non multum refert mea ubi sit. ab hac parte crimen objicitur, ab illâ ostenditur. Gravior testis esse solet qui à reo surgit, &c.

Gravis insequi armatura fugaces non potest.) *Id ipsa dictat, non experientia tantùm, sed & ratio. exempla passim in prõptu, hæretq; unũ in memoriâ, q̃ inveniamus*

libro

libro XLIX. *Dionis Cassii, non ita longè ab initio.*

Gravius beneficiis inflammantur invidi.) *Zenonis verba sunt in sermone nescio quo.*

Gravius, suas res quàm alienas incessere.) *Egesippus libro* III. *cap.* III: *de Josepho*; Denunciare ut miles cibum sibi & arma portaret, vallo & fossâ sese muniret, castrisque ponendis præveniret hostem, obtemperaret præceptis, furto ac rapinis abstinere adsuesceret; lucrum proprium putaret, si nihil dispendii ruralibus cultoribus irrogaretur. Quid enim distet ab hostibus, si ipse hostili modo auferat? nisi quod gravius est, sua quàm aliena incessere, & socios quàm adversarios spoliare.

H

HAbeas ut nactus: nota mala res optima est.) *Sermo est de uxore. sunt autem verba Plautina, extantq; in Trinummo, actus* I. *sc.* II. *versu* XXV.

Habita fides plerumque ipsam obligat fidem.) *Fictum ex Livianis, supra allegatis.*

Habitus qualitate noscas quæstuariam.) *Verba Tertulliani capite* XII. *de cultu feminarum.*

Haud facilè imperia custodiunt concordiam.] *Hoc est, imperium omne impatiens est consortis. Epitome Aurelij Victoris:* Verum enim verò, ut imperia difficile concordiam custodiunt, dissidium inter Licinium Constantinumque exoritur, &c.

Haud facilè telum transit fluctuantia.] *Observandum viris militaribus. Vegetius libro* IV. *de re milit. cap.* VI: Propugnacula duplicia, saga ciliciaque tenduntur, quæ impetum excipiunt sagittarum: nec enim facilè

facilè transeunt ſpicula quod cedit ac fluctuat.

Haud liberum altæ ſecretum potentiæ eſt.) *Ad Polybium Seneca cap.* XXV: Tibi nullum ſecretum liberum eſt: in multâ luce fortuna te poſuit. omnes ſcient quomodo te in iſto tuo geſſeris vulnere; utrumne ſtatim percuſſus arma ſubmiſeris, an in gradu ſteteris.

Haud parcit ullus dignitati perditæ.) *Idem libro* I. *de Clementiâ cap.* XXII: Diligentius vivit cui aliquid integri ſupereſt. nemo dignitati perditæ parcit. impunitatis genus eſt, jam non habere pœnæ locum.

Haud prœliandum eſt cum anni infeſto tempore.) *Livius libro* XLIII. *cap.* XXII. *f:* Macedonum principes non pugnandum cum infeſto tempore anni cenſebant, nullis præparatis commeatibus, &c.

Haud punienda ullius eſt dementia.) *Puniuntur enim ſatis ſuo ſibi morbo; medicisq; potius tradendi quàm lictoribus. videatur Libanii Oratio ad Theodoſium Imperatorem.*

Haud quidquam homini ingrato uſpiam eſt impenſius.) *Tranſcriptum è Plauti Bacchidibus, actus nimirum* III. *ſcenæ* II. *verſu* X.

Haud ſemper animus vincitur cum corpore.) *Vnde ſupra habuimus*, Eſt captus à Pœnis, non victus Regulus. *quisquis enim ſævientis fortunæ vi ac pondere oppreſſus, non ſubmittit animum, ſed in armis moritur, non vincitur ſed vincit. videatur Archidamus Iſocratis.*

Haud temerè ſumma rerum danda in aleam eſt.) *Timodes Dario apud Curtium libro* III. *cap.* XXXI. *m:* Si id conſilium damnaret, at ille divideret ſaltem copias innumerabiles, neu ſub unum fortunæ ictum totas

totas vires regni cadere pateretur.

Haud teſtis eſt proſperitas innocentiæ.) *D. Gregorius libro* XXV. *Moralium:* Præſentis vitæ proſperitas innocentię teſtis non eſt: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt; & plerique ad infinita ſupplicia perducendi ſine flagello moriuntur.

Haud tollere eſt ipſo crimen cum corpore.) *Intelligendum de latronibus & ſicariis. Ovidius libro* XIII: *Metamorph. verſu 437. de Polymneſtore poſt Polydorum occiſum:* Et tanquam tolli cum corpore crimina poſſent, Exanimem ſcopulo ſubjectas miſit in undas.

Haud tutiore loco quidquam eſt, quem quod fuit.) *Seneca Epiſtolâ* XCIX: Ergo quod habuiſti talem amicum, perit opera? tot annis, tantâ conjunctione vitæ, tam familiari ſtudiorum ſocietate nihil actum eſt? cum amico effers amicitiam. & quid doles amiſiſſe, ſi habuiſſe non prodeſt? Mihi crede, magna pars ex illius quos amavimus, licet ipſos caſus abſtulerit, apud nos manet. noſtrum eſt quod præteriit tempus; nec quidquam eſt loco tutiore quàm quod fuit, &c.

Hereditas nulla eſt quæ uſu poteſt capi.) *Seneca libro* IV. *de Beneficiis cap.* V: Iurisconſultorum iſtæ acutæ ineptię ſunt, qui hereditatem negant uſucapi poſſe, ſed ea quę in hereditate ſunt: tanquam aliud ſit hereditas, quàm ea quæ in hereditate ſunt &c.

Heu maximum omnium malorum cæcitas!) *Et utique qui eam male fert, verùm de cæcitatis calamitate videatur pluribus Baſilius Seleucienſis Oratione* XXXVI.

Heu

Fastidium parit plerumque copia.) *Livius libro tertio, capite principem:* Fecit statim, ut fit, fastidium copia.

Fatale cuique est, quid fleat, quid gaudeat.) *Seneca lib. de Providentia cap.* v: Fata nos ducunt; & quantum cuique restet, prima nascentium hora dispositit. causa pendet ex caussâ; privata ac publica longus ordo rerum trahit. ideò fortiter omne ferendum est: quia non, ut putamus, incidunt cuncta sed veniunt. Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleveas, &c.

Fato datur, fato potestas tollitur.) *Tranquillus in vitâ Titi Imp: cap.* IX: Duos patricii generis convictos in affectatione imperii, nihil ampliùs quàm ut desisterent monuit, dicens principatum fato dari. *consulatur super eadem re judicium Ægyptiorum apud Diodorum Siculum, libro* I. *Biblioth: capite* XC. *f.*

Fato Metelli Romæ fiunt consules.) *Alludit isti versui Cicero in Verrem actione primâ cap.* X: *citatur autem veluti Nævianus ab Asconio Pædiano.*

Feciſſe, factæ pœna injuriæ maxima est.) *Seneca libro* III. *de Irâ cap.* XXVI: Quid ergo? inquis, impunè illi erit? Puta te velle; tamen non erit. maxima enim factæ injuriæ pœna, feciſſe: nec quisquam gravius afficitur, quàm qui ad supplicium pœnitentiæ traditur, &c.

Felicitas felix minus propter locum est.) *Synesius Pylæmeni, Epistolâ* XLVIII: Καλῶς ποιεῖς εἰς τὴν ἔχθρων τὸν βασιλέα πόλιν ἐπανελθών. εἰ γὰρ καὶ τῆς ἰσαύρων ὄρεσιν ἡ ἀγαθὴ σοι τύχη σωθῶ· ἀλλ' ἀτυχία τῷδε τὸν τόπον ἀτυχεστέρᾳ: Rectè feciſti, quòd reversus sis in urbem

Imperatorem habentem. licet enim in Isaurorum montibus tibi fuisset fortuna contubernalis : attamen est secunda fortuna propter locum infelicior.

Felicitas premit se, nisi se temperat.) *Seneca Epistolâ* LXXIV: Quisquis bona sine ratione possedit, non diu tenuit. ipsa enim felicitas se, nisi temperat premit. &c.

Felicitas non stat: vita ipsa est circulus.) *Respexit forte ad Phocylidis carmen:* Κοιναὶ πάντων πάντων. ὁ βίος τροχός, ἀσταθὴς ὅλβος: Communes sunt casus omnium. vita circulus est, & instabilis felicitas.

Felicitas quæ lenta est, est durabilis.] *Seneca ad Marciam cap.* XII: Nulli ferè & magna bona & diuturna contingunt. non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta felicitas.

Felicitatem difficulter quis regat.) *Apud Tacitum Neroni Seneca:* Medio temporis, tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus. *libro* XIV. *Annal. cap.* LIII. *p.*

Fer mente æquâ pauperiem ; effeceris levem.) *De Philemone & Baucide Naso libro* VIII. *Metamorph. versu 635:* -paupertatemque ferendo, Effecere levem, nec iniquâ mente ferendam.

Ferè flagitia quævis tollunt literæ.] *Epitome Sexti Aurelij Victoris in vitâ Vitellij:* Hi omnes, quos paucos attigi, præcipuè Cæsarum gens, adeò literis culti atque eloquentiâ fuere, ut ni cunctis vitiis, absque Augusto, nimii forent, profectò texissent immodica flagitia.

Ferè puer bonus in virum evadit malum.) *Idem hodie, Europæorum communi dicitur proverbio; idemq; testa-*

testatur experientia: nec desunt suæ sibi rationes. de quibus alibi diximus prolixè.

Ferè novant res, nulla res quibus domi est.] *Quid mirum?* Inops audacia tuta est, *inquit ille. Livius libro* XLII. *cap.* XXX. *p:* Pars altera regiæ adulationis erat, quos æs alienum & desperatio rerum suarum eodem manente statu, præcipites ad novanda omnia agebat.

Ferina rabies est gaudere sanguine.] *Seneca libro* I. *de Clementiâ cap.* XXIV: Crudelitas minimè humanum malum est, indignum tam miti animo. Ferina ista rabies est, sanguine gaudere ac vulneribus; & abjecto homine, in silvestre animal transire.

Fermè indiget auxilio, auxilium qui non tulit.) *Ajax apud Ovidium libro* XIII. *versu* LXXI: Adspiciunt oculis Superi mortalia justis. En eget auxilio qui non tulit: utq; reliquit, Sic linquendus erat: legem sibi dixerat ipse.

Ferox juventus maximè exitio sibi est.) *Exemplo sit vel Cæso Quintius, de quo sic Livius lib.* III, *cap.* XI. *f:* Aulus Virginius Cęsoni capitis diem dicit: atrox ingenium accenderat eo facto magis quàm conterruerat: eò acrius obstare legi, agitare plebem, tribunos veluti justo persequi bello. accusator pati reum ruere, invidiæque flammam ac materiam criminibus suis suggerere: legem interim, non ad spem perferendi, quàm ad lacessendam Cæsonis temeritatem ferre, &c.

Ferro vel igne, frustra amorem cogere est.) *Quoniam amare, ut & odisse, res sunt omnium liberrimæ. Non insulsè Dio Cassius de Augusto, libro* XLVIII: Καὶ ἐκ τούτου διετέλει ἢ τούτοις ἢ ἐκείνοις προσκρούων· ὃ

ποτὲ μὲν ὡς φιλόδημος, ποτὲ δὲ ὡς καὶ φιλοστρατιώτης ἐγκαλούμενος. καὶ διὰ ταῦτα ἐπὶ μήτε τι ἤνυε. καὶ ὥσπερ καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων ἔμαθεν ὅτι οὐδὲν ἄλλο ὄφελος πρὸς τὸ τοὺς ἀδικουμένους εὐνοϊκῶς οἱ ἔχειν ἐθέλειν, ἀλλ' ἀπολέσθαι μὲν πᾶν τὸ μὴ ὑπήκοον δι' αὐτῶν οἷόν τε ὂν ἀναγκασθῆναι· ἵνα δὴ φιλεῖν ὃν μὴ βούλεται, ἀδύνατον ὑπάρχοι. Sic Cæsar identidem alterutram partem offendens, ac modò ob populi studiũ, modò ob militum, malè audiens, nihil proficiebat: experiebatur ipsâ re, armis eorum benevolentiam, quos injuriâ affecisset, parare se sibi non posse: sed posse quidem omnes qui non obtemperassent ipsi, armis ad interitum adigi: cogi verò armis, ut eum quem nollet, amaret, neminem posse.

Ferrũ sui formidant lateris Principes.) *Desumptũ est ex eis quæ legimus apud Senecæ Thebaidẽ, vers.* 446.

Fertilibus agris si imperes, exhaurias.) *Senecæ de Tranquillitate animi cap.* XV: Danda est remissio animis: meliores acrioresque requieti surgent. Vt fertilibus agris non est imperandum: citò enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas; ita animorum impetus assiduus labor frangit. vires recipiẽt paullum resoluti & remissi. nascitur ex assiduitate laborum, animorum hebetatio quædam & languor.

Fiat moderatè quod faciendum est sæpius.) *Idem consolatione ad Polybium cap.* XXIII: Lacrimę nobis deerunt antequam caussæ dolendi. Non vides qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quæ primum nascentium omen fletum esse voluit? hoc principio edimur; huic omnis sequentium annorum ordo consentit: sic vitam agimus: ideoque moderatè id fieri

fieri debet à nobis, quod sæpè faciendum est, &c.

Fidelem amicum facies, si putaveris.) *Inde argumentatio Livii libro* III. *cap.* XVI: Multi & varii timores. inter ceteros eminebat terror servilis, ne suus cuique domi hostis esset, cui nec credere, nec non credendo, ne infestior fieret, fidem abrogare satis erat tutum. *Vere Acedux Bostari apud eundem historicum libro* XXII. *cap.* XXII. *m:* Vult sibi quisq; credi, & habita fides ipsam plerumque obligat fidem.

Fides bonis majorem adhibet vim quàm metus.) *Cicero oratione pro Roscio Amerino cap.* XI: Nulla res tanta exsistat, Iudices, ut possit vim mihi majorem adhibere metus quàm fides.

Fides tyranni maxima erga extraneos.) *Quare; non uno loco prodidere Plato, Aristoteles, Xenophon: superatque exemplorum copia passim, passim. inde etiam est, quod milite utantur extraneo, nec non satellite. Livius libro* XXXIV. *cap.* XXVIII. *m:* Nabis intra murum instructos paratosque habebat sub signis mercenarios milites, in quibus omnis fiducia erat. *Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* LVIII: Volitabantque per fora, per domos, rura quoque & proxima municipiorum pedites equitesque permixti Germanis, quibus fidebat Princeps, quasi externis. *de quibus Germanis, non contemnenda quoque reperias apud Iosephum libro* XIX. *Antiquit. Iudaicarum cap.* I.

Fidei facit jacturam sæpe dejerans.) *Egregiè igitur Diodorus Siculus libro* I. *Bibliothecæ Historicæ cap.* LXXIX. *p:* Τὰς δὲ περὶ τῶν συμβολαίων νόμους βουλόμενοι εἶναι φασί. πρὸς ἅπαντας δὲ τοὺς μὲν ἀσυγγράφα δανίσασθαι, καὶ μὴ φάσκουσιν ὀφείλειν, ὀμόσαντας ἀπολύεσθαι τῆς δανείου. πρῶτον μὲν, ὅπως ἐν μεγάλῳ

πθεμενοι τοὺς ὅρκους, δεισδαιμονῶσι. προδήλου γὰρ ὄντος ὅτι τῷ πολλάκις ὀμόσιον τι συμβήσεται τὴν πίστιν ἀποβαλεῖν ἵνα τῆς ἐυχρηστίας μὴ στερηθῇ, περὶ πολλοῦ πᾶς τις ἕξει τὸ μὴ καθαπτὰν εἶναι τὸν ὅρκον. ἔπειθ' ὑπελάμβανεν ὁ νομοθέτης, τὴν ὄλλην πίστιν ἐν τῇ καλοκαγαθίᾳ ποιήσας, προτρέψεσθαι πάντας ἀρδαίους εἶναι τοῖς ἤθεσιν, ἵνα μὴ πίστεως ἀνάξιοι ἀμφιβληθῶσι. πρὸς ἦ τούτοις, ἄδικον ἔκρινεν εἶναι τὰς χωρὶς ὅρκου πιστωθείσας, πρὶ τῶν αὐτῶν συμβολαίων ὀμόσαντας μὴ τυγχάνειν πίστεως. Leges de commerciis à Bocchoride latas asserunt. His mandatur, ut si quis pecuniis mutuò acceptis absque syngrapho se debere neget, interposito juramento, à debito absolvatur. Primum adeò ut jurisjurandi religionē magnificentes Deum revereantur. Cùm enim manifestum sit, quod sæpius deierans fidei jacturam faciat, unusquisque, ne hoc emolumento privetur, maximoperè cavebit ne ad juramentum deveniatur. Deinde & hoc animum legislator induxit, si fidem in vitæ integritate totam constituat, cunctos ad morum probitatem invitatum iri, ne tanquam fide indigni infamentur. Iniquum præterea judicabant, quibus citra juramentum fides habita esset, his de eodem contractu juratis fidem denegari.

Fieri nequit vir semper ut lateat malus.] *Plato libro* I. *de Republicâ:* οὐ ῥᾴδιον, ἀεὶ λανθάνειν κακὸν ὄντα.

Fieri suum, bonum est inæstimabile.] *Seneca Epistolâ* LXXV: Quæris quæ sit absoluta libertas? non homi-

homines timere, non Deos: nec turpia velle, nec nimia: in seipsum habere maximam potestatem. Inæstimabile bonum est, suum fieri.

Finis sacerdotii una Contemplatio est.) *Synesius Andronico Epistolâ* LVII: Θεωρία τέλος ἐστὶν ἱερωσύνης, μὴ ψευδομένης τὸ ὄνομα: Contemplatio finis est episcopatus, non ementientis nomen suum.

Fit crimen, haud ex se ipso, verùm ex causâ, opus.] *Versus sensus obscurissimi. longè facilius eum adsequeremur, si neglectis numeris legeretur*, Opus non ex se, sed ex causâ, fit crimen; *quæ verba extant, libro* I. *Policratici cap.* IV: *ut & eorum explicatio: unde petatur.*

Fiunt mali pejores, si laudaveris.) *Philostratus libro* VIII. *de vitâ Apollonij:* Οἱ γὰρ κακοὶ, κακίους ἐπαινέμενοι: Pravi si laudentur, deteriores evadunt.

Flammas Amoris separare noxium.) *Orpheus:* Οὐ μὲν δὴ λῦσαι φίλον ἔς ἔκπυρσον ἔρωτα: Non bonum est divellere conjugii flammas.

Flecti emerendo vel jecur horridum potest.) *Simile quid extat in Senecæ Hercule OEtæo, versu* 574.

Fœcunditas ætatem exprobrat feminis.) *Helbiæ matri filius Annæus cap.* XVI: Non gemmæ te, non margaritæ flexerunt: non tibi divitiæ, veluti maximum generis humani bonum, refulserunt: non te bene in antiquâ & severâ institutam domo, periculosa etiam probis, pejorum detorsit imitatio: non te fœcunditatis tuæ, quasi exprobraret ætatem, puduit, &c.

Formidinis nunquam expers est infirmitas.) *Egesippus libro* I. *Excidij Hierosol. cap.* VI: Haud difficilè æger animus invalido fessus corpore impulsus

est, ut credibile duceret, quod pro vero adferebatur: maximè cùm dies sacratus religioni, mendacii suspicionem excluderet, pompa excitaret invidiam, infirmitas metum adderet &c.

Fortuna minimè causa contingentium est.) *Unde Polybius*, τ συμβαινόντων τύχην αἰτιᾶσθαι φαῦλον: Amenta est fortunam facere causam eventorum.

Fortuna plus consiliis humanis potest.) *Livius libro* XLIV. *cap* XLVI. Neutro imperatorum volente, fortuna, quæ plus consiliis humanis pollet, contraxit certamen.

Fortuna quæ dat, sunt insidiæ, haud munera.] *Alludit ad illud Græcum*, Hostium munera, ne-munera. *Videatur Senecæ Epistola* VIII. *cujus sunt verba*.

Fortuna quamvis maxima, haud mutat genus.) *Horatio adfine Epod.* IV: Licet superbus ambules pecunia; Fortuna non mutat genus.

Fortuna queis repentina, iis est & gravis.) *Seneca consolatione ad Helbiam cap.* V: Illis gravis est fortuna, quibus est repentina. facilè eam sustinere potest, qui semper exspectat.

Fortuna rebus dat famam, & famam eripit.) *Sallustius Catilinariæ cap.* VIII: Sed profectò fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex libidine magis, quàm ex vero celebrat, obscuratque. Athenienſium res gestæ, sicut ego existimo, satis amplæ magnificæque fuere: verùm aliquanto minores quàm famâ feruntur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia; per terrarum orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur, &c.

Curtius

Curtius libro IX. *cap.* LIV: Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen inceſſit; parata præda, ſi quid victus ſaltem adverſus comeſſantes animi fuiſſet. Mille herculè viri modò, & ſobrii, ſeptem dierum crapulâ graves, in ſuo triumpho capere potuerunt. ſed fortuna, quæ rebus famam pretiumque conſtituit, heic quoque militiæ probrum vertit in gloriam, &c.

Fortuna ſæpe pro culpâ innocentiæ eſt.) *Neronis præceptor libro* I. *de Clementiâ cap.* II Deinde habet clementia in perſonâ quoque innocentium locum: quia interdum fortuna pro culpa eſt: nec innocentiæ tantùm clementia ſuccurrit, ſed ſæpe virtuti: quoniam quidem conditione temporum incidunt quædam quæ poſſint laudata puniri.

Fortuna ſæpe commutatur cum loco.) *Syneſius Epiſtolâ* CII: Αἰπᾶτιμ ἀλλ' τὴν τῆς πατρίδ@ ἀκλεηείαν· ἀλλ πείθει τὸς αὐτὸν λόγ@, ὡς ἔστ συμμέτα βαλεῖν τῷ χωρίῳ τὴν τύχλν: Itaque accuſat patriæ infelicitatem; & quædam ratio ei perſuadet, quod licet commutare cum loco fortunam.

Fortuna ſemper vindicat jus gentium.] *Id eſt, ſtat ab ea parte in prælis & bello, in quibus læſum eſt jus commune generis humani: tuetur nimirum gentium jus, impugnatque ejus violatores. Livius libro* XXXVIII. *capite* XXV. *m*: Mille ad eam rem ex omni numero audaciæ expertæ deligerunt equites. & ſucceſſiſſet fraus, in pro jure gentium, cujus violandi conſilium initum erat, ſtetiſſet fortuna.

Fortuna sibi quærit pares fortissimos.) *Tanquam videlicet nolit componi cum athletâ inferiore. vi. deatur Seneca libro de Providentia, cap.* III.

Fortuna volvi suevit è summo retrò.] *Paullus Æmilius apud Livium libro* XLV. *cap.* XLI. *m*: Illud optavi, ut cùm ex summo retrò volvi fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potius quàm respublica sentiret.

Fortuna ut artem, ita ars fortunam diligit.] *Reddidit versum, Aristoteli celebratum in Ethicis*: Τέχνη τύχῳ ἐσηρξε, ἡ τύχη τέχνῳ.

Fraudi patet cuilibet ferocia.] *Id ipsum pluribus verbis firmat, libro* III. *Historiarum capite* LXXXI. *sub finem, Polybius, qui consulatur.*

Fraus cauta quamvis, tandem seipsam detegit.) *Livius libro* XLIV. *cap.* XV. *p*: Alii responsum esse tradunt, populum Romanum, & principio hujus belli, haud vanis auctoribus compertũ habuisse, Rhodios cum Perseo rege adversum Rempublicam suam occulta iniisse: & si ante id dubium fuisset, legatorum paullò ante verba ad certum redegisse: & plerumque se fraudem, etiamsi initio cautior fuerit, detegere.

Frontis beneficos etiam infirmitas facit.) *Seneca libro* II. *de Beneficiis cap. primore:* Nam cùm in beneficio jucundissima sit tribuentis voluntas; qui nolentem se tribuisse ipsâ cunctatione testatus est, non dedit, sed adversus ducentem malè tenuit. multi autem sunt, quos liberales facit frontis infirmitas.

Frugalitas virtutis specie decipit.) *Lactantius libro* VI. *cap.* XVI: Quod si patrimonio minimè parcen-

cendum est, ut humanitatem justitiamque teneamus, non est virtus frugi esse; quod nomen, virtutis specie fallit ac decipit. Est enim frugalitas abstinentia quidem voluptatum, sed eò vitium, quia ex habendi amore descendit; cùm sit & voluptatibns abstinendum, & pecuniæ minimè temperandum, &c.

Fuga irriti conatus stultitiam indicat.) *Julianus Imp. ad milites:* Quo cedimus, viri fortissimi? an ignoratis fugam, quæ salutem. nunquam reperit, irriti conatus stultitiam indicare? *Ammianus libro* XVI. *cap.* XXX. *p.*

Fugit pericla Ignavia, Virtus occupat.) *Est petitum è Senecæ Epistolâ vigesima quarta.*

Funus ferè est animæ, fœnus pecuniæ.) *Verba omnia reperias apud Leonem Magnum.*

Funus tacitum molestiarum habet minus.) *Seneca libro de Tranquillitate animi, cap.* I: Morti natus es: minus molestiarum habet funus tacitum.

Furare multa, pauca da; & servaberis.) *Citat Græcum Lampridius in Alexandro Severo:* Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δῷς, ἐκφεύξεται.

Fures vigilant potestates dum dormiunt.) *Sidonius lib.* I. *Epistola* VIII: Sitiunt vivi; natant sepulti: vigilant fures; potestates vigilant; fœnerantur clerici, Syri psallunt.

Furtiva magnis displicet victoria.) *Alexander apud Curtium, libro* IV. *cap.* LXXX: Latrunculorum, inquit, & furum ista solertia est, quam præcipis mihi. quippe illorum votum unicum est fallere. Meæ verò gloriæ semper aut absentiam Darii, aut angustias locorum aut furtum noctis, obstare non patiar. palam luce

luce adgredi certum est malo me fortunæ pœniteat, quàm victoriæ pudeat. *Similia memorat de Romanis Polybius libro* XIII. *Histor. cap.* I. *Sed & de Dario legimus apud Iustinum libro* XI. *cap.* XI: Rex Persarum fiducia virium, nihil astu agere; affirmans suis occulta consilia victoriæ furtivæ convenire &c.

G

GAleam recusat caput opertum linteo.) *D. Hieronymus Epistola ad Theodomachum:* De cubiculo ad aciem, de umbrâ egrediens ad Solem; corpus assuetum tunicæ, loricæ onus non sustinet: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum durus exasperat capulus, &c.

Generis sui corruptor, quid non audeat?] *De Antonini Imp. filio Commodo Aurelius Victor:* At filius sævâ à principio dominatione detestabilior habebatur, præcipuè per majorum controversam memoriam; quæ posteris usque eò gravis est, ut absque communi in impios odio, quasi corruptores generis, execrabiliores sint.

Genus infitiandi est, furtivè agere gratias.) *Seneca lib.* II. *de Beneficiis cap.* XXIII: Quidam furtivè agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. non est ista verecundia; sed infitiandi genus. Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias.

Genus institutum humanum, ut paucis serviat.) *Iulius Cæsar apud Lucanum:* Humanum paucis vivit genus.

Gestatio æquè lassat quàm ambulatio) *Epistolâ Seneca* LV: A gestatione cùm maximè venio non minus fati-

fatigatus, quàm si tantùm ambulassem quantum sedi. labor est enim diu ferri; ac nescio an eo major, quia contra naturam est, quæ pedes dedit ut per nos ambularemus, oculos ut per nos videremus.

Gratissima est virtutum misericordia.] *Divus Augustinus libro* IX. *de civitate Dei*: Longè melius & humanius, & piorum sensibus accommodatius in Cæsaris laude locutus est Cicero; ubi ait: Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior nec gratior misericordiâ est.

Gratissima est virtutum liberalitas.) *Auctor Policratici libro* VIII. *cap.* XV: Cùm omnis virtus gratiosa sit, liberalitas gratissima est, eò quod plurimis prodest. *ubi tamen reponi malim*, gratiosissima est.

Gratissimũ est donum preces quod prævenit.) *Citatur versus apud Cassiodorum in Variis*: Gratius est donum quod venit ante preces. *Vnde Seneca libro* II. *de Beneficiis cap.* II: Serò beneficium dedit, qui roganti dedit.

Gratum est beneficium, amicum auctorem quod habet.) *Si non verba, at sensus est ab Ennodio, qui sumpsit ab istis Ovidij*: acceptissima semper Munera sunt auctor quæ pretiosa facit.

Gravior solet esse testis, surgit qui à reo.) *Formatus versus ex totidem verbis Pompeij Silonis, prodùcta. Senecæ patri in controversiis*: Non multum refert mea ubi sit. ab hac parte crimen objicitur, ab illâ ostenditur. Gravior testis esse solet qui à reo surgit, &c.

Gravis insequi armatura fugaces non potest.) *Id ipsa dictat, non experientia tantùm, sed & ratio. exempla passim in prõptu, haret q; unũ in memoria, q; inveniamus*

libro

libro XLIX. *Dionis Cassii, non ita longè ab initio.*

Gravius beneficiis inflammantur invidi.) *Zenonis verba sunt in sermone nescio quo.*

Gravius, suas res quàm alienas incessere.) *Egesippus libro* III. *cap.* III: *de Josepho*; Denunciare ut miles cibum sibi & arma portaret, vallo & fossâ sese muniret, castrisque ponendis præveniret hostem, obtemperaret præceptis, furto ac rapinis abstinere adsuesceret; lucrum proprium putaret, si nihil dispendii ruralibus cultoribus irrogaretur. Quid enim distet ab hostibus, si ipse hostili modo auferat? nisi quod gravius est, sua quàm aliena incessere, & socios quàm adversarios spoliare.

H

HAbeas ut nactus: nota mala res optima est.) *Sermo est de uxore. sunt autem verba Plautina, extantq; in Trinummo, actus* I. *sc.* II. *versu* XXV.

Habita fides plerumque ipsam obligat fidem.) *Fictum ex Livianus, supra allegatis.*

Habitus qualitate noscas quæstuariam.) *Verba Tertulliani capite* XII. *de cultu feminarum.*

Haud facilè imperia custodiunt concordiam.] *Hoc est, imperium omne impatiens est consortis. Epitome Aurelij Victoris:* Verum enim verò, ut imperia difficile concordiam custodiunt, dissidium inter Licinium Constantinumque exoritur, &c.

Haud facilè telum transit fluctuantia.] *Observandum viris militaribus. Vegetius libro* IV. *de re milit. cap.* VI: Propugnacula duplicia, saga ciliciaque tenduntur, quæ impetum excipiunt sagittarum: nec enim facilè

facilè transeunt spicula quod cedit ac fluctuat.

Haud liberum altæ secretum potentiæ est.) *Ad Polybium Seneca cap.* XXV: Tibi nullum secretum liberum est: in multâ luce fortuna te posuit. omnes scient quomodo te in isto tuo gesseris vulnere; utrumne statim percussus arma submiseris, an in gradu steteris.

Haud parcit ullus dignitati perditæ.) *Idem libro* I. *de Clementiâ cap.* XXII: Diligentius vivit cui aliquid integri supereſt. nemo dignitati perditæ parcit. impunitatis genus est, jam non habere pœnæ locum.

Haud prœliandum est cum anni infesto tempore.) *Livius libro* XLIII. *cap.* XXII. *f:* Macedonum principes non pugnandum cum infesto tempore anni censebant, nullis prœparatis commeatibus, &c.

Haud punienda ullius est dementia.) *Puniuntur enim satis suo sibi morbo; medicisq; potius tradendi quàm lictoribus. videatur Libanii Oratio ad Theodosium Imperatorem.*

Haud quidquam homini ingrato uspiam est impensius.) *Transcriptum è Plauti Bacchidibus, actus nimirum* III. *scenæ* II. *versu* X.

Haud semper animus vincitur cum corpore.) *Vnde supra habuimus*, Est captus à Pœnis, non victus Regulus. *quisquis enim sævientis fortunæ vi ac pondere oppressus, non submittit animum, sed in armis moritur, non vincitur sed vincit. videatur Archidamus Isocratis.*

Haud temerè summa rerum danda in aleam est.) *Timodes Dario apud Curtium libro* III. *cap.* XXXI. *m:* Si id consilium damnaret, at ille divideret saltem copias innumerabiles, neu sub unum fortunæ ictum totas

totas vires regni cadere pateretur.

Haud teſtis eſt proſperitas innocentiæ.) *D. Gregorius libro* XXV. *Moralium:* Præſentis vitæ proſperitas innocentię teſtis non eſt: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt; & plerique ad infinita ſupplicia perducendi ſine flagello moriuntur.

Haud tollere eſt ipſo crimen cum corpore.) *Intelligendum de latronibus & ſicariis. Ovidius libro* XIII: *Metamorph. verſu 437. de Polymneſtore poſt Polydorum occiſum:* Et tanquam tolli cum corpore crimina poſſent, Exanimem ſcopulo ſubjectas miſit in undas.

Haud tutiore loco quidquam eſt, quem quod fuit.) *Seneca Epiſtolâ* XCIX: Ergo quod habuiſti talem amicum, perit opera? tot annis, tantâ conjunctione vitæ, tam familiari ſtudiorum ſocietate nihil actum eſt? cum amico effers amicitiam. & quid doles amiſiſſe, ſi habuiſſe non prodeſt? Mihi crede, magna pars ex illius quos amavimus, licet ipſos caſus abſtulerit, apud nos manet. noſtrum eſt quod præteriit tempus; nec quidquam eſt loco tutiore quàm quod fuit, &c.

Hereditas nulla eſt quæ uſu poteſt capi.) *Seneca libro* IV. *de Beneficiis cap.* V: Iurisconſultorum iſtæ acutæ ineptię ſunt, qui hereditatem negant uſucapi poſſe, ſed ea quę in hereditate ſunt: tanquam aliud ſit hereditas, quam ea quæ in hereditate ſunt &c.

Heu maximum omnium malorum cæcitas!) *Ei utique qui eam male fert, verùm de cæcitatis calamitate videatur pluribus Baſilius Seleucienſis Oratione* XXXVI.

Heu

Heu quàm fuere exitii multis causſa opes!) *Temporibus maximè tyrannicis. Tacitus libro* XVI. *Annal. cap.* XIV: Neque neſcium habebat, Antejum caritate Agrippinæ inviſum Neroni, opesque ejus præcipuas ad eliciendam cupidinem, eamque cauſſam multis exitio eſſe.

Heu quàm laborant plurimi votis ſuis!) *Exemplo Regis Midæ, poſtquam impetraverat à Baccho, mutanda in aurum quæcumque tangeret. Seneca conſolatione ad Polybium cap.* XXIII: Alium ambitio nunquam quieta ſollicitat. alius divitias quas optaverat, metuit, & voto laborat ſuo.

Heu quàm licet multum in re belli caſibus!) *Polybius libro* II. *Hiſtor. cap.* IV: Αἰτωλοὶ γὰρ τῇ παραδόξῳ χρησάμενοι συμφορᾷ, πάντας ἐδίδαξαν μηδέποτε βουλεύεσθαι περὶ τῶν μέλλοντος, ὡς ἤδη γεγονότος· μηδὲ παρακαταλήπτειν βεβαιωμένους ὑπὲρ ὧν ἀκμὴ οὐδεχόμενόν ἐστιν ἄλλως γνώσεως, νέμειν δὲ μερίδα τῷ παραδόξῳ, πάντα χῇ μὲν, ἀνθρώπους ὄντας· μάλιστα δ' ἐν τοῖς πολεμικοῖς: Ætoli verò hac improviſò affecti clade, documento fuerunt omnibus, ne de futuro, ceu de re jam factâ, deliberare vellent: neque ſpem ullam quaſi certam præciperent, eorum quæ ſecus evenire adhuc poſſent. ſed cùm in cæteris rebus omnibus, tum in bello maximè, homines ſe natos meminiſſent, & inopinatis caſibus locum darent.

Heu quàm nihili ſunt quæ vitâ ipsâ homines emunt!] Egregiè Plato dixit, minima eſſe quæ homines emant vitâ. imò, ſi benè furorem illorum æſtimaveris, id eſt noſtrũ (in eadem.n.turbâ volutamur)

magis ridebis: cùm cogitaveris, vitâ parari ea in quibus vita consumitur. *Seneca libro* v. *Natur. quæst. cap. ultimo.*

Historia non scribenda odio, sed ex fide.) *Tacitus libro* xv. *cap.* v. *p:* Post finem ludicri Poppæi mortem obiit, fortuitâ mariti iracundiâ, à quo gravida ictu calcis afflicta est. neque enim venenum credidero, quamvis quidam scriptores tradant; odio magis quàm ex fide. *videatur idem exordio Annalium, item Historiarum.*

Hoc justius putandum quod jam fortius.) *Vulgo obtinet*, τὸ βέβαιον πρὸν, δικαιότερον; *ut est apud Dionysium Halicarnassæum libro* VIII. *sed aliter tamen censet* divina potentia, ludens licet in rebus humanis.

Hoc plus verere, quo tibi Rex plus licet.) *Respicit ad ea quæ habemus in Octaviâ tragœdiâ, vers. 441.*

Hoc quisq; habet solùm quod alteri dedit.) *Idem dicit, quod apud Rabirium poëtam Marcus Antonius*: Hoc habeo quodcumque dedi; *quam sententiam egregiè explicat Seneca libro* VI. *de Beneficiis cap.* III.

Hodie ambitus splendet per turpitudinem.] *Seneca libro de Tranquillit. animi cap.* XV: Cogita quàm sit rara integritas, quàm ignota innocentia, & vix unquam nisi cùm expedit fides, & libidinis lucra damnaque pariter invisa, & ambitio usque eò jam se suis non continens terminis, ut per turpidinem splendeat, &c.

Homo animal est cæcum atq; ipsum se nesciens.) *Arnobius libro* II. *adversus Gentes:* Neque enim promptum est cuiquam Dei mentem videre, aut quibus modis res ordinaverit suas: homo animal cæcum

cæcum, & ipsum se nescius nullis potest rationibus consequi.

Homo unus instar vel multorum millium est.) *Qualis videlicet Archimedes aliquis, qualis Maximus Fabius, de quo Ennianum istud:* Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Homini nova sunt mage, magna quàm, miraculo.) *Seneca libro* VII. *Natur. quæst. cap.* I: Hæc tamen non annotamus, quamdiu ordo servatur, si quid turbatum est, aut præter consuetudinem emicuit; spectamus, interrogamus, ostendimus: adeò naturale est, magis nova, quàm magna mirari.

Homini suus privato oportet sit modus.) *De Spurio Melio Livius libro* IV. *cap.* XIII: Largitiones frumenti facere instituit; plebemque hoc munere delinitam, quacunq; incederet, cõspectus elatusq; supra modũ hominis privati, secũ trahere, &c. *addatur Curtius lib.* X. *cap.* XXXIX. *p. Tacitus lib.* XVI. *cap.* LII. *p.*

Hominem inter vivos frustra quæras mortuum.) *Plauti versus* XV. *actus* II. *sc.* I. *Menachmis.*

Homines inopino etiam percellas gaudio.) *Valerius Maximus libro* IV. *cap.* VIII: Quibus auditis, maximo & inopinato gaudio homines perculsi; primò veluti non audisse se, quæ audierant, credentes, obticuerunt, &c.

Homines mali sunt qui bonis dicunt malè.) *E Plauto sumptum versu videlicet* X. *act.* I. *sc.* II. *Bacchidũ.*

Homines potentes quid sunt? fortunæ manus.) *Seneca libro in sapientem non cadere injuriam cap.* VIII: Si sapiens fortunæ injurias moderatè fert, quãto magis hominũ potentiũ, quos scit fortunæ manus esse?

Homines sibi præstãt multa, quæ aliis imputant.)

De eare adeundus idem Annæus libro VI. *de Beneficiis capite* XII.

Hominum ingeniis subjiciunt artes Numina. *Arnobius libro* III. *Adversus gentes:* Erras & falleris non enim ipsi opifices Dei sunt, sed ingeniis hominum subjiciunt has artes, atque, ut vita instructior sit tradunt scienda mortalibus.

Hominum querelas magna pars manu facit. *Hoc est, plerique homines conqueruntur de injuriis sibi factis, quarum ipsimet sunt auctores, quas sibi ultrò accersiverunt; vel falsa suspicando, vel levia aggravando.*

Honesta cedunt rebus utili ultimis.) *Livius libro* XXIII. *cap.* XIV: & servorum delectum, cohortesque ex agro Piceno & Gallico collectas, ad ultimum propè desperatæ Reipublicæ auxilium, cùm honesta utilibus cedunt.

Honesta lex est temporis necessitas.] *Seneca pater Epitomes libro* IV. *Controversiâ* IV: Necessitas est quæ navigia jactu exonerat; necessitas est quę ruinis incendia opprimit, necessitas est lex temporis.

Honestus est error qui habet magnos duces.] *Quintilianus libro* I. *Institut. Orat. cap.* VI: Summorum in eloquentiâ virorum judicium pro ratione, & vel error honestus est magnos duces sequentibus.

Honos honori digno est, indigno est onus.) *Synesius Epistolâ* CV: Ἀνοήτῳ ἂν εἴλω, εἰ μὴ πολλὴν χάριν εἰδείλω Πτολεμαίοις, ὅτι με τοζότων ἀξιοῦσιν, ὅζων ἐδὲ αὐτὸς ἐμαυτόν· ἀλλ' οὐκ εἰ μεγάλα χαρίζονται, ἔτι πειθοῦ καὶ ζυπεῖν, ἀλλ' εἰ λαβεῖν ἐμὲ δυνατὸν.

δωματά. τὸ γὰρ ἄνθρωπον ὄντα, μακρὰς θείας καρπώσασθαι τιμὰς, δικαίῳ μὲν ὄντι τυγχάνειν, ἔρχεται λειπομένῳ δὲ πόρρω τῆς ἀξίας, ἐλπίδα πικρὰν ὑποτείνει τοῖς μέλλουσι: Stultus essem nisi magnas haberem gratias civibus Ptolemaïdis, quòd me tantis honoribus dignum censeant, quantis ne ipse quidem meipsum. Verùm an magna largiantur, considerare non oportet, sed an à me accipi possint. Nam humanum est, ut propemodum divinorum honorum fruitio ei qui consequi meretur summam voluptatem pariat. at ei qui abest multum à merito, spem acerbam subjiciat futuri.

Honore thuris humanum indignum est caput.) *Sibylla Cumana apud Ovidium libro* XIV. *Metamorph. versu* CXXX: Nec Dea sum, dixit, nec sacri turis honore Humanum dignare caput.

Hora una Auroræ, tres valet; certè duas.) *Hesiodus*: Ἠὼς γὰρ τ' ἐργοιο τρίτην ὑπομείρεται αἶσαν: Aurora laboris tertiam sortitur partem.

Hostem, locorum contemnas fiduciâ.) *Alexander Tyrius apud Curtium libro* IV. *cap.* II: Vos quidem fiduciâ loci, quod insulam incolitis, pedestrem hunc exercitum spernitis. *Seneca libro* III. *de Irâ cap.* XXII: Itaque cùm in parvulo quodam castello Græci obsiderentur, & fiduciâ loci contemnentes hostem, multa in deformitatem Antigoni jocarentur.

Hostilis animos efferos tenet metus.) *Livius lib.* I. *cap.* XIX: Cùm omnium circa finitimorum societate ac fœderibus junxisset animos, positis externorum periculorum curis, ne luxuriarent otio animi, quos metus hostilis disciplinaque militaris continuerat.

Humanitati adversatrix crudelitas.) *Arnobius libro* II. *adversus Gentes:* quorum cruciatibus pascere-tur nescio quæ latens, & humanitati adversa crudelitas.

Humanus aures venter ullas non habet.] *Notissimum illud,* Venter caret auribus. *Seneca Paullino, de Brevitate vitæ cap.* XVIII: Cogita præterea, quantū sollicitudinis sit, ad tantam te molem objicere. cum ventre humano tibi negotium est, nec rationem patitur, nec æquitate mitigatur, nec ulla prece flectitur populus esuriens.

I

IAcente Rege, apparitorum fit, fuga.) *Livius postquam narrarat Servium è curia per gradus dejectum libro* I. *cap.* XLVIII: Fit fuga Regis apparitorum atque comitum.

Iactantia stultitiæ, est arrogantia.) *Sotades apud Stobæum:* Αν ἀλαζονίης, ἴδε ἀνοίας ἔσι φρύαγμα: Si superbis, hujusmodi est stultitiæ jactantia.

Iactura vitæ maxima est, dilatio.) *Annæus libro de vitæ brevit. cap.* IX: Maxima porrò vitæ jactura dilatio est. illa primum quemque extrahit diem, illa eripit præsentia dum ulteriora promittit.

Iacula ac sagittæ perparum in tenebris nocent.) *Livius libro* XLIV. *cap.* XXXV. *m:* Consul spem cœpit si nocte improvisò validâ manu adgressus nec-opinantes esset, dejici præsidia posse. jacula enim, & sagittas & cetera missilia in tenebris, ubi quid petatur procul provideri nequeat, inutilia esse: gladio comi-

cominus geri rem in permixtâ turbâ, quo miles Romanus vincat.

Iaculis ubi est opus, nil verba conferunt.] *Aliquando legi in Ennodio, sed non succurrit locus.*

Iam pro maligno est qui adsentatur parcius.) *Seneca præfatione libri* IV. *Natur quæst:* Ita est, quò apertior est adulatio, quo improbior, quò magis frontem suam perfricuit, cecidit alienam, hoc citius expugnat. eo enim jam dementiæ venimus, ut qui parce adulatur, pro maligno sit.

Id ne tu miraris si patrissat filius?) *Versus* XXIII. *actus* I. *scenæ* V. *Pseudoli Plautinæ.*

Id jus quidem est, postremum quod populus jubet.) *Livij libro* IX. *cap.* XXXIII. *f:* Negare Appius interrogationem tribuni magnopere ad causam pertinere suam. nam etsi tenuerit lex Æmilia eos censores, quorum in magistratu lata esset: quia post illos censores creatos eam legem populus jussisset, quodque postremum jussisset, id jus ratumque esset, &c.

Id optimum est in quoque, cui ipse nascitur.] *Annæus Epistolâ* LXXVI. §. I: Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur? in homine optimum quid est? ratio: hac antecedit animalia, Deos sequitur.

Ignaviam non fert Roma imperantium.) *Verba Plutarchi ad Imperatorẽ Trajanum, conservata nobis beneficio Joannis Sarisberiensis; cujus item Epistolâ videatur, Policratici libro* V. *cap.* I.

Ignota circumscriptio est agrestibus.) *Marcus Cato, præfatione de re rusticâ:* Minimeque invidiosus, minimeque malè cogitantes sunt, qui in eo

ſtudio occupati ſunt. *Seneca libro* III. *de Irâ cap.* II: Quibus incultus mos, agreſtis vita eſt, circumſcriptio ignota eſt & fraus, & quodcumque in foro malum naſcitur.

Illæſa non fert ictum ullum felicitas.) *Quare; pluribus enucleat Seneca libro de Providentiâ divinâ.*

Illi perit quies cui deeſt ſecuritas.] *Petrus Ravennas in Sermonibus:* Auri cuſtos, ſervator argenti, ſecuritatem non habet; neſcit quietem; & cui deeſt ſecuritas, quies perit, pœnâ dives eſt, non cenſu.

Imago ſubeſt mœroris mutuo gaudio.) *Ennodii verba ſunt, aut certè non nimium abeunt: neq; enim ſcripta ejus mihi ſunt ad manum.*

Impar ferè dolori corpus feminæ eſt.) *Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* LVII. *p:* Atque interim Nero recordatus Voluſii Proculi indicio Epicharim attineri, ratusque muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari jubet.

Impar ſenex curis quoque eſt leviſſimis.] *Aliter dicet Cato apud Ciceronem libro de Senectute. Itaque iſtud ſic accipiendum eſt, ut dicatur oratoriè ab aliquo ſe excuſante à muneribus publicis; aut adeo ab invido aliquo, qui ſenectutem elevet præ juventute.*

Impatiens eſt quem proſperæ res obſident.) *Lactantius libro* V. *divinar. Inſtitut. cap.* XXIII: Ergo juſtus & ſapiens, quia virtutem capit, habet in ſe patientiam, quâ carebit omninò, ſi nihil patietur adverſi. contrà, qui in rebus proſperis agit, impatiens eſt, & virtute maximâ caret.

Impendia belli plura ſunt quàm præmia.) *Egregius verſus, & qui mereretur aureis ſcribi literis, in Curiis urbium, Auliſq; Principũ; quotidiè ferè experiuntium*

tium piſcari ſeſe in bellis aureo hamo. Bene Annibal ad Scipionem: Optimum quidem fuerat, eam patribus noſtris mentem datam à Diis eſſe, ut & vos Italiæ, & nos Africæ imperio contenti eſſemus. neque enim ne vobis quidem Sicilia atque Sardinia ſatis digna pretia ſunt pro tot claſſibus, tot exercitibus, tot tamque egregiis amiſſis ducibus. *libro* XXX. *Livii cap.* XXX.

Imperia magna haud contineas ignaviâ.] *Tiridates apud Tacitum:* Non enim ignaviâ magna imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen &c. *libro* XV. *Annal. cap.* I. *f.*

Imperia multis magna ſunt ſub caſibus.) *Eſt enim corpori ſimile, quod quanto eſt vaſtius, tanto pluribus ſubjacet morborum incommodis, caſibusque fortunæ. Verba verſus ſunt à Livio; ſed non etiam occurrit locus.*

Imperia ſæva injuſtaque & in ſervum improbes.) *Perſeus Rex Macedoniæ apud Livium libro* XLII. *cap.* XLI. *f:* Nec, ſi cauſſa reddenda ſit, non vobis, nec fœderatis, ſed iis qui ne in ſervos quidem ſæva atque injuſta imperia probant, plus æquo & bono ſæviſſe in eos videri poſſum &c.

In amore plus fortuna, forma quàm poteſt.) *Pauſanias in Achaicis:* Οἶδα καὶ οἴκημα ἐν Αἰγείρᾳ θεασάμενος· ἄγαλμα ἦν ἐν τῷ οἰκήματι τύχης, τὸ κέρας φέρουσα τὸ Ἀμαλθείας. ᾠκοδόμηται δὲ αὐτῇ ἕρως πτερὰ ἔχων ἐπίν· ἐθέλει δὲ σημαίνειν, ὅτι ἀνθρώποις καὶ τὰ ἐς ἔρωτα τύχῃ μᾶλλον ἢ τῷ καλλει κατορθοῦται: Ædicula etiam quædam Ægiræ eſt, in quâ Fortunę ſignum ſuim conſpicatus, Amatheæ

cornu præ se ferens ; cui adsistit volucer Cupido, significat hæc nimirum Amoris cum Fortunâ conjunctio, plus ferè in amore homines ope fortunæ quàm pulcritudine proficere.

In amore; servus nec dominum fert æmulum.) *Unde Propertius libro* II. *Elegia* XXXIV: Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno: A dominâ tantum te modò tolle meâ. Te socium vitæ, te corporis esse licebit: te dominum admitto rebus, amice, meis: Lecto te solùm, lecto te deprecor uno: Rivalem possum non ego ferre Iovem. *Tacitus libro* XIV. *Annal. cap.* XLII. *p:* Haud multo post, præfectum urbis Pedaneum Secundum servus ipsius interfecit; seu negatâ libertate, cui pretium pepigerat; sive amore exoleti offensus, & dominum æmulum non tolerans.

In corpore quod forma, est in animo oratio.] *Aristides:* τοῦτ' ἐν φυχῇ λόγοι, ὅπερ καλὸν & ἐν σώματι.

In deteriora vergit interpres metus.] *Nero Consul apud Livium libro* XXVII. *cap.* XLVI. *f:* Omnia majora etiam vero præsidia hostium, minora sua, metu interprete semper in deteriora inclinato, ducebant. *Valerius Flaccus:* Pessimus in dubiis augur timor.

In deterius mulier viro usque consulit.) *Impetus nimirum mulierum laudatur, consilium non. Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* LIV: Etenim uxoris, quoque consilium adsumpserat, muliebre, ac deterius.

In ditiorem inclines onera à paupere.) *Optimum præceptum; cui ne etiam obtemperent Reges, obsistunt magnates ipsorum, & qui magnatibus sunt à clientelâ. unde & Servium qui istud ad amussim dextrè executus erat,*

erat, carpit apud Senatum suum Tarquinius gener: Ita natum, ita creatum regem, fautorem infimi generis hominum, ex quo ipse sit, odio alienæ honestatis, ereptum primoribus agrum, sordidissimo cuique divisisse: omnia onera quæ communia quondam fuerint, inclinasse in primores civitatis: instituisse censum, ut insignis ad invidiam locupletiorum fortuna esset; & parata, ubi vellet, egentissimis largiretur.

In exiguo ingens totum claudit artifex.) *Seneca Epistolâ* LIII: At meherculè magni artificis est, clausisse totum in exiguo, &c.

In fata media multi fugiendo ruunt.) *Exemplorum messis non deest: præcipuè eorum qui oraculo acceperant, vitæ suæ exitum. ij enim dum quam maximè fugiunt, vel loca, vel ipsas res ubi, aut à quibus eis mors imminebat; eam ipsam incurrerunt. Videatur Herodotus, Diodorus Siculus, Pausanias, Suidas; etiam Livius libro* VIII. *cap.* XXIV. *unde voces hujus versus videntur fictæ.*

In exitu decor pueritiæ eminet.) *Videatur Seneca Epistolâ* XII. *ante medium.*

In feminis nullum præ auro membrum leve est.) *Verba Tertulliani libro de cultu feminarum.*

In fortiorem sæpe fortis incidit.] *Polybius lib.* XV. *cap.* XVI: Ἔστι μὲν γὰρ ὅτε καὶ ταὐτόματον αὐτὴ προέξει ταῖς ἐπιβολαῖς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν. ἔστι δ' ὅτε πάλιν καὶ τἀναντία παρεμπίπτουσα, ἕτερος ἑτέρου κρείττονος ἀντέτυχεν: Nam interdum virorum fortium inceptis fortuna ipsa & casus resistit: interdum verò id evenit quod proverbio dici solet, ut Occurrat forti qui mage fortis erat.

In

In homine rarum jam bonum est humanitas.] *Plus quàm paradoxon. humanitas enim ab homine potissimum derivatur, velut parente suo atq; auctore. sed ita est: omnia potius in homine sunt quàm quæ esse debebant. videatur Seneca Epistolâ* CXV.

In discordiâ intestinâ esse occulti nihil potest.) *Versus non suo ordinatus loco: reponendus inter trochaicos. Cetera omnibus literis suis petitus est ex Livii libro* XL. *cap.* VII: Nihil occulti esse in intestinâ discordiâ potest. utraque domus speculatorum & proditorum plena erat &c.

In judicando multitudo non placet.) *Cicero libro* II. *de divinatione:* Quasi verò quidquam sit tam valdè, quàm nihil sapere vulgare: aut quasi tibi ipsi in judicando placeat multitudo.

In judicium quis adversaria protulit?) *Idem Tullius cap.* II. *Orationis pro Roscio Comœdo:* Sed si, quod adversariis nihil credimus, idcirco codicem scribere instituimus; quod etiam apud omnes leve & infirmum est, id apud judicem grave & sanctum esse ducetur? &c.

In liberâ urbe linguas ferto liberas.) *Formatum ad Tiberianam sententiam.* is enim adversus convitia satis firmus ac patiens, dicebat in civitate liberâ, linguas esse liberas, & mentes hominum oportere. *consulatur præter classicos auctores Policraticus lib.* III. *cap.* XIV.

In luce blandâ vita ærumnosos tenet.] *Verba extant apud Senecam, tragœdiâ Herculis Œtæi, versu* DCCCCLXVIII.

In majus auget fama quęvis omnia.) Fama quævis, *hoc est, & quæ bona nunciat, & quæ mala: quæ*

vera

vera profert, & quæ falsa. Livius libro XXI. *cap.* XXXII: Tum, quamquam fama prius, quâ quidem incerta in majus verò ferri solent, percepta res erat &c. *Idem lib.* XXVIII. *cap.* XXIV. *p:* Scipio ipse gravi morbo implicitus, graviore tamen famâ, cùm ad id quisque quod audierat, insitâ hominibus libidine alendi de industriâ rumores; adjiceret aliquid; provinciam omnem, at maximè longinqua ejus turbavit, &c.

In prosperis bonorum ignoratur sapor.) *Est sententia Ennodiana.*

In pace vires nemo cognoscit suas.) *D. Gregorius in Moralibus:* Nemo vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt.

In pectore amicus, non in atrio quæritur.) *Seneca libro* VI. *de Beneficiis cap.* XXXIV: Ad quemcumque istorum veneris, quorum salutatio urbem concutit; scito, etiamsi animadverterit obsessos ingenti frequentiâ vicos, & commeantium in utramque partem catervis itinera compressa; tamen venire te in locum hominibus plenum, amicis vacuum. in pectore amicus, non in atrio quæritur. illo recipiendus est, illic retinendus, & in sensibus recondendus.

In proprio generosius quidque provenit.) *Manlius ad milites:* Sicut in frugibus pecudibusque, non tantum semina ad servandam indolem valent, quantum terræ proprietas, cælique sub quo aluntur, mutat. Macedones qui Alexandriam in Ægypto, qui Seleuciam ac Babyloniam, quique alias sparsas per orbem terrarum colonias habent, in Syros, Parthos, Ægyptios degenerarunt. Massilia inter Gallos

sita

sita traxit aliquantum ab accolis animorum. Tarentinis quid ex Spartanâ durâ illâ & horridâ disciplina manfit? Generosius in suâ quidque sede gignitur: insitum alienæ terræ in id quod alitur, naturâ vertente, degenerat, &c.

In rebus inopibus præcipua audacia est.) *Nero apud Tacitum libro* XIV. *Annal. cap.* LVII: Sullam inopem, unde præcipuam audaciam &c.

In rebus omnibus optimum est habitu modus.) *Plautinum carmen numero* XXXI. *act.* I. *sc.* II. *Pœnuli*

In Regum amicis plurima adsentatio.) *Livius libro* XXXVI. *cap.* XLI: Antiochus Ephesi securus admodum de bello Romano erat; tanquam non transituris in Asiam Romanis. quam securitatem ei magna pars amicorum, aut per errorem, aut assentando faciebat.

In se ipse sævit: hoc habet proprium furor.) *Verba Senecæ in Herculis furentis versu* 1220.

In vitâ hominum solummodò finis quæritur.) *Isidorus in Sententiarum libris:* In vitâ hominis finis quærendus est: quoniam Deus non respicit, quales antea vixerimus, sed quales circa finem vitæ fuerimus.

Incauta fundum non habet largitio.) *Verba citantur à Saresberiensi libro* VIII. *Policrat. cap.* III: In proverbii quoque consuetudinem venit, quia incauta largitio non habet fundum.

Incendiis licentius raptum exerceas.) *Inde gravius punitur qui tali casu aliquid interverterit: de quo abundè libri Iurisperitorum. Direptionem autem bonorum tum enormiter vigere, haurimus ex Taciti libro* XV. *Annal cap.* XXXVIII. *Herodiano lib.* VII. *cap.* XXI. *fi*

Incerta

Incerta dum petimus, & certa amittimus.) *Versu Plautinus, è Pseudolo* XIX. *act.* II. *sc.* III.

Incertum homini cuicumque, vesper quid ferat.) *Æmilius Paullus sistente se captivo Rege Perseo:* Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. vobis hoc præcipuè dico, Iuvenes. ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ: cùm quid vesper ferat incertum sit. *Livii libro* XLV. *cap.* VIII. *f.*

Indicitur malis sterilitas publicis.) *Hoc est, nemo cupit ex uxore suscipere liberos: malit eam sterilem; ne proles mille patiatur mala, sub imperio tyrannico. indicatur ergo sterilitas, tacito voto.*

Infamiam qui metuit miles, optimus est.) *Archidamus Isocratis:* Πρὸς δὲ τούτῃ, τὸ καλῶς πολιτεύεσθαι, καὶ σωφρόνως καὶ μέχρι θανάτου μάχεσθαι τοῖς πολεμίοις ἥλιον. καὶ μηδὲν ἔτω δεινὸν νομίζειν, ὡς τὸ κακῶς ἀκοῦσαι ὑπὸ τῶν πολιτῶν: ὃ μᾶλλον ἡμῖν ἢ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὑπάρχει. μεθ' ὧν αὖ ἐγὼ πολὺ ἥδιον πολεμοίην, ἢ μὴ πολλῶν μυριάδων: Præter hanc quanti æstimanda est Reipublicæ bona & moderata administratio, quæ ita cives erudiit, ut in acie mortem oppetere, quàm cedere malint? ut nihil horrendum magis esse ducant, quàm malè audire à suis? Quæ omnia nostri moris sunt magis, quàm ullorum mortalium: quales ego malim belli socios habere, quàm infinitam turbam aliorum.

Inferre bellum satius est quàm ostendere.) *Inde laudantur Livio Sabini:* Noviſſimum ab Sabinis bellum ortum, multoq; id maximũ fuit: nihil enim per iram

iram aut cupiditatem gestum est: nec ostenderunt bellum prius quàm intulerunt. *Libro* I. *cap.* XI.

Infirmitatem disciplinâ robores.) *Livius libro* XXXIV. IX. *m:* Miraretur quis, cùm cerneret aperto mari ab altera parte, ab altera Hispanis, tam feræ & bellicosæ genti abjectos, quæ res eos tutaretur. Disciplina erat custos infirmitatis, quam inter validiores optimè timor continet.

Infregit adversa, ipsa qui vidit prior.) *Seneca de Tranquillitate cap.* XI: In tantâ rerum sursum ac deorsum euntium versatione, si non quidquid fieri potest pro futuro habes, das in te vires rebus adversis, quas infregit quisquis prior vidit.

Ingentia rura laudes; exiguum colas.) *Virgilianum illud expressit:* -laudato ingentia rura, Exiguum colito.

Ingratus est qui quod scit, scire se negat.] *D. Augustinus:* Qui se dicit scire quod nescit; temerarius est: qui se negat scire quod scit; ingratus est.

Inimici famam non ita ut nata est ferunt.) *Plautinus versus, numero scilicet* XXIII. *act.* III. *sc.* I. *Persæ.*

Inimicum ab amico formâ non discreveris.] *Basilius Seleucienſis Oratione,* XVI: Μορφὴν γὰρ διάκρισιν ἡ φύσις ἐν πολεμίοις καὶ φίλοις οὐκ ἔπλασε: In amicis & inimicis formæ discrimen natura nullum figuravit.

Injuria multi æstimant potentiam.) *Id est, multi injuriam inferunt, ut suam ostendant potentiam. Idem Episcopus Orat.* XXIX: Ἄλλῳ δὲ ἐπιβλάπτειν στεμνωνῆς ἕτερῳ ἀδικίαν δυναστείαν νενόμικεν: Alius damnum intulisse gloriæ ducit, & injuriam potentiam reputat.

Injuriam

Injuriam passo, nil eloquentius.) *Synesius Epistolâ* CXIX: Τίνα δὲ ἐστιν ἐν οἷς φίλων δεήσεται Διογένης, οὐκ ἐμοῦ γράφοντος ἀναγινώσκειν, ἀλλ' αὐτοῦ λέγοντος ἀκούειν σε δεῖ. ἄδηλον γὰρ γένοιτο ἂν πάθοντος ῥητορικώτερον: Quæ sint in quibus Diogenes operâ amicorum indigebit, non ex me scribente intelligere, sed ex ejus ore audire te oportet: nihil enim esse possit eo qui passus est eloquentius.

Injustitia est probrosa; sed lucro adficit.) *Sententia impendens eorum, qui omnia ad utilitatem dirigunt. de quibus sic quoque Isocrates, Oratione de Pace:* Εἰς ἦτο γὰ τινὲς ἀνοίας ἐληλύθασιν, ὥστ' ἐπαφλη-φασι τὴν μὲν ἀδικίαν ἐπονείδιστον μὲν εἶναι, κερδαλέαν δὲ, καὶ πρὸς τὸν βίον τὸν καθ' ἡμέραν ζυμφέρε-σαν: τὴν δὲ δικαιοσύνην ἀδόκιμον μὲν, ἀλυσι-πλῆ δ', καὶ μᾶλλον δημαμένην τοὺς ἄλλους ὠφε-λεῖν, ἢ τοὺς ἔχοντας αὐτήν: κακῶς εἰδότες, ὡς ἅπ πρὸς χρηματισμὸν, ἅπ πρὸς δόξαν, ἅπ πρὸς ἃ δεῖ πράτ-τειν, ἅθ' ὅλως πρὸς εὐδαιμονίαν ἄδηλον ἂν συμβάλοιτο τηλικαύτην δύναμιν, ὅσην περ ἀρε-τή, καὶ τὰ μέρη ταύτης. τοῖς γὰρ ἀγαθοῖς οἷς ἔχο-μεν ἐν τῇ ψυχῇ, τούτοις κτώμεθα καὶ τὰς ὠφελεί-ας, ὧν δεόμενοι τυγχάνομεν. ὥστ' οἱ τ ἑαυτῶν ἀφνοίας ὀλιγωροῦντες, λελήθασι ζῶντας αὐτοὺς ἅμα ἅπ φρονεῖν ἄμεινον, ἢ βέλτιον τ ἄλλων πρᾶ-τειν ὀλιγωροῦντες: Quidam eo dementiæ venerunt, ut existiment, injustitiam probrosam quidem esse; sed afferre lucrum, & in quotidianâ vitâ cùm primis esse conducibilem: justitiam verò, etsi laudari sole-

at, nihil emolumenti parere: & aliis utiliorem esse, quàm iis qui eâ prædíti sunt. Verùm illi non intelligunt, neque ad parandas opes, neque ad gloriam consequendam, neque ad rem bene gerendam, nec denique ad felicitatem adipiscendam, tantam esse vim in injuriâ, quanta est in virtute, & ejus partibus. Nam his bonis quæ animo insunt, etiam cæteras utilitates, quibus opus est, paramus. Quare qui mentem suam negligunt, hi non animadvertunt, se id negligere, ut aliis neque rectius sentiant, nec meliore fortunâ utantur.

Injustum aliis irasci, & alios lædere.) *Arnobium libro* I. *adv. Gentes:* Quid est tam injustum quàm in alios irasci, & alios lædere? de hominibus conqueri, & innoxia dilacerare frumenta? Christianum nomen odisse, & dispendiis omnibus suos labefactare cultores?

Insanit is, maledicit qui ipsemet sibi.] *Plautinum est, ex Menechmis, actu* II. *scena* II. *versu* XXXV.

Instabilis est animi, frequens migratio.] *Seneca Epistolâ* LXIX: Mutare te loca, & in alium de alio transilire nolo. Primùm, quia tam frequens migratio instabilis animi est: coalescere otio non potes, nisi desinis circumspicere & errare &c.

Inter beneficia & Fortunam timeas sua.) *Idem ad Polybium cap.* XXII. *ubi invehitur in Fortunam:* Hoc ergo unum excogitasti, quomodo illi maximè possis nocere. Quo melior enim est quisque hoc sæpius ferre te consuevit, sine ullo defectu furentem, & inter ipsa beneficia metuendam.

Inter diem, atque sæculum, quid interest?) *Seneca*

neca Epistolâ CIII: Ille ex futuro suspenditur, cui juritum est præsens. ubi verò, quidquid mihi debui, redditum est, stabilita mens scit, nihil interesse inter diem & sæculum, &c.

Inter se hominum summum vinclum est humanitas.) *Id ipsum haud tralatitie probat Lactantius libro* VI. *Institut: divinar. cap.* X.

Interpres vulgus veritatis pessimus.) *Unde alicubi Seneca:* Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. argumentum pessimi, turba est.

Invidia, ut ignis, non nisi excelsa adpetit.) *Fabius invectivâ suâ in Papirium:* Si posset, in omnes sæviturum fuisse: quia id nequeat, in unum sævire: etiam invidiam, tanquam ignem, summa petere; in caput consilii: in ducem incurrere. *Livii libro* VIII. *cap.* XXXI. *ut & apud eundem habemus libro* XLV. *cap.* XXXV: Intacta invidiâ media sunt, ad summa fermè tendit.

Ipsi suas Dii vindicant injurias.) *Dubites dicat ne, haud esse quòd homines puniant Deorum injurias; curæ futuras Diis ipsis, ut est apud Tacitum libro* I. *Annalium capite* LXXIII. *f: an verò velit, Deos sæpe* præsentibus pœnis injurias suas vindicare, *quemadmodum loquitur Lactantius, libro* II. *capite* VIII.

Iram gerere in promptu, mera insipientia est.) *Legitur apud Plautum in Pseudolo, actus* I. *scenæ* V. *versu* XXXIV.

Is liber est qui haud servit turpitudini.) *Est è libro quarto ad Herennium, capite* XVII. *p.*

Is maximè opibus fruitur qui minimè indiget.) *Visitur inter Excerpta Senecæ.*

Isto tu pauper es cùm nimis sanctè es pius.) *Pe stilentissimus versus, neque tamen omninò falsus, quo u titur servus ad herum, Plauti Pœnulo, act.* I V. *sc.* VII *versu* VIII.

Ita fugias, ut ne fugias præter casam.) *Nemo no scit versum conspici in Terentii Phormione.*

Ita sunt homines nequam, esse eos ut addecet.) *Et istud invenias in Plauti Mostellariâ, act.* I V. *sc.* II *versu* XXI.

Iucunda sunt amicæ dextræ verbera.) *Timocle* Πλήγας λαβεῖν ἁπαλαῖσι χερσὶν ἡδυγε.

Iumenta jugum detrectât habita sæviter.] *Quantò magis homines?* Numquidnam æquum est, gravius homini & duriusimperari quàm imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret dominandi peritus magister. fiet enim formidolosus & contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris, &c. *Seneca libro* I. *de Clementiâ cap.* XVI.

Iurare caussas ob leves, perjurium est.) *Idpiè admodum persequitur Philo Judæus in Decalogo.*

Ius barbaris vis una est; non est æquitas.) *Ammianus libro* XVII. *cap.* XXVIII: Atque ut barbaris esse omne jus in viribus assuevit, vicerunt servi dominos ferociâ pares, & numero præminentes.

Ius moribus constat magis quàm legibus.) *Quintilianus libro* V. *Instit. Orat. cap.* X: Pro certis primùm habemus quæ sensibus percipiuntur; ut quæ videmus, audimus: qualia sunt signa. deinde ea quæ communi opinione consensum est; Deos esse,

præ-

præstandam pietatem parentibus. præterea quæ legibus cauta sunt; quæ persuasione etiamsi non omnium hominum, ejus tamen civitatis aut gentis in quâ res agitur, in mores recepta sunt: ut pleraque in jure non legibus, sed moribus constant, &c.

Ius omne fert in armis gens ferocior.) *De Gallis Livius libro* v. *cap.* xxxvi: Quodnam jus esset, agrum à possessoribus petere, aut minari arma, Romanis quærentibus? ecquid in Etruriâ rei Gallis esset? cùm illi se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse ferociter dicerent, accensis utrimque animis ad arma discurritut, &c.

Iura omnibus sunt urbis æqua liberæ.] *Videatur oratio Cincinnati apud Livium lib.* iv. *cap.* xv.

Iustitia sola, maximus cultus Dei est.) *Lactantius Epitomâ Divinarum Institut. cap.* ii: Nam quid hostiæ? quid tura, quid vestes? quid aurum, quid argentum? quid pretiosi lapides conferunt, si colentis pura mens non est? Sola ergo justitia est, quam Deus expetit: in hac sacrificium, in hac Dei cultus est.

L

LAbante corpore, animi labat ferocia.] *Livius de Tullo rege cap.* xxxi. *Libro* i: Haud ita multò post pestilentiâ laboratum est. unde cùm pigritia militandi oriretur, nulla tamen ab armis quies dabatur ab bellicoso rege, salubriora etiam credente militiæ quàm domi juvenum corpora esse; donec ipse quoque longinquo morbo est implicitus. tunc adeò fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces; ut

qui nihil ante &c. *Videatur idem Historicus libro* VII. *cap.* XXIII. *m.*

Labor parens Opulentiæ atq; Gaudii est.] *Quintus Calaber:* Ἀνδράσιν ἐκ καμάτοιο πέλει θαλίη τε καὶ ὄλβος: Hominibus labore paratur lætitia & opulentia.

Lacrimæ dolorem non sequuntur; indicant.) *Seneca Epistolâ* LIII: Quæris unde sint lamentationes, unde immodici fletus? per lacrimas argumenta desiderii quærimus; & dolorem non sequimur, sed ostendimus. nemo tristis sibi est.

Lætare, incolumis Roma, salvo Principe.] *Fuisse talem adclamationem, Imperatore redeunte a peregrinatione, aut adeò convalescente è morbo; indicio est versus iste citatus à Phædro Fabula* LXXXVIII; *item ille trochaicus quem habemus apud Suetonium:* Salva Roma, salva patria; salvus est Germanicus.

Lætatur anima intrinsecus laudem ad suam.) *D. Hieronymus ad Sabinianum:* Natali ducimur malo, & adulatoribus nostris libenter favemus; & quamquam respondeamus nos indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem suam anima intrinsecus lætatur.

Largiri aliena pro suis, turpissimum est.) *Polybius libro* IX. *Histor. cap.* II: Λοιπὸν ἡ τῶν ἀλλοτρίων ὁ εἰ λέγειν ὡς ἴδιά, τὸν νῦν περὶ ἕτων πραγματευόμενον, ὁ πάντων ἐστὶν αἴσχιστον, *&c:* Id jam utique supereſt, ut si quis rerum earundem commemorationem aggrediatur, is vel aliena pro suis necessariò obtrudat; quo nihil queat esse turpius, &c.

Largitur ultrò qui se, vilem se facit.) *Sumptum*

ptum à Plauto. videatur Militis ejus actus IV. *scena* VI. *versus* XXVIII.

Lassum caveto: à lasso rixa quæritur.) *Seneca libro* III. *de Irâ cap.* X: Vetus dictum est, A lasso rixa quæritur. æquè autem & ab esurienti & à sitiente, & ab homine quem aliqua res urit, &c.

Laudabile valdè est, esse cum malis bonum.) *D. Gregorius Moralibus:* Non valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse; ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos exstitisse. *Inde Trajano Martialis:* Temporibusque malis ausus es esse bonus. *Cicero Oratio* II. *in Verrem:* Nulla est laus ibi esse integrum, ubi nemo est qui aut possit, aut conetur corrumpere.

Latronibus quoque disciplina bellica est.) *Duplici intellectu: vel quòd latrones in bello observent inter se omnia munia justitiæ: vel etiam, quòd non pugnent temerè, sed more militum exercitatorum ad prælia. & ultimum hoc magis quadrare videtur, ob epitheton*, bellica. *de hujusmodi latronibus, consulatur Tacitus libro* II. *Annalium capite* LII: *Egesippus libro* I. *Excidii Hierosol. cap.* XXX. *aliique passim obvij.*

Laudare eundem & carpere ob eadem, re improbum est.) *At licet eundem hominem carpere & laudare; verum ob alia atque alia; uti fecit in Arato, nisi fallor, Polybius. Unde etiam legimus apud Synesium Epistolâ* LXVII. Καὶ μὴ θαυμάσῃς, εἰ ποτε τὸν αὐτὸν εὖ τε καὶ κακῶς ἐπεῖν μοι συμβαίη. ἐ γὰρ ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἑκάτερα. Τὰ πράγματα δὲ

ἐπαινεῖσθαι καὶ ψέγεσθαι: Nec mireris si aliquando eundem hominem & laudare & vituperare mihi accidat. non enim easdem ob res utraque facio. res autem & facta laudantur & vituperantur.

Laudator atque adulator nonne est idem?) *Respicit ad ea quæ leguntur libro* IV. *ad Herennium capite* XXI. *f.*

Laude ingenii nemo alteri cedit libens.] *Quippe juxta Martialem:* Qui velit ingenio cedere rarus erit. *addatur Sidonius Apollinaris libro* VIII. *Epilâ undecimâ.*

Laudi datur versutia; paupertas probro est.] *Desumpta videntur ex Egesippi capite* XXIV. *libri* V. *quo mirificè invehitur in avaritiam & cupidinem pecuniæ.*

Laxat voluptas modica animum, non temperat.) *Hanc sententiam, contra adversarios suos, pulcrè tuetur Seneca libro* II. *de Irâ cap.* XX.

Lenocinium antecedens muneri, est timor.] *Seneca libro* I. *de Beneficiis cap.* XI: Primæ notæ beneficia sunt, hostium manibus eripi, & tyrannicæ iræ, & proscriptioni, & aliis periculis, quæ varia & incerta humanam vitam obsident. Quidquid horum discussserimus, quo majus ac terribilius erit, hoc majorem inibimus gratiam. subit enim cogitatio, quanti sint liberati malis: & lenocinium est muneri antecedens metus.

Lentum mali remedium præcipitis mora est.) *Seneca libro* III. *de Irâ cap.* I: Quosdam preces vincunt: quidam insultant, instantque submissis. quosdam terrendo placabimus. alios objurgatio, alios confessio, alios pudor cœpto dejecit: alios mora,

lentum

lentum præcipitis mali remedium; ad quod noviſſimè deſcendendum eſt.

Levem dolorem dum putamus reddimus.] *Adeatur ſuper eo Seneca Epiſtolâ* LXXVIII. § II.

Lex omnium eſt, potentiori cedere.) *Egeſippus libro* V. *cap.* XV: Lex nempe naturæ eadem omnibus hominibus, volatilibus, feris beſtiis infuſa, ut unusquisq; cedat potẽtiori. taurus leoni, cervus urſo, leopardo caprea, aquilæ accipiter, accipitri colũba, &c.

Lex ſurda res, lex res inexorabilis.) *Adoleſcentia nobilior apud Livium libro* II. *cap.* III: Regem hominem eſſe, à quo impetres ubi jus, ubi injuria opus ſit: eſſe gratiæ locum, eſſe beneficio; & iraſci & ignoſcere poſſe; inter amicum atque inimicum diſcrimen noſſe, leges rem ſurdam, inexorabilem eſſe; ſalubriorem melioremque inopi quàm potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, ſi modum exceſſeris, &c.

Legem pudor privatus facere non poteſt.) *Tertullianus libro de Coronâ militis cap.* IV: Si Rebecca conſpectu procul ſponſo, velamen invaſit; privatus pudor legem facere non potuit, aut cauſſæ ſuæ fecerit, &c.

Leges vetuſtæ, leges & rectiſſimæ.) *Cajus Caſſius apud Tacitum libro* XIV. *cap.* XLIII: Sæpenumero in hoc ordine interfui, cùm contra inſtituta & majores majorum nova Senatus decreta poſtularentur: neque ſum adverſatus. non quia dubitarem ſuper omnibus negotiis melius atque rectius olim proviſum, & quæ converterentur in deterius mutari: ſed ne nimio amore antiqui moris ſtudium meum extollere viderer, &c.

Liberos nutrire, sat pauperibus est stipendii.] *Referendum erat ad Trochaicos. versus autem respicit ad illa Liviana, libro* II. *cap.* IX: Portoriis quoque & tributo plebe liberatâ, ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent; pauperes satis stipendii pendere, si liberos educent, &c.

Liberrimè loquitur bona conscientia.) *Pausanias:* Σωφρόνως εἰρῆσθαι φιλεῖ παῤῥησιάζεσθαι: Bona conscientia loqui facit liberrimè.

Litem in suam rem vertere, heu, turpissimum est.) *Livius libro* III. *cap* LXXI. *m:* Consules cùm Scaptium non silentio modò, sed cum assensu etiam audiri animadvertissent; Deos hominesque testantes, flagitium ingens fieri, Patrum primores accersunt. cum his circumire tribunos, orare ne pessimum facinus pejore exemplo admitterent judices, in suam rem litem vertendo.

Loco parentis Imperator militi est.) *Livii lib* IV. *cap.* XLII: Cùm tribuni plebis & de Sempronio & de omnibus summam populi Romani potestatem esse dicerent, nec se judicium populi tollere aut velle aut posse, sed si preces suæ pro Imperatore qui sibi parentis esset loco, non voluissent, se vestem cum eo mutaturos, &c.

Lucrosa nulla injustitia fuit diu.) *Insigniter id pluribus probat Isocrates in Archidamo suo.*

Lucrum est honestum per quod nemo læditur.) *Cassiodorus Epistolicis:* Aurum vel divitias si quidem per bella quærere nefas est; per maria, periculum; per falsitates opprobrium; per agriculturam verò licitum est. honestum verò est lucrum, per quod nemo læditur, justè acquitur, & nulli præjudicatur.

Lucrum

Lucrum omne honestum Cretæ est aut Carthagine.) *Videtur usurpari posse, cùm negabimus lucro operam dandam dedecorosè: Cretæ quidem id fieri & Carthagini, sed non etiam alibi &c. Eacerè labe insignit Cretenses Polybius libro* VI. *Histor. cap.* XLIV. *p. Carthaginienses verò, ejusdem libri capitulo* LIV. *pr.*

Lucro salutem quis non permutaverit?) *Nostris quidem moribus, quivis. Seneca Epistola* CXV: Nec apud Tragicos desunt, qui lucro innocentiam, salutem, opinionem bonam mutant, &c.

Lucro suo omnem destinat probum improbus.) *Synesius Epistola* CXXXI: Τοιοῦτος ὢν παράγμασιν ὁμιλεῖ δυσκόλοις, ἐν αὐτῷ δὲ ἧκισα τὸ καλὸς καὶ ἀγαθὸς εἶναι. ἕρμαιον γὰρ ἐστὶ τῶν κακοήθων ἄπασι δημοσίᾳ· καὶ ὁ πρόσοδος τοῖς πονηροῖς ἐκ τῆς ἑτέρας μεμίκται παραγωγίας: Cùm talis sit versatur in rebus molestis, vel maximè quia & probus & bonus sit. Lucrum est enim improborum omnis qui probus est, & quæstus ac reditus improbis ex alterâ parte accedit.

Ludibria oculorum auriumque etiam pro veris credita.) *Trochaicus visitur hoc loco non suo. Cæterùm verba omnia sunt à Livio. is enim habet lib.* XXIV. *cap.* XLIV. *m:* Consules duabus urbanis legionibus scriptis, supplementoque in alias lecto, priusquam ab urbe moverunt, prodigia procurarunt quæ nunciata erant. Murus ac portæ tactæ, & Ariciæ etiam Iovis ædes de cælo tacta fuerat; & alia ludibria oculorum auriumque credita pro veris.

Lugere

Lugere vivos, verè res miſerrima eſt.) *Hoc eſt, deportatos & exules. unde acutè Seneca Corcyræ poſitus:* Parce relegatis: hoc eſt jam parce ſepultis: vivorum cineri ſit tua terra levis.

Lunâ ſilente ſolùm infelix navigat.] *Syneſius Epiſtolâ* IV: Σὺ δὲ μηδέποτε πλούσιος: εἰ δέ ποτε παντως δεήσει, ἀλλὰ μὴ τοι φθινοντ@ γε μηνός: Tu autem nunquâ navigaveris: quod ſi aliquando oportuerit, ſaltem non finiente menſe.

Lux convenit negotiationibus.] *Euripides in Cyclope*: φῶς γὰρ ἐμπολήμασι πρέπει.

Luxuria ubi valet, virtus ibi non valet.) *Cæſar lib.* II. *de Bello Gallico, cap.* XV. *m:* Eorum fines Nervii attingebant, quorum de natura moribusque Cæſar cùm quæreret, ſic reperiebat: nullum aditum eſſe ad eos mercatoribus; nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri; quod his rebus relangueſcere animos, eorumque remitti virtutem exiſtimarent.

Luxuria animum ſolvit, firmat frugalitas.) *Minutius Felix in Octavio:* Ceterùm quod plerique pauperes dicuntur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria. animus enim ut luxu ſolvitur, ita frugalitate firmatur.

Luxuria peſtis ingens eſt Reipublicæ.) *Portius Cato apud Livium libro* XXXIV. *cap.* III. *f:* Sæpe me querentem de feminarum, ſæpe de virorum; nec de privatorum modò ſed etiam magiſtratuum ſumptibus audiſtis: diverſisque duobus vitiis, avaritiâ & luxuriâ civitatem laborare, quæ peſtes omnia magna imperia evertunt.

Luxuriæ & avaritiæ ſua etiam copula eſt.) *Apud Sal-*

Salluſtium capite v. *introducitur Catilina*, alieni appetens, ſui profuſus. *& ſi excutias memoralem hiſtoriam, vix invenies luxuriem ſine avaritia. & ita neceſſe eſt. malè perditum malè ſupplendum eſt. unde & eam conjungit Livius præfatione libri primi*: Ceterùm aut me amor ſuſcepti negotii fallit, aut nulla unquam Respublica, nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam ſerò Avaritia atque Luxuria immigraverint; nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parſimoniæ honos fuit: adeò quantò rerum minus, tantò minus cupiditatis erat.

Lynceus & Argus quivis Rege ſub bono eſt.) *Dum videlicet nemo non metuit ejus ſaluti; itaque pericula ejus atque incommoda diſcutere amant, conſulatur Plinii Panegyricus; etiam Senecæ caput tertium libri* I. *de Clementiâ.*

M

MAge fovet errorem ſolitudo quàm fugat.) *Verſus pedibus minus probis, ut multi præterea in hiſce ſententiis. verùm ad verba quod attinet, inveniunda ſunt apud Ennodium.*

Mage quæritut res quàm fides clientium.) *Plautinum carmen, quod viſitur verſu* VII. *actus* IV. *ſcenæ* II.

Magis ligantur linguæ victis quàm manus.) *Pudor enim verba abſumpſit. Plutarchus in libro de utilitate capienda ex inimicis:* Νικώμενοι δὲ αἰγρυξίᾳ δέδεν).

Magis patemus averſi periculis.) *Ideſt, hoſtium vulneribus magis expoſiti ſumus in fuga: nec enim cuiquam*

quam oculi sunt in occipitio. unde Catilina apud Sallustium cap. LVIII: Nam in fugâ salutem sperare, cùm arma quibus corpus tegitur, ab hoste averteris, ea verò dementia est. semper in prælio iis est maximum periculum, qui maximè timent.

Magistra solitudo est innocentiæ.) *Seneca Epistola* CXIV: Non est per se magistra solitudo innocentiæ, nec frugalitatem docent rura: sed ubi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt; quorum monstrari, & conspici, fructus est, &c.

Magistro quemquam discipulum minitarier?) *Est è Plauti Bacchidibus, versu* XLIV. *act.* I. *sc.* II.

Magnanimitatis proxima Arrogantia est.) *Memini alibi legere in Epistolis Synesii simile quid.* proxima *autem hoîc notat vicinam, & adsitam, si non & in unam conjectam copulam.*

Magnus guberna & scisso velo navigat.] *Nescio an* guberna *vox sit antiqua, pro* gubernatore. *nisi tamen me fallit memoria, & alibi eam legi.*

Magni duo Dii sunt suada ac Necessitas.) *Apud Herodotum, quoque habemus libro* VIII: Πειθὼ καὶ Ἀνάγκη, δύο θεοὶ μεγάλοι.

Magnis animi magni fiunt honoribus.) *Idem volunt Tribuni plebei apud Livium libro* IV. *cap.* XXXV. *in: asseverantes*, magno animos magnis honoribus fieri. *Inde est quod legimus apud eundem scriptorem libro* II. *cap.* XIII: Ergo ita honorata virtute, feminæ quoque ad publica decora excitatæ, &c.

Magnis apertum est omne ingenuis sæculum.] *Explicat istud Seneca Epistola* CII. § IV.

Magnum Deoque proximum est, non concuti.) *Etiam hoc excellentur illustrat idem Annæus libro de Tran-*

Tranquillitate animi capite altero.

Magnum omne exemplum in se ipso iniqui aliquid habet.) *Tacitus libro* XIV. *Annalium capite* XLIV. *f:* Et ex fuso exercitu cùm decimus quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate rependitur.

Major minorve calamitas fit tempore.) *Hinc Diodorus Siculus libro* XV. *Bibliothecæ cap.* XLVIII. *de terræmotu in Peloponneso miserabili noctis tempore:* Ἐπῆλθε δὲ τι καὶ τῆς συμφορᾶς ὁ καιρὸς: Magnitudinē calamitatis ipsum quoq; tempus aggravavit.

Majora cùm cruciant, pati non est moras.) *Desumpta ex eo, quæ habemus apud Senecæ Agamemnonem, versu* CXXIX.

Mala mens emitur quoto die; nunquam bona.) *Seneca Epistola* XXIII: Bona mens, nec commendatur, nec emitur; & puto, si venalis esset, non haberet emptorem. at mala quotidie emitur.

Mala plura contingunt hominibus quàm accidunt.) *Intellectum hujus sententiæ, invenias in Senecæ Epistola* CX.

Mala res frequenter pro dictis datur malis.) *Versus Plautinus è Menæchmis ejus, actus* III. *sc.* II. *vers.* XXXI.

Malè auspicata bella non melius geris.) *Formatum è Senecæ Agamemnone, versu* CLXXII.

Mala lingua quem carpit, meliorem esse indicat.) *Auctor Policratici lib.* III. *cap.* XIV: Sed & Diogenes, cùm ei nunciasset amicus; te amici cuncti vituperāt. Oportet, inquit, sapientiam ab insipientibus feriri: esse enim meliorem indicat mala lingua quem carpit.

Malit

Malit videre quàm videri femina.] *Pulcra multa ad hunc locum reperire apud Tertullianum libro de virginibus velandis: quemadmodum etiam ad explanationem versus proximi:* Mavult videri quàm videre femina.

Malitia paucis, omnibus virtus prodeſt.) *Iſocratis Nicocles:* μὴ τὴν κακίαν δυνάσθαι μᾶλλον τῆς ἀρετῆς ὠφελεῖν νομίζετε &c: Nec putetis improbitatem plus quàm virtutem prodeſſe &c.

Malus profectò eſt quisquis vivit molliter.) *Inde intelligitur ſupra poſitus verſus:* Malè eſſe mavelim mihi, quàm molliter. *de quo utroque conſulendus Seneca Epiſtola* LXXII.

Malus propè ipſam curſor metam deficit.) *Polybius, libro* XVI. *cap.* XIII: Ταῦτα μὲν ἂν προήχθην εἰπεῖν, διὰ τὸ πολλὰς μὲν πρὸς τῷ τέρματι, καθάπερ οἱ κακοὶ τῶν δρομέων, ἐγκαταλιπεῖν τὰς ἑαυτῶν προθέσεις: Hæc ut dicerem, eò ſum impulſus, quod nonnullos viderem circa ipſam metam, ſicut mali curſores in ſtadio ſolent, ſuis deſiſtere inceptis.

Malus ſibi, alteri eſſe quei queat bonus?) *Videatur auctor ad Herennium, lib.* IV. *cap.* XVIII. *p.*

Mali ex ingenio mores alienos probant.) *Verſus* XXX. *actus* II. *ut & ſcenæ Plautini Perſæ.*

Malum alterius ne cùm malo miſceas tuo.) *Ejusdem Plauti; è Trinummo petitus, act.* I. *ſcenæ* II. *verſ.* LXXXV.

Malis benè eſſe ſolitum eſt potius quàm bonis.) *Petitum è Plauti Mercatore, verſu ſcilicet* XIII. *actus* III. *ſcenæ* I.

Mandatum obediens verus non procraſtinat.) *D. Bern-*

D. Bernardus: Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis.

Manent minuta, grandia dona non manent.) *Æmilius Probus in vita Thrasybuli*: Huic pro tantis meritis, honoris ergo, corona à populo data est facta duobus virgulis oleaginis: quæ, quod amor civium, non vis, expresserat, nullam habuit invidiam, magnoque fuit gloriæ. Bene ergo Pittacus ille, cùm ei Mitylenæi multa millia jugerum agri munera darent: Nolite, rogo vos, inquit, mihi dare quod multi invideant, plures etiam concupiscant. quare ex istis nolo amplius quàm centum jugera, quæ & meam æquitatem, & vestram voluntatem indicent. nam parva munera diutina; locupletia, non propria esse consueverunt, &c.

Manu sceleratâ esse animus innocens potest.] *Ex Senecæ Hercule OEtæo sumptus, versu videlicet 964.*

Marcelli etiam celebravit funus Annibal.] *Facit ad coërcendam militum crudelitatem; ne nimirum sæviant in hostes extinctos. Sed & de eodem Annibale scribit Livius libro* XXV. *cap.* XVII: Funeris quoque Gracchi varia fama est. alii in castris Romanis sepultum à suis: alii ab Annibale (& ea vulgatior fama est) tradunt in vestibulo Punicorum castrorum rogum exstructum esse, armatum exercitum decurrisse, cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum & corporum, suæ cuique genti adsuetis; ipso Annibale omni rerum verborumque honore exsequias celebrante.

Mater decoris, mens regentis, publici est.)

Theodoricus Rex apud Cassiodorum libro III: Publici decoris, mater est mens regentis: & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aspectum. facilius est quippe, si dicere fas, errare naturam, quàm dissimilem Princeps possit formare Rempublicam. is enim potest alios regere, qui se studuit sub decore tractare.

Medicinæ apud ægros usus; apud sanos honos.) *Seneca libro* I. *de Clementiâ cap.* II: Sicut medicinæ apud ægros usus, etiam apud sanos honor est: ita clementiam quamvis pœnâ digni invocent, etiam innocentes colunt, &c.

Meditatio mortis quid est? suspirium.) *Idem Epistolâ* LIV: Vni tamen morbo quasi adsignatus sum, quem quare Græco nomine adpellem nescio: satis enim aptè dici suspirium potest. brevis autem valdè & procellæ similis impetus est: intra horam ferè desinit. quis enim diu exspirat? Omnia corporis aut incommoda aut pericula per me transierunt. nullum mihi videtur molestius. quid ni? aliud enim quidquid est, ægrotare est: hoc, est animam agere: itaque medici hanc meditationem mortis vocant.

Medium obtinebis summo si adspiraveris.) *Idem est cum hemistichio Græco:* Ἄκρην λαβὲ, καὶ μέσην ἕξεις.

Melior ferè pars à majore vincitur.] *Certè in consilio. Livius libro* XXI. *cap.* III. *f:* Paucæ ac fermè optimus quisque Hannoni adsentiebantur: sed, ut plerumque fit, major pars meliorem vicit. *Idem rursus libro* XXV. *cap.* XIII: Ceterùm, ut plerumque, fortuna & consilia mala vicerunt. *videatur adhuc libro* XLII. *cap.* XLVII. *fine, ut & Tacitus lib.* XII. *Annal.*

Annal. cap. XLVIII. *m: item libro* II. *Histor. cap.* XXXIII. *m:*

Memoria facinorum nunquam vacua est metu.) *De Nerone Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* XXXVI: Cùm Vestæ quoque templum iniisset, repentè cunctos per artus tremens, seu Numine exterrente, seu facinorum recordatione nunquam timore vacuus, deseruit incaptum.

Memoria quonam, quæso, prodest mortuis?) *Lactantius libro* VI. *cap.* XI: Num ergo illi sapientius, qui utiliora & diuturniora civibus suis exhibent munera? ii scilicet qui publicis operibus exstructis memoriam nominis sui quærunt? Ne isti quidem rectè bona sua in terra sepeliunt: quia nec memoria quidquam mortuis confert; nec opera eorum sempiterna sunt, &c.

Mendacium calidum, mendacium optimum.) *Sumptum à Plautino versu* CXXXV. *actus* III. *scenæ* I. *Mostellariæ.*

Mendacia hoc habent, ut non cohæreant.) *Lactantius libro* V. *cap.* III: Hæc est mendaciorum natura, ut cohærere non possint. Illorum autem traditio, quia vera est, quadrat undique, ac sibi tota consentit; & ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est.

Mendacio adulatorum servit veritas.) *Auctor Polycratici libro* III. *cap.* V: Sic & in Comœdiis servorum callitate domini deluduntur: præmissis increpationibus rationes suas infirmari permittunt, & tandem se victos simulant; ut & credulorum sensum confirment errorem, & de proditionis perfidiâ gratiam ancupentur: magnâ satagentes

industriâ, ut sic semper decipiant, ut nunquam possint argui falsitatis. eorum namque veritas mendacio servit.

Mens æquitatis, Principum sententia est.] *Deberet quidem esse. Prudenter idem auctor lib.* IV. *cap.* II: Sed quis in negotiis publicis loquetur de Principis voluntate, cùm in eis nihil sibi velle liceat, nisi, quod Lex aut Æquitas persuadet, aut ratio communis utilitatis inducit. Ejus namque voluntas in his vim debet habere Iudicii; & rectissimè quod ei placet in talibus, legis habet vigorem: eò quod ab æquitatis mente ejus sententia non discordet.

Mentem videre non promptum cuiquam Dei.) *Arnobius libro* II. *adversus gentes:* Neque enim promptum est, cuiquam Dei mentem videre &c.

Meretrix habet sub vestimentis retia.) *Tale quid est apud Plautum in Epidico, versu* XXXI. *act.* II. *sc.* II.

Meretrix minus virum amat, magis marsupium.) *Idem quoque sumptum ex Plauti Menæchmis, actus videlicet* II. *scenæ* III. *versu* XXXV.

Merx cujus est, & ejus judicatio est.) *Est istud etiam Plautinum; inveniasque in Persâ, act.* IV. *sc.* IV. *versu* XXXVI.

Metus siniſtra usque augurat de absentibus.) *Sidonius libro* VIII. *Epistolâ* VI: Pro sodalibus fide junctis, sede discretis, frequenter incutiunt & tuta timorem: quia promptius de actionibus longinquis ambigendisque siniſtra quæque metus augurat.

Meus arbitratus est lingua quid juret mea. *Visitur inter Plautinâ, in Rudente, act.* V. *scenæ* II. *versu* LXVIII.

Mihi

Mihi crede, res severa est verum gaudium.) *Seneca Epistolâ* XXIII: Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoveo, qui spes, dulcissima oblectamenta, devitandas existimo. Imò contrà: nolo tibi unquam deesse lætitiam. volo illam tibi domi nasci. nascetur, si modò intra teipsum sit. Ceteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt: nisi fortè tu judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer & fidens, & supra omnia erectus. Mihi crede, res severa est verum gaudium. An tu existimas, &c.

Miles ferè animũ sumit ex vultu Ducis.] *Bene ergo Annæus consolatione ad Polybiũ c.* XXIV. *f:* Quod Duces magni faciunt, rebus adflictis, ut hilaritatem de industriâ simulent, & adversas res adumbratâ lætitiâ abscondant, ne militum animi, si fractam Ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur; id nunc tibi quoque faciendum est, &c. *Livius de Scipione adhortante suos ad ultimum contra Hannibalem prælium, libro* XXX. *capite* XXXIII. Adeò celsus hæc corpore, vultuq; ita læto, uti vicisse jam crederes, dicebat.

Miles procul à domo, miles præstantior.) *De Annibale Livius lib.* XXI. *c.* XXI: Inde partiens curas simul inferendi atque arcendi belli, ne dum ipse terrestri per Hispaniam Galliasque itinere, Italiam peteret, nuda apertaque Romanis Africa ab Siciliâ esset, valido præsidio eam firmare statuit. pro eo supplementum ipse ex Africâ petiit; ut Afri in Hispaniâ, Hispani in Africâ, melior procul à domo futurus uterque miles, velut mutuis pignoribus obligati, stipendia facerent.

Miles vetus celeriter animum colligit.) *Livius lib.* XXXVII. *cap* XI: Pausistratus primò, ut in re nec-opinatâ, turbatus parumper; deinde vetus miles celeriter animo collecto, terrâ melius arceri quàm mari hostes, ratus &c. *Tacitus lib.* I. *Annal. cap.* LXIV. *m:* Quadragesimum id stipendium Cæcinæ parendi aut imperitandi habebat; secundarum ambiguarumque sciens, eoque interritus &c.

Minime est capital necem optare adversario.) *Adseverant Rhodii legati apud Livium lib.* XLV. *cap.* XXIV. *p:* Neque moribus, neque legibus ullius civitatis ita comparatum esse, ut si quis vellet inimicum perire; si nihil fecerit quo id fiat, capitis damnetur.

Minimè grave est non appetere id quod nescias.) *Verba Tertulliani, è cap.* XVIII. *libelli* I. *ad uxorem suã.*

Minimum loquaris cum aliis; tecum plurimum.) *Seneca Epistolâ* CV: Nihil æquè proderit ad vitam tutam, quàm quiescere: minimum cùm aliis loqui plurimum secum, &c.

Minimum tribuit memoriæ, qui spei plurimum.) *Rationes videre est apud Senecam libro* III. *de Benef. cap.* IV.

Minus benè imperiũ regit quàm auctoritas.) *Aut certè æquè bene regit. De Evandro Livius lib.* I. *cap.* VII: Auctoritate magis quàm imperio regebat loca, &c.

Minus pericli est in contemptu, quàm metu.) *Vult puto, tutiorem agere vitam eos qui ab aliis contemnantur, quam qui sint formidini. Consulatur Seneca Epistola* CV. *liberque* II. *de Irâ cap.* XI.

Miratur id plus plebs quod non intelligit.) *D. Hieronymus ad Nepotianum*: Verba volvere & apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indocto-

doctorum hominum est. Nihil tam facilè, quàm vilem plebem & indoctam volubilitate linguæ decipere; quæ quidquid non intelligit plus miratur.

Modestiæ exors est Pax ac Felicitas.) *Appositè Dio Chrysostomus, oratione Rhodiacâ* XXXI: Καθάπερ, οἶμαι, καὶ τῶν πλεόντων ἰδεῖν ἐστι, χειμῶνος μὲν ἐπιπεσόντος, ἢ ῥοθόρου τινὸς πνεύματος, μηδὲ τοὺς ἀσελγεστάτους αὐτῶν αἰσχρόν τι ποιοῦντας, ἀλλὰ πρὸς μόνῳ τῷ πλεῖν ὄντας· ἐν δὲ τῇ γαλήνῃ, καὶ τῶν ναυτῶν καὶ τῶν ἐπιβατῶν ἐπιπολάζοντα τὴν ὕβριν, κἂν μὴ ὦσιν ἀκόλαστοι· τὸν αὐτὸν οἶμαι, τρόπον ἐν πολέμοις εἰώθε, καὶ τοὺς φαυλοτέρους ἐγείρειν καὶ κρατεῖν ἐν τοιαύτῃ δὲ εἰρήνῃ καὶ ῥᾳθυμία τῶν δρίστων ἀνδρῶν, εἰς μηδεμίαν αἰσχύλην μηδὲ ἀλαζόνειαν ἐκπεσεῖν; Quemadmodũ (puto) in navigantibus videre licet, quod tempestate irruente, aut vento vehementi, ne lasciviſſimi quidem inter eos quicquam turpe faciant, sed duntaxat ad navigandum advertunt animum: in tranquillitate verò, & nautarum & vectorum palàm conſpiciuntur procacitates, tametsi non sint libidinosi. Simili, opinor modò & in bellis evenire solet, quòd & ignaviores excitentur & antecellant: in tantâ autem pace & socordiâ optimorum virorum, in nullam turpitudinem aut confusionem deduci, non est quorumvis, sed singulari virtute præditorum.

Modestiæ fama æstimatur & à Deis.] *Vologeses apud Tacitum libro* XV. *Annal. cap.* II: Vestra quidem vis & gloria in integro est, additâ modestiæ famâ, quæ neq; summis mortalium spernenda est, & à Diis æsti-

matur. *Quid mirùm?* ὁ γὰρ ἐᾷ φρονέειν ἄλλον μέγα ὁ Θεὸς ἢ ἐωυτόν: Quia Deus neminem alium quàm se ipsum sinit magnificè de se sentire; *ut bene loquitur Artabanus, Xerxis Patruus, apud Herodotum lib.* VII. *capitulo* X.

Molam fugit quicumque, farinæ haud obviat.] *Expressum voluit Græcorum illud:* φεύγων μύλον, ἀλφιτα φεύγει.

Moles mali sæpe arte omni est potentior.) *Simillimis ferè verbis Ovidius libro* XI. *Metamoph. versu* CCCCXCV:

Ipse pavet, nec se, quis sit status, ipse fatetur,
Scire ratis rector. nec quid jubeatve velitve:
Tanta mali moles, tantoque potentior arte est.

Mollis mali præcogitati ictus venit.) *Eodem tendit quo illud antecedens:* Minus nocet malum quod expectaveras.

Monstrare juveni rectè, non lenonium est.] *Verbum Plauti, comœdiâ Pseudoli, act.* I. *scenâ* III. *versu* LIIII.

Morbus voluptates non tollit; incitat.] *Seneca Epistolâ* LXXVIII: Duo sunt genera voluptatum: corporales morbus inhibet, non tamen tollit, imò, si verum æstimes; incitat magis. Iuvat bibere sitientem: gratior est esurienti cibus &c.

Morbis alimentum suppeditat silentium.) *Explicatur ab Heliodoro lib.* IV. *Æthiopicôn:* Τροφὴ γὰρ νοσων ἡ σιωπή. Τὸ δὲ σκληρόμυθον, ἀνωδυνόμυθον: Nutritur morbus silentio: ceterùm quod enuntiatur, leniri consolatione facilè potest.

Morbis carent queis simplex est alimonia.) *De Nomadibus maritimis, Diodorus libro* III. *Bibliothec. cap.*

cap. XVII. *f.* Νόσις μὲν ἀφ' ἁπλότητος τῆς τροφῆς σπανίως ἐπιπίπτουσι: Propter victus simplicitatem raro in morbos incidunt: *Idem accidere Taprobanis, indicat idem Siculus lib.* II. *cap.* LVII. *Haud sæpè morbum aliquem superare Africanorum eadem de causâ, auctor quoque Sallustius Jugurthinæ cap.* XVII. *m. adeatur & Porphyrius de abstinentiâ animalium. nam medicos frustra cui monstravero: ultrò occurrunt.*

Morbo Ducis, quoque disciplina languida est.) *Potest non tantùm intelligi de morbo corporis, sed de morbo animi. exemplum quippe Imperatoris sui imitatur illicò miles. De priore Livius libro* XL. *cap.* I: Quintus Fabius scripserat in ulteriore Hispaniâ, quia diu Prætor æger esset, luxuriâ & otio solutam disciplinam militarem esse. *De posteriore etiam idem Patavinus libro* XXXVI. *cap.* XI: Antiochus omissa omnium rerum curâ, in conviviis & vinum sequentibus voluptatibus, ac deinde ex fatigatione magis quàm satietate earum in somno traduxit. eadem omnes præfectos Regios cœpit luxuria: in eandem & milites effusi sunt, nec quisquam eorum aut arma induit, aut stationem aut vigilias servavit, aut quidquam quod militaris operis aut muneris esset, fecit.

Mores bonos congressus corrumpunt mali.] *Veteribus hunc versum fuisse in usu, ostendit Tertullianus, libro* I. *ad uxorem capitis* VIII. *fine.*

Morum argumentum etiam capere è minimis licet.] Impudicum, & incessus ostendit, & manus mota, & unum interdum responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. Improbum risus, insanum vultus habitusque demonstrant &c. *Seneca Epistolâ* LII. *Inde & præcessit.* Mores pudicarum ipse

habitus pronuntiat. *Quæ verba sunt Tertulliani, libro de cultu virginum cap.* XII. *f.*

Mores mali quid sunt, humores quàm mali?] *D. Bernardus:* Cibus indigestus, corpus corrumpit; inflatum & hydropicum reddit: si digestus fuerit, nutrit. Sic scientia stomacho animæ indigesta, si non fuerit igne caritatis decocta, malos humores generat. numquid non mali mores, mali humores sunt?

Mors misera non est: aditus ad mortem est miser.] *Lactantius libro* III. *cap.* XVII. Nec frustra dictum est: Mors misera non est: aditus ad mortem est miser. hoc est, morbo tabescere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, ardere igni, dentibus bestiarum laniari: hæc sunt quæ timentur; non quia mortem adferrunt, sed quia dolorem magnum.

Mors sæpe donum in pluribus veniæ fuit.) *Vi. suntur isthæc verba in Hercule OEtæo versu 931.*

Mortem facilius quis, dolorem quàm ferat.) *Critognatus apud Cæsarem libro* VII. *belli Gallici cap.* LXXVIII. Animi est ista mollities non virtus, inopiam paullisper ferre non posse. qui se ultrò morti offerant facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant.

Mortalium nemo horis omnibus sapit.) *Plinius libro* VII. *cap.* XI. *Historiæ Natur:* Quid? quod nemo mortalium omnibus horis sapit: utinamque falsum, hoc, & non à vate dictum quàm plurimi judicent

Moriente nullo an quidpiam est formosius?) *Sunt verba paræmiæ alicujus, aut gulosi; quod facilè hauriamus ex istis Plinii libro* IX. *Nat. Hist. cap.* XVII: Nullum expirantem versi olori quadam & numerosâ varie-

ta'e

tate ſpectari, proceres gulæ narrant, rubentium ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem: utique ſi vitro ſpectetur incluſus.

Mulier profectò nata eſt ex ipsâ morâ.) *Verſus è Milite Plautino, act.* IV. *ſc.* VII.

Mulier tacere nunquam quidquam eſt quod queat.] *Et iſtud à Plauto eſt. extat enim in Trinummo, act.* III. *ſc.* III. *verſu* LII.

Multa adjicit cum incremento internuncius.) *Seneca Epiſtola* CV: Eſt quædam dulcedo ſermonis, quæ irrepit & blanditur, & non aliter quàm ebrietas aut amor ſecreta producit. Nemo quod audierit, tacebit: nemo quantum audierit loquetur. *Valet autem iſtud potiſſimum in calumniis. Egeſippus libro* I. *Excidii Hieroſolym. cap.* XL: Promptior lingua, & ſecretorum prodiga, quidquid Mariamnes filii locuti forent apud Alexandrum, continuò apud Antipatrum erat. multa etiam quæ non dixerant, ſimulabantur: pleraque internuncius cum incremento adjiciebat.

Multi hoſtibus melius quàm ſibimet conſulunt.) *Id non uno exemplo palam facit Iſocrates Oratione de Pace, ſeu Sociali; qui adeatur.*

Multi incidere in fata, fata dum timent.] *Alluſum eſt ad Senecæ OEdipodis verſum numero* DCCCCXCIV.

Multi potius tormenta, quàm minas ferant.) *Tormentorum ſcilicet minas; quæ mirè reos confundunt: adeò ut eis viſis quidvis fateantur. Tacitus de Soevino & Natali libro* XV. *Annalium cap.* LVI: Inditaque vincla: & tormentorum adſpectum ac mi-

ac minas non tulere. *Seneca Epistolâ* XIV: Quemadmodum plus agit tortor, quo plura instrumenta doloris expositit (specie enim vincuntur, qui patientiâ restitissent:) ita ex his quæ animos nostros subigunt & domant, plus proficiunt quæ habent quod ostendant, &c.

Multi suis applausum dant periculis.) *Id ipsum fit partim ignorantiâ rerum, vel adeò odio præsentium, de priore, videsis Synesium Epistola* IV. *de altero, consule Tacitum libro* III. *Annal. cap.* XLIV. *m.*

Multis loco humilitatis assentatio est.) *Versum hunc & duos sequentes, ferè invenias apud D. Hieronymum ad Demetriaden:* Quidam superbiam libertatis loco ducunt, adulationem pro humilitate suscipiunt, malitiam prudentiæ vice amplectuntur, &c.

Multis profectò & ipsamet obest gloria.) *De Chione Ovidius libro* XI. *Metamorph. vers.* CCCXX: Quid peperisse duos, & Diis placuisse duobus, Et forti genitore, & progenitore Tonante Esse satam prodest? an obest quoque gloria multis? Obfuit huic certè, &c.

Multò est amare quàm ipsum arare durius.) *Versus fictus è Plauti Mercatore, act.* II. *sc.* III. *numero* XXI.

Multos amor pellexit in dispendium.) *Et istud carmen Plauto debitum. visitur enim versu* LIII. *act.* I. *sc.* I. *Mercatoris.*

Multos clientes esse volunt omnes sibi.) *Et hoc quoque invenias in Menæchmis Plautinâ; act.* IV. *sc.* II. *versu* IV.

Multum Deorum in populũ est efficax metus.) *Livius libro* I. *cap.* XIX. *De Numa:* Omnium primum,

mum rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est &c.

Multum tyrannus, plus nocent satellites.) *Quot enim sunt, animos sibi induunt domini sui.*

Mutare materiam artifex minimè potest.] *Sunt verba Senecæ libro de Providentiâ cap.* VI. *m.*

Mutare tyranno mores non licet suos.) *Si enim amplexus fuerit vitam privatam; impetetur undique, vel ab eis quibus intulit contumeliam, vel à cognatis eorum in quos fuit crudelior. Suetonius de Augusto cap.* XXVIII. Sed reputans & se privatim non sine periculo fore, &c.

N

NArrare victus prælia quis velit sua?) *Archelous apud Nasonem libro* IX. *Metamorph. versu* IV: Triste petis munus: quis enim sua prælia victus commemorare velit?

Nascuntur urbes ex initiis infimis.) *Non urbes solùm sed & gentes integræ. adeatur Herodotus libro* I. *cap.* LVIII. *Romani, libro Livius* I. *cap.* IX: Vrbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci: deinde quas sua virtus ac Dii juvent, magnas opes magnumque nomen sibi facere.

Natalis est æterni postremus dies.) *Sententia merè Christiana; pronuntiata tamen ore Senecæ* §. V. *Epistolæ* CII.

Natura ad id quod poscit, sola sufficit.) Ad parata nati sumus. nos omnia nobis difficilia facilium fastidio fecimus. tecta tegumentaque & fomenta cor-

corporum, & cibi, & quæ nunc ingens negotium facta sunt, obvia erant & gratuita, & opera levi parabilia: modus enim omnium, prout postulabat, necessitas erat. nos ista pretiosa, nos mita, nos magnis multisque conquirenda artibus, fecimus. sufficit ad id natura quod poscit. à naturâ luxuria defecit. *Seneca*.

Naturâ nobis insita est sapientia.) *Minutius in Octavio:* Et quoniam meus frater erupit, ægrè se ferre, stomachari, indignari, dolere, illiteratos, pauperes, imperitos de rebus cælestibus disputare; sciat omnes homines sine delectu ætatis, sexus, dignitatis, rationis & sensus capaces & habiles procreatos; nec fortuna nactos, sed naturâ insitos esse sapientiam, &c.

Natura non dat virtutem: est fieri ars bonum.) *Videatur ratio apud Senecam Epistola* XC.

Natura, quod nulla unquam ætas tulit capit.) *Et istud explicat idem Annæus libro* III. *de Benef. capite* XXXII.

Natura vinci unam non permittit famem.) *Livius libro* V. *cap.* XLVIII: Interim Capitolinus exercitus stationibus vigiliisque fessus, superatis tamen humanis omnibus malis, cùm famem unam Natura vinci non sineret, diem de die prospectans &c.

Natus inhonestè, vivere honestè quei queat?) *Argumentum Ciceronis Oratione pro Quinctio cap.* XVII. *Quintilianus quoque libro* V. *Orat. Institut. cap.* X: Similes parentibus ac majoribus suis filii plerumque creduntur: & nonnunquam ad honestè turpiterque vivendum, inde causæ fluunt. *Tranquillus de patre Neronis cap.* VI: Præsagio fuit etiam Domitii patris

patris vox, inter gratulationes amicorum negantis, quidquam ex se & Agrippinâ, nisi detestabile & malo publico nasci potuisse.

Natus patrem expavescit, & natum parens.) *Spectat ad Regum miserias, ubi nec pater tutus à filio, nec filius à patre. videatur Seneca Thyeste versu* XL.

Nave à vitiosâ plus pericli est quàm à domo.) *Vegetius lib.* IV. *cap.* XXXIV: Sed cùm in domibus substruendæ arenæ vel lapidum qualitas requiratur, tantò magis in fabricandis navibus diligenter cuncta quærenda sunt, quantò majus periculum est, navem vitiosam esse quàm domum, &c.

Nautis timori maximè in salo solum est.) *Vtpote à quo naufragii periculum præsentaneum. adeatur Senecæ Epistola* LIII. *item Synesii Epistola* IV.

Ne bene merenti sit malo benignitas.) *Plauti est, versu* XCVII. *actus* IV. *scenæ* LI. *Cistellariæ.*

Ne me in stultitiâ, si deliqui, deseras.) *Et hoc à Plauto est, nimirum versu* XCI. *act.* IV. *sc.* IX. *Bacchidum.*

Ne palma detur cuiquã artifici injuriâ.) *Nec istud alienum est à Plautinis. videatur modò Prologus Pœnuli versu* XXXVII.

Ne quære litem, litem fugere si potes.) *Istud, ut & alia multa, apertè mutuo sumpta sunt à Græcis; quorum testimonia mihi in promptu. sed refugiunt eorum literas typotheta. itaq; fidei meæ credatur oportet.*

Nec capere multum corpus, nec potest diu.) *Id ipsum quotidie experimur. cõsulatur Seneca Epistola* 114.

Nec eripi possunt virtutes, nec dari.] *Et hoc quoque Senecæ est. adeatur modò consolatio ejus ad Helbiam matrem capite* VIII. *nam & in citandis Latinis mihi, tem-*

temperem necesse est, ut obsequar mercenariæ illi genti, apertè mihi præscribenti quantum eis imponere debeam operæ. quare nihil ferè deinceps chartæ illinam, nisi quod aliquomodò illustret obscuritatem verborum, ac rerum; aut adeo prodat versus veteres.

Nec res mala est, nec res bona est, pecunia.) *Pendet enim tota ab animo utentis. interim sciamus verba esse Senecæ ex epistola* XCIV.

Nec spreta modestia summis est mortalibus.) *Sunt à Tacito verba. evolvatur modò liber* XV. *Annal. cap.* II.

Necessitas quem cogit, ut fiat malus.) *Desumptũ à Plauti Persâ, act.* III. *sc.* I. *v.* XXX.

Necessitas virtutis desperatio est?) *Vegetius lib.* IV. *cap.* XXV: Necessitas est quædam virtutis desperatio, &c.

Nefaria ferè ministeria fiunt metu.) *Tyrannorum scilicet, sub quibus non sumus futuri tuti, nisi eis in omnibus & per omnia obsequamur. Aurelii Victoris Epitome de Vespasiano:* Namque primùm satellites tyrannidis, nisi qui fortè atrociùs longè processerant, flectere potius maluit, quàm excruciatos delere; prudentissimè ratus, nefaria ministeria à pluribus metu curari.

Negotium sapiens agit tantùm suum.] *Apocyntosis Senecæ:* Patres conscripti, vos testes habeo, ex quo Deus factus sum, nullum verbum me fecisse: semper meum negotium ago, &c.

Nemo absque lucri spe sceleſta perpetrat.) *Est à Tullio. videatur oratio ejus pro Roscio Amerino, capite* XXX.

Nemo absque magno egregius animo nascitur.) *Deus*

De eâ re non protrita legere est apud Dionem Cassium, lib. LII. *Oratione Agrippæ ad Augustum.*

Nemo ad bonam mentem occupatus pervenit.) *Quoniam totum hominem requirit. Seneca consulendus Epistolâ* LIV.

Nemo aliter exit è vitâ quàm nascitur.) *Vult æquè insscios esse vitæ morientes, quàm nascentes; in senibus, inquam, adhuc hærere infantiam. adi Senecam Epistolâ* XXII.

Nemo alterum nisi causâ diligit suâ.] *Vulgo quidem: quod ipsum præclarè ostendit Lactantius libro* III. *Divin. Institut. cap.* XVII. *f.*

Nemo alterum plus, ipsum quàm se diligit.) *Videatur ratio apud Ciceronem libro* III. *Tusculan. quæstionum cap.* XXIX. *f.*

Nemo Deum quærit nisi qui invenit prius.) *D. Bernardus:* Nemo te, Domine, quærere valet, nisi qui prius invenerit. vis ergo inveniri ut quæraris; quæri ut inveniaris: potes quæri & inveniri; non tamen præveniri.

Nemo ei cui facit medicinam irascitur.) *Non si irat, non si secet. vide Senecam libro* I. *de Irâ capite* XIV.

Nemo est facilius cui neget quis quàm sibi.) *Est à Seneca, qui videatur libro de Tranquillitate capite* VIII. *f.*

Nemo est miser nisi comparatus alteri.] *Fictum ex Senecæ Troade, versu* MXXIII.

Nemo favet virtuti quam sequi nequit.] *Hinc Sallustius Catilinariæ, cap.* XVIII: Vbi de magna virtute atque gloriâ bonorum memores; quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit; suprà

ea, veluti ficta, pro falsis ducit.

Nemo imputari patitur sibi vulgaria.) *Vocat Seneca lib.* I. *Benef. cap.* XIV. *unde petenda interpretatio.*

Nemo miser tantummodò est præsentibus.) *Quoniam cogitationes nostras in longinqua præmittimus &c. videatur Seneca Epistolâ* IV.

Nemo non ultrà verum gloriam tulit.) *Id est, plus gloriæ adsecutus fuit, quàm etiam merebatur.*

Nemo regi vult à quoquam, cui par fuit.] *Eâ enim sumus philautiâ, ut ipsi omnia potius esse cuperemus, & præesse cunctis; subesse nemini: nedum ut æquo animo pareamus,* quem nobiscum in æquo vidimus, *ut loquitur Tacitus libro* II. *Histor. cap.* XX. *ad quem locum non vulgaria cumulavimus ex Curtio, Josepho, Herodiano, Capitolino, Æmilio Probo, Libanio, Dione Cassio, Gregora, ceterisque.*

Nemo satis solo indicatur nomine.) *Imò illud ipsum pluribus fuit exitio; ut ostendi alibi ex Xenophonte, Dione, Cicerone, Suetonio, Appiano, Valerio Maximo, Ammiano aliisque.*

Nemo sibi vult anteiri à proximis.] *Idem est ferè cùm eo quod præcessit;* Nemo regi vult à quoquam cui par fuit. *videatur Livius libro* VI. *Annalium capite* XXXIV. *f.*

Nemo sibi errat uni, verùm & proximo.) *Quia* pauci prudentiâ honesta à deterioribus, utilia à noxiis discernunt: plures aliorum eventis docentur, *ut loquitur Tacitus libro* IV. *Annal. cap.* XXXIII.

Nemo uspiam est homo quin rem meminerit suam.) *Versus Plauti è Mercatore, act.* V. *sc.* IV. *cap.* LI.

Neptune, navem hanc nunquam nisi rectam auferes.) *Vtitur parte ejus Seneca Epistolâ* LXXXV. §. VIII.

Neque

Neque dedi, neque do infideli cuiquam fidem.) *Citat Cicero libro de officiis.*

Nequam illud verbum est, Bene vult, nisi qui Benefacit.) *Obvium est in Plauti Trinummo, act.* II. *sc.* IV. *vers.* XXXVII.

Nihil est miserius quàm animus hominis conscius.) *Et hoc quoque notum è Plauti Mostellaria, act.* III. *sc.* I. *vers.* XIII.

Nihili parasitus est, cui argentum domi est.) *Reperias in Persâ Plauti, act.* I. *sc.* III. *vers.* XL.

Nil est amico tardo quidquam iniquius.) *Scitur & istud esse è Pœnulo Vmbri nostri, act.* III. *scenæ* I. *vers.* I.

Nil mutuo est amore amantium suavius.) *Hoc quoque occurret in Cistellariâ ejusdem poëtæ, versu scilicet* XLV. *actus* I. *scenæ* III.

Nimia est miseria, pulcrum esse hominem nimis.] *Pyrgopolinicis verba apud Plautum in Milite, versu* LXVIII. *actus* I. *sc.* I.

Nimium properanti quævis longior mora est.) *Formatum ex Agamemnonis Tragœdia versu 426.*

Nisi toxicata venena nocere non queunt?) *Sensus verborum, patebit ex istis Joannis Sarisberiensis lib.* I. *Policratici cap.* VI: Suspecta equidem fuit sancto viro voluptati cognata mollities; eo quod voluptas parens libidinum est. Quid quod hæc ipsa quotidianorum conviviorum malitiam acuit; ac si venena nisi toxicata sint, nocere nõ possint. Igni stipulã addere, oleũ camino, serpentẽ toxico, nonne dementia est?

Nolunt suis obniti donis Principes.) *Vult, opinor, non esse reijcienda munera Regum; juxta Homeri versum. quod ipsum, quàm sit periculosum,*

prodidit: Seneca libro XV. *de Beneficiis cap.* VI. *f. & alluſit Tacitus libro* XIII. *Annal. cap.* XVIII: Exin largitione potiſſimos amicorum auxit. nec defuerunt qui arguerent viros gravitatem aſſeverantes; quod domos villasq; id temporis quaſi prædas diviſiſſent. alii neceſſitatem adhibitam credebant à Principe &c. Obniti *igitur, poſitum activè.*

Nonnulla fiunt magna, haud ſummâ, aſt tempore.) *Si videlicet in fame ingenti ſubvenias frumento; ſi in ſiti extremâ, aquæ hauſtu. parum quidem eſt quod impenditur, ſed tamen beneficium parvum non eſt tam opportunè datum.*

Non diſcitur nobis metus, ſed naſcitur.) *Exemplis id aliquot oſtendit in Sermonibus ſuis Zeno.*

Non eſt amici polliceri, ſed dare.) *Extat in Plauti Bacchidibus, act.* IV. *ſc.* II. *verſ.* XXIII.

Non eſt homini ſomnus bonus de prandio.) *Etiam iſtud Plauti, conſpicitur in Moſtellariæ actu* III. *ſcena* II. *verſu* XIII.

Non eſt pudori munimentis cedere.) *Eo admonentur milites, ne virtute ſuâ indignum putent retrocedere, neque perſeverare oppugnationem loci iniquiſſimi. Egeſippus lib.* V. *cap.* XIX: Sed de Macedonum cohorte plerique (quoniam pudori putabant, etiam naturæ aut munimentis cedere) pertinacius præliantes vulnerantur.

Non eſt profectò libertas, nihil pati.) *Interpretatio ſumenda uberior è Senecæ libello, quo vult in ſapientem non cadere injuriam, capite poſtremo.*

Non omnis ætas hominis ludo convenit.] *Sumptum à Plauto. videſis Bacchides verſu* XXI. *act.* I. *ſcenæ* II.

Non

Non se suosque mulier quit defendere.] *Et istud rursus hausturn è Bacchidibus, act.* IV. *scenæ* VIII. *vers.* V.

Non semper hominum culpa est, culpa & temporum est.) *Cicero alterâ Catilinariâ cap.* II. *p:* At si quis est talis, quales esse omnes oportebat, qui in hoc ipso in quo exsultat & triumphat oratio mea, me vehementer accuset, quod tam capitalem hostem non comprehenderim potius, quàm emiserim: non est ista mea culpa, Quirites, sed temporum &c. *Hinc & Seneca libro* I. *de Clementiâ cap.* II: Conditione temporum incidunt quædam quæ possint laudata puniri.

Non semper uno corpus atque animus loco est.) *Indibilis ad Scipionem:* Itaque corpus duntaxat suum, ad id tempus apud Carthaginienses fuisse; animum jam pridem ibi esse, ubi jus ac fas crederet coli. *libro* XXVI. *Livii cap.* XIX. *m.*

Non sum occupatus unquam amico operam dare.) *Carmen Plauti, ex Mercatore ejus, act.* II. *sc.* II. *versu* XVII.

Non sunt beati quorum opes cunctos latent.) *Psyches sorores apud Apulejum libro* V. *Metamorph:* Sit est, quod ipsæ vidimus, quæ vidisse pœnituit; nedum ut genitoribus & omnibus populis tam beatum ejus differamus præconium. nec sunt enim beati, quorum divitias nemo novit.

Noti magis patricii sunt quàm nobiles.) *Seneca libro* III. *de Beneficiis cap.* XXVIII: Eadem omnibus principia, eademque origo. nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Qui imagines in atria exponunt, & nomina fami-

liæ suæ longe ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte primâ ædium collocant, noti magis quàm nobiles sunt. ūnus omnium parens mundus est, &c.

Noviſſimum malum tolerabile maximè.] *Imò contrà*, Noviſſimum malum intolerabile maximè est. *quare vel ita scribendum, vel certè mutatâ literâ reponendum:* Notiſſimum. *De Capuanis Livius libro* XXII. *cap.* III *f:* Ita dilabi homines; notiſſimum quodque malum maximè tolerabile dicentes esse, jubentesque Senatum ex custodiâ dimitti.

Nulla esse legibus altior debet manus.) *Synesius Epistolâ* XLVII: Καὶ νομίσας οὐκ εἶναι βιαίσιμον ὅπου τινὲς ἰδιώτῃ χεῖρας ἔχουσι μείζους τῶν νόμων: Et ratus non esse vivendum, ubi aliqui privati homines majores & superiores manus habent legibus &c.

Nulla est honoris gaudiique copula.) *Quoniam, ubi honor, ibi labor, cura, sollicitudo, invidia, odium; quorum vel unum, omnes abegerit lætitias.*

Nulli invidiæ cara est annona in prosperis.) *Ut enim umbra corpus, sic invidia insequitur felicitatem. Egesippus lib.* I. *cap.* XXVI: Sed difficile est in prosperis invidiâ carere, &c.

Nulli modum satietas imperii facit.] *Seneca libro* VII. *de Benef. cap.* III: Nec hoc Alexandri tantum vitium fuit, quem per Liberi Herculisque vestigia felix temeritas egit, sed omnium quos fortuna irritavit implendo. Cyrum & Cambysen, & totum regni Persici stemma percense: quem invenies, cui modum imperii satietas fecerit? qui non vitam in aliquâ ulterius procedendi cogitatione finierit?

Nullum

Nullum periclum est, quod sciam, stipularier.) *Sententia ex Plauti Pseudolo, nempe versus* XIV. *actus* IV. *sc.* V.

Nullum finit rumor populi sine æmulo.] *Tacitus libro* XIV. *Annal. cap.* XXIX. *m:* Sed tum Paullinus Suetonius obtinebat Britannos, scientiâ militiæ & rumore populi, qui neminem sine æmulo finit, Corbulonis concertator &c.

Numerandus inter servitia est & spiritus.) *Loci hujus explicationem, suggeret tibi Seneca cap.* XI. *libri de Tranquillitate animi.*

Numquam documentum nolle virtutis fuit.) *Legendum* molle. *sunt enim verba è Senecæ libro de Providentiâ, ubi legimus capite* IV *a:* Quid mirum si durè generosos spiritus Deus tentat? Numquam virtutis molle, documentum fuit. Verberat nos & lacerat fortuna? patiamur: non est sævitia; certamen est.

Numquam patronus deficit peioribus.) *Nescio an idem sit cum illo*; Nulli non vitio suum est patrocinium: *an potius velit, inveniri semper advocatos qui tueantur homines etiam maximè noxios.*

Nunquam suo virtus latet dispendio.) *Seneca Epistola* LXXIX: Metrodorus in quadam epistolâ confitetur, se & Epicurum, non satis emicuisse: sed pòst, se & Epicurum magnũ paratumq; nomen habituros, apud eos qui voluissent per eadẽ ire vestigia. Nulla virtus latet: & latuisse, non ipsius est damnum. Veniet qui conditã & sæculi sui malignitate cõpressam dies publicet. Paucis natus est qui populũ ætatis suæ cogitat. multa annorum millia, multa populorũ supvenient: ad ea respice. Etiamsi omnib. tecũ viven-

tibus silentium livor indixerit; venient qui sine offensâ, sine gratiâ judicent. Si quod est pretium virtutis ex famâ; nec hoc interit. Ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo; tamen etiam non sentientes colet ac frequentabit.

Nusquam magis cavendum est, quàm in victoriâ] *Centum enim exempla reperiamus, ubi, Osculana pugnæ more, victus victorem superavit; securitati nimis indormientem, aut avaritiæ inviglantem.*

O

O Quam, mori nescire res miserrima est!] *Voces ex Senecæ Agamemnone, versu* DCX.

Objecta verbo, quid ni item verbo neges?) *Perseus, apud Livium libro* XLII. *cap.* XLI. *p:* Eorum quæ objecta sunt mihi, partim ea sunt, quibus nescio an gloriari debeam, partim quæ fateri non erubescam, partim quæ verbo objecta, verbo negare sit.

Objectu pecoris hostē in insidias agas.) *Stratagema usitatissimum; quoque tercentum etiam Fabii omnes ad unum interiere. Legatur Livius libro* II. *cap.* L.

Obnoxia omnis novitas est sermonibus.) *Livius libro* XXXIV. *cap.* LIII: Horum ædilium ludos Romanos, primùm Senatus à populo secretus spectavit, præbuitque sermones, sicut omnis novitas solet, &c.

Obscœna lingua? obscœna conscientia est.] *Fere cohærent, si non semper, spurcities linguæ & spurcitus vitæ. Benè Sidonius libro* III. *Epistola* XIII: Quibus citra honestatis nitorē jactitabundis, loquacis fœcē petulantiæ lingua polluitur effrenis, his conscientia

quoque

quoque sordidatissima est. denique facilius obtingit, ut quispiam seria loquens vivat obscœnè, quàm valeat ostendi, qui pariter existat improbus dictis, & probus moribus.

Obsurduerunt aures vero Principum.) *Sarisberiensis Policratici liber* III. *cap.* XIV: Felicium aures teneræ sunt, & jam obsurduerunt vero; & linguâ sæviorem sine offensione gravissimâ non admittunt.

Occidere subitò, misericordiæ est genus.) *Sanè sub tyrannis, Caligulæ similibus, de quo Suetonius capite* XXX: Non temerè in quemquam, nisi crebris & minutis ictibus animadvertebat; perpetuo notoque jam præcepto: Ita feri, ut se mori sentiat. *Sed & de Constantio legimus in Marcellino lib.* XXI. *cap.* XXXII: Mortemque longius in puniendis quibusdam, si natura permitteret, conabatur extendi.

Odio est animus invictus contra gratiam.) *Taciti libro* XV. *Annal. cap.* XXI: Quædam imò virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gratiam animus.

Odio beneficium est, expectatum quod diu est.] *Itaque Reges ferè munerum suorum omnem amittunt gratiam. Verè Seneca libro* II. *de Beneficiis cap.* V: Nihil æquè amarum quàm diu pendere. æquiore quidam animo ferunt præcidi spem suam, quàm trahi. plerisque autem hoc vitium est, ambitione pravâ differendi promissa, ne minor sit rogantium turba: quales regiæ potentiæ ministri sunt, quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum, minusque se judicant posse, nisi diu multumque singulis quid possint ostendant. nihil confestim, nihil semel faciunt: injuriæ illorum præcipites, lenta beneficia sunt.

quare veriſſimum exiſtima, quod ille Comicus dixit: *Quid tu non intelligis, tantum te gratiæ demere, quantum moræ adycis. &c.*

Odore quisnam glorietur ceu ſuo?) *Putidæ mulierculæ, ſive ſimilis notæ adoleſcentes. de quibus Senecæ Epiſtola* LXXXVI: Parum eſt ſumere unguentum, ni bis die terque renovetur, ne evaneſcat in corpore. quid? quod odore tanquam ſuo gloriantur. &c.

Offendere quosdam quàm obligare tutius.) *Quia* argumentum nihil debentium, odio quærunt; *uti loquitur Annæus libro* II. *de Beneficiis cap.* XXIV.

Officia nobis noſtra quidam ultrò imputant.) *Præcipuè potentes; qui ſi aliquem ad oſculum manus ſuæ admiſerint, beneficium vocitant: ſi quem convivio paſſi ſunt interponi, munus eſt ingens &c: cùm interim ipſos illos aut pompâ aut popina non delectaverit, ſine conventoribus; hoc eſt, teſtibus ac ſpectatoribus.*

Olim imperare officium erat; hodie potentia eſt.] *Ita quidem, ut exoriantur adulatores qui aſſeverare auſint poteſtatibus ſuis, populum eſſe Principis, non Principem populi; hoc eſt homines à Deo factos ut regibus inſerviant; non contrà Reges natos creatosve uti inſerviant ſuis: quod ipſum tamen & ratio dictitat, & obtinuit omni ævo apud omnes. Recreor animi ad illud apud Ammianũ lib.* XXV. *cap.* XIV. *Juliani Imperatoris:* Auctoritas adeo valuit, ut dilectus arctiſſimè dum timeretur, ac ſi periculorum ſocius & laborum; & inter concertationes acerrimas animadverti juberet in deſides; & Cæſar adhuc, ſine ſtipendio regeret militem feris oppoſitum gentibus; allocutusque tumentes armatos, diſceſſurum ad vitam minaretur privatam, ni tumultuari deſiſterent. *Nimirum habuit ante oculos mentu*

verba

verba Regum antiquiorum, qui nihil majus minari male parentibus poterant, quàm ut abirent è regno, *uti loquitur alibi meus Seneca.*

Omnis dolor, certè recens, est contumax.) *Quod scire vulgo interest, ne ei tunc statim obviam eamus. irritant enim illum & accendunt ipsa solatia. Temperatio eadem mœroris, quæ morborum:* nihil est magis periculosum nec pernicioſum, quàm immatura medicina; *inquit Philosophus Romanus.*

Omnis homo miles est in hostes publicos.) *Ideſt, nemo noſtrum eſt, qui non debeat armari in tales; adeò ut eos & odisse, & eruere, & persequi, & occidere jus fas sit. Tertullianus cap.* II. *Apologetici adversus Gentes:* Quid temetipsum censurâ circumvenis? si damnas, cur non inquiris? si non inquiris, cur nõ & absolvis? Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur. in reos majestatis, & publicos hostes omnis homo miles est: ad socios, ad conscios inquisitio usque extenditur. solum Christianum inquiri non licet, offerri licet, &c.

Omnem verecundiam illicò excludit fames.) *Ut & aliæ omnes necessitates: nullus enim pudor rebus in artis. videatur Quintilianus Declamatione* XII: *Pasti cadaveris, item Josephus lib.* VI. *de Bello Judaico cap.* XI. *ante finem.*

Omnem latebram mortis pervadit metus.) *Dicit, opinor, nullum esse locũ, ubi aliquis tutus sit à metu mortis; quocunq; te recluseris,* Mors tamen invitum protrahit, inde caput.

Omnem moratur impetum suspicio.) *Videatur ad hujus loci lucem Senecæ Epistola* LXXXII. §. IV. *ipso fine.*

Omnes cinædos esse censes, tu quia es?) *Reperias versum in Plauti Menæchmis, numero 47. act. 3. sc. 2.*

Omnes dies sapiens, tanquam vitam ordinat.) *De hujus etiam versus interpretatione consulendus Seneca libro de brevitate vitæ cap.* VII.

Omnes mali vivunt: jam contextum est scelus.) *Annæus libro* IV. *Natural. Quæst. præfatione:* Menander omnes ait malos vivere; & in scenam, velut rusticus poëta prosiluit. non senem excepit, non puerum, non feminam, non virum: & adjicit, non singulos peccare, nec paucos, sed jam scelus esse contextum.

Omnibus amicis quod mihi est, cupio esse idem.) *Sententia Plautina, reperiunda in Trinummo, versu* XVI. *act.* I. *sc.* II.

Operas solent præstare Reges mutuas.) *Extat apud Herodotum libro* VIII: Τύραννος τυράννῳ συγκαπηγάζειν: Tyrannus tyranno operam præstat. *Inde & apud Senecæ nescio quam Tragœdiam:* Regi tuenda maximè Regum est salus.

Opes Deorum in prædas militi haud cadunt.) *Hinc de re admodum sacrilegâ, Diodorus libro* XVI. *Bibliothecæ, capitulo* LVIII: Ἰφικράτης ἐλάφυροποιήσατο τὸν τῶν θεῶν κόσμον: Deorum ornamenta, non secus ac quamvis prædam aliam distraxit.

Opes, bonum generis humani maximum.) *Vulgo quidem, non etiam sapientibus. Vnde Annæus ad matrem suam capite* XVI: Non te maximum sæculi malum impudicitia, in numerum plurium adduxit: non gemmæ te, non margaritiæ flexerunt: non tibi divitiæ, velut maximum generis humani bonum, refulserunt &c.

Opes suas urget præceps licentia.) *Obscurius dictum clarabitur istis Senecæ:* Ipsa felicitas se, nisi tem-

temperat premit. Paucis deponere felicitatem moliter licuit. ceteri, cum his, inter quæ eminuere, labuntur: & illos degravant ipsa quæ extulerant. Ideo adhibebitur prudentiâ, quæ modum illis, ac parsimoniam imponat: quoniam quidem licentia opes suas præcipitat atque urget; neque unquam immodica durarunt, nisi illa moderatrix ratio compescuit. Hoc multarum tibi urbium ostendet eventus, quarum in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt; & quidquid virtute erat partum, intemperantia corruit.

Opinio populum ducit, non veritas.] *Manuel Imperator ad filium suum, capite* LXXXIX. Δεῖ δὲ πᾶν, ὃ δίδωσι τὴν ἐυμήκεσι τερσδοκᾶν, εἰς τὸμφανὲς ἄγειν τῇ ἐρετῇ, ὅπως ἂν σοι κοινωνοῦσης τῆς δόξης, ἀδεέστερον καὶ ἐς πόλεμον κοινωνήσουσιν. ἐ μόνον γὰρ τὸ ἰσχυρὸν καὶ φοβερὸν καθ' αὑτὸ, ἀλλὰ δὴ καὶ τὸ δοκοῦν, βλάπτειν εἴωθε. τὸ πλῆθος γὰρ εἰς δόξαν μᾶλλον, ἢ πλήθεις ἀποβλέπει: Debes autem quidquid victoriæ spem tibi pollicetur, ob oculos exercitui ponere; ut in opinionem tuam pertracti, promptius in societatem pugnæ veniant. quippe non tantùm id, quod reapse validum est, ac formidabile; verùm etiam quod esse videtur, nocere solet. nam vulgus hominum magis opinionem, quàm veritatem spectat.

Opinionem malis, quàm vitam bonam.) Opinio *idem cùm* famâ & existimatione; *cui omnia dant probi, nihil ferè improbi. Inde illæ adulatorum voces:* Quanta dementia est, heredi suo procurare, & sibi negare omnia; ut tibi ex amico inimicum magna

faciat

faciat hereditas? plus enim gaudebit tuâ morte quo plus acceperit. Istos tristes & supercilios alienæ vitæ censores, suæ hostes, publicos pædagogos, assis ne feceris: ne dubitaveris bonâ vitam quam opinionem bonam malle &c. *apud Annæum Epistola 123 §. 2.*

Oportet emere, obedire quem velis tibi.) *Lepidum Plauti dictum: extatque in Persâ ejus, actu.* II. *sc.* IV. *versu* II.

Oportet esse amatoris celerem manū.) *Et versum hunc apud eundem offendes auctorem, in Bacchidibus scilicet, actus* IV. *versu* LXXXV.

Oportet esse ut vivas; non vivere ut edas.] *Citatur carmen apud scriptorem ad Herennium, libro* IV. *cap.* XXVIII.

Orationis vinculum ingens est timor.) *Nescio sanè quid verba isthæc velint, nisi fortè idem quod Demadæ illud:* Ἐμποδίζει τὸν λόγον ὁ φόβος, *aut quod Hyperidis:* Ἡ ἀγωνία τοῦ λέγειν πέδη.

P

PAr est referre pro beneficio gratiam.) *Nescio num sit veteris alicujus versus, an verò habuerit Gnomologus in memoria illud Ciceronis pro Q. Roscio Comœdo, cap.* VII. *m:* cujus personam præclarè Roscius in scenâ tractare consuevit: neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. *sed forsân ad aliud quid respexit. nam Tullii istud minus quadrat.*

Par dux duci eligendus, aut præstantior.) *Omninò, tanquam malo nodo malus cuneus. Quintus Fabius Livii libro* XXIV. *cap.* VIII: Quemadmodum pedites equitesque optamus ut validiores, si minus, ut pares hosti

hosti habeamus: ita Duci hostium parem imperatorem quæramus &c. *De Conone Iustinus lib.* VI. *cap.* II: Postquam Agesilaum cum ingentibus copiis in Asiam misere Lacedæmonii; non facilè dixerim, quod aliud par ducum tam bene comparatum fuerit: quippe ætas, virtus, consilium, sapientia utrique propè una: gloria quoque rerum gestarum eadem &c.

Parcit sibi Princeps, cùm parcit alteri.] *Quia cùm sit caput imperij sui, ne minimum quidem occidit, quin in eo amittat qualemcunque sui particulam.*

Parere sueti, mansuetissimè imperant.] *Hinc monitum Nicoclis Isocratæ:* Διδάσκετε τὺς παιδας τὺς ὑμετέρους αὐτῶ βασιλεύεσθαι, & πρὸς τὴν παίδευσιν τὴν τοιαύτης ἀρετῆς ἐπιζητεῖτε ἀνύειν ὡς μάλιστα δικαιοσύνην. ἐὰν γὰρ ἄρχεσθαι μάθωσι, πολλῶ μᾶλλον ἄρχειν δυνήσονται: Docete liberos vestros parere imperio regio; & assuefacite eos, ut in hujus virtutis studio potissimum versentur: nam ubi parere didicerint, multò rectius imperabunt.

Pars æquitatis prima est, ipsa æqualitas.] *Seneca Epistola* XXX: Mors necessitatē habet æquam & invictā. Quis queri potest in eâ conditione se esse in quâ nemo non est? prima n. pars æquitatis, est æqualitas &c.

Parvo colas virtutem, vitia maximo.] *Seneca libro* II. *de Ira cap.* XIII: Nec ut quibusdam visum est, arduum in virtutes & asperum iter est: plana adeuntur. Facilis est ad beatam vitam via: inite modò bonis auspiciis, ipsisq; Diis juvantibus. Multò difficilius est facere ista quæ facitis. quid enim quietè animi otiosius? quid irâ laboriosius? quid clementiâ remissius. quid crudelitate negotiosius? vacat pudicitia: libido occupatissima est. omnium deniq; virtutū tutela facilior est: vitia magno coluntur. &c.

Paucis opus est ad mentem literis bonam.) *Quia multæ literæ, doctum magis faciunt quàm probum. adde Senecam Epistolâ* CVI. *f. huc pertinet quoque mox subsequens versus:* Pauciſſimi vitæ, omnes discimus scholæ.

Pavore semper tutior est audacia.) *Livius libro* IX. *cap.* XII. Pertinacior pars armata per aversam portam erupit; tutiorque eis audacia fuit, quàm incautis ad credendum ceteris pavor; quos circumdatos igni, necquicquam Deos fidemque invocantes, Samnites concremaverunt.

Pauper Dei est in animo, non in sacculo.) *Verba D. Augustini super Psalmum Davidis* XXXI.

Pax talis est cui, qualis belli est exitus.) *Isocratesin Archidamo:* Καὶ τοι χρὴ τὰς βουλομένας ἐλευθερας εἶναι, τὰς μὲν ἐκ τῶν ὑπαγμάτων συνθήκας φεύγειν, ὡς ἐγγὺς δουλείας οὔσας: πολεμεῖν δὲ τὰς μαλλαγὰς, ὅταν ἢ πείσωσιν τὸν ἐχθρὸν, ἢ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἐξισώσωσιν τῇ τῶν πολεμίων. ὥστε τοιαύτην ἕκαστον τὴν εἰρήνην ἕξουσιν, οἵαν περ ἂν καὶ τὸν πόλεμον ποιήσωνται τὴν μάλιστα: Atqui cupidis libertatis, fœdera cum mandato conjuncta, fugienda sunt: parùm enim differunt à servitute. Tum verò demum de conditionibus agendum, cùm aut hostium copias vicerint, aut suum robur illorum viribus æquarint. Nam talem quidem omnes pacem habituri sunt, qualem belli finem fecerint.

Pax veritatem mage quàm bellum examinat.) *Apud Egesippus libro* IV. *Excidii Hierosolym. cap.* VII. Et ideo ad bellum prosiliunt, ne in judicium vocentur. in bello enim concentus furoris est; in pace

Pace veritatis examinatio. *Inde & Cæcinæ vox apud Tacitum libro* I. *Annal. cap.* XLVIII: In pace causſas & merita ſpectari; ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxtà cedere. *Quintilianus pater Declamat.* CCCXLVIII: Ante omnia, non id tempus, quo judicia exerceri, quo leges retinere ſuam vim poſſint. iſta pax ſpectat, & diligentiorem rerum inquiſitionem ſecuritas habet. non vacat in bello curam agere ſingulorum.

Penè antequam ſe noverint, amant mali.) *Octavius Minucii*: Ac jam ut fecundius nequiora proveniunt, ſerpentibus indies perditis moribus, per univerſum orbem ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcunt: eruenda prorſus hæc & execranda conſenſio. occultis ſe notis & inſignibus noſcunt, & amant mutuò penè antequam noverint.

Perdit parentum natos adſentatio.] *Verſus Plautinus in patres nimis indulgentes, Bacchidibus, act.* III. *ſc.* III. *verſ.* III.

Perfacilè avarus ictus fert argenteos.] *Ejusdem Vmbri ſententia, comœdia Moſtellaria actu* III. *ſc.* I. *verſ.* XCII.

Periclitatur in deliciis caſtitas.) *Carmen iſtud, ut & tria ſequentia, formata ſunt ex totidem verbis D. Bernardi.*

Periculum omne tyranno à conjunctiſſimis.) *Divinè Iſocrates Oratione de Pace:* Οὐκ εὐθὺς ἐπῳδὸ' ἂν λάθωσι τὰς δυναστείας, ἐν τοσούτοις κακοῖς εἰσὶν ἐμπεπλεγμένοιν: ὥς' ἀναγκάζεσθ πολεμεῖν μὲν ἅπασι τοῖς πλήσιος, μισεῖν δ' τύπους ὑφ' ὧν δεδέν κακὸν πεπόνθασιν: ἀπιστεῖν δ' καὶ τοῖς φίλοις, καὶ τοῖς

ἑταίροις τοῖς ἑαυτῶν; πῶς δὲ καταλλήλους ἡγεῖσθαι ἢ πλὴν τῶν σωμάτων σωτηρίαν μισθοφόροις ἀνθρώποις, οὓς οὐδεὶς πώποτε εἶδον; καὶ μηδὲν ἧττον φοβεῖσθαι τοὺς φυλάττοντας, ἢ τοὺς ἐπιβουλεύοντας; ὥστε δὲ ὑποπτεῖν πᾶσι ἅπαντας ἔχειν, ὥστε μηδὲ τοῖς οἰκειοτάτοις χεῖρας προσφέρειν; εἰκότως. συμβαίνει γὰρ, τοὺς αὐτὸ πυρούμενους, τοὺς μὲν ὑπὸ γονέων ἀνῃρημένους, τοὺς δὲ ὑπὸ παίδων, τοὺς δὲ ὑπὸ ἀδελφῶν, τοὺς δὲ ὑπὸ γυναικῶν· ἔτι δὲ, τὸ γένος αὐτῶν ἐξ ἀνθρώπων ἠφανισμένον: Annon mox dominatu fuscepto, tot malis implicantur, ut neceſſe habeant, cum univerſis civibus bellum gerere, & eos odiſſe à quibus offenſi non ſunt? & amicis ſociisque ſuis diffidere, ac ſalutem ſuam mercenariorum militum fidei credere, quos nunquam viderunt: & cuſtodes non minùs formidare, quàm inſidiatores: & ita ſuſpectos habere omnes, ut conjunctiſſimorum etiam congreſſus horreant? Nec id ſanè injuriâ: cùm non ignorent, ſuperioris ætatis tyrannos malè periiſſe; alios à parentibus, alios à liberis, alios à fratribus, alios ab uxoribus interfectos; & genus etiam ipſorum funditùs eſſe extirpatum.

Perinde res ſunt omnes, ipſe ut eas agis.) *Sumptũ à Plauti Pſeudolo, act.* II. *ſc.* I. *verſ.* IV.

Perit dupliciter quod neſcienti elabitur.) *Quare, dictabit Policratici auctor, libro* III. *cap.* XII.

Permixta falſis vera, locum veri obtinent.] *Livium libro* XXIX. *cap.* XX: Hæc quamquam partim vera, partim permixta, eoque ſimilia veris, jactabantur, &c.

Perſæpe ne quidem verum Diis dicimus.) Sæpe aliud

liud volumus, aliud optamus, & verum ne quidem Diis dicimus. *Annæus Epistola* XCV.

Persæpe pœna poscitur pro munere.] *Id accidit Phaëtonti, apud Ovidium libro* II. *Metamorph. versu* XCIX: *Midæ, apud eundem lib.* XI. *versu* CXXXIII. *videatur & idem libro* XIII. *versu* CXII.

Persæpe pestem invenias in victoriâ.) *Exemplum petas licet ab Egesippo, auctore horum verborum, libro* IV. *Excidii Hieros. cap. principe.*

Persæpe sub calone tribunus latet.) *Pertinet istud monitum ad Principes, quibus bellum est cum altero; ne videlicet nimium fidant familiæ legatorum; cùm ij sæpe personâ mancipii occultant virum sagacem, quique vilitate conditionis suæ, omnia impune exploret. De Scipione Livius libro* XXX. *cap.* IV *p:* Cum legatis quos mitteret ad Syphacem, calonum loco primos ordinis, spectatæ virtutis atque prudentiæ servili habitu mittebat: qui dum in colloquio legati essent, vagi per castra alius alia, aditus exitusque omnes situm, formamque & universorum castrorum & partium, quà Pœni, quà Numidæ haberent, quantum intervalli inter Asdrubalis ac regia castra esset, specularentur: moremque simul noscerent stationum, vigiliarumque: nocte, an interdiu opportuniores insidiantib. essent. & inter crebra colloquia alii de industria, quo plurib. omnia nota essent, mittebātur, &c.

Philosopham animam Cupido nullus vulnerat.) *Simocattus:* Φιλοσοφοῦντος τὸ λογισμὸν βέλος ἀφροδισιον οὐχ ἅπτεται: Philosophantem animam non sauciat telum Cupidinis.

Piè Deo litamus innocentiâ.) *Divinè Lactantius libro* VI. *Institut. Divin. cap. primore: Nihil sancta &*

singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam: quam si quis obtulerit Deo, satis piè, satis religiosè litavit. Homines autem neglectâ justitiâ, cùm sint omnibus flagitiisac sceleribus inquinati, religiosos se putant si templa & aras hostiarum sanguine cruentaverint, si focos odorati ac veteris vini profusione madefecerint. Quin etiam sacras dapes apparant, & exquisitas epulas; quasi aliquid inde libaturis offerunt. Quicquid aspectu rarum, quicquid opere, aut odore pretiosum est, id gratum esse dius suis, non ex aliqua divinitatis ratione, quam nesciunt, sed ex suis cupiditatibus judicant, nec intelligunt, terrenis opibus Deum non indigere, nihil enim sapiunt, nisi terram: bonaque, & mala solius corporis sensu & voluptate perpendunt,

Pietas ferè magna impatiens injuriæ est.) *Exemplum præbet Scipio Africanus apud Senecam consolatione ad Polybium, capite* XXXIII.

Plenissima est parens errorum Antiquitas.] *Arnobius libro* I. *adversus Gentes:* Vultis vera esse quæ in vestris comprehensa sunt scriptis; & quæ in nostris consignata sunt literis, confiteamini necesse est esse vera. Falsitatis arguitis res nostras, & nos vestras arguimus falsitatis. Sed antiquiora, inquitis, nostra sunt, ac per hoc fidei & veritatis plenissima. quasi verò errorum non antiquitas plenissima mater sit.

Plerumque etiam odia acerba comprimit metus.] *Valet tempore seditionum: tunc enim exoriente bello externo, facilè in concordiam eunt antea discordes. omnia sunt plena exemplorum.*

Plerumque fidi infestis socii ex hostibus.] *Quum*

tus Cæcilius Metellus ad Censores: Non modò simultates, sed bella quoque finiuntur; ex infestis hostib. plerumque socii fideles interdum etiam cives fiunt. Albani dirutâ Albâ Romam traducti sunt. Latini Sabini in civitatem recepti. *Livii libro* XL. *cap.* XLVI.

Plerumque fortis pallet, arma dum induit.] *Corporis enim sunt pulsus, non animi aut adfectus signum. Annæus noster libro* II. *de Irâ cap.* III: Fortissimus plerumque vir, dum armatur expalluit; & signo pugnæ dato, ferocissimo militi paullulum genua tremuerunt: & magno Imperatori, antequam inter se acies arietarent, cor exsiluit: & oratori eloquentissimo, dum ad dicendum componitur, summa riguerunt.

Plerumque stulti, Regum illudunt viribus.) *Intelligendum de satageis illis, qui Principum opibus abutuntur ad ea peragenda quæ in oculos incurrant & sint miraculo. Tacitus libro* XV. *Annalium cap.* XLII: Nero usus est patriæ ruinis, exstruitque domum in quâ haud perinde gemmæ & aurum miraculo essent, solita pridem & luxu vulgata, quàm arva & stagna, & in modum solitudinum hinc silvæ inde aperta spatia, & prospectus: magistris & machinatoribus Severo & Celere; quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare, & viribus Principis illudere.

Plus gratiæ confert, quàm tollit, orbitas.) *Seneca ad Marciam cap.* XIX: Movet & illud lugentem; non erit qui me defendat, qui à contemptu vindicet! Vt minimè probabili, sed vero solatio utar: in civitate nostrâ, plus gratiæ orbitas confert quàm eripit: adeoque senectutem, quæ solebat destruere, ad poten-

tiam ducit; ut quidam odia filiorum simulent, & liberos ejurent, & orbitatem manu faciant.

Plus peregrino homini livor quàm civi nocet.] *Caussas reddidit Polybius lib.* I. *Histor. cap.* XXXVI. *p.* Ξάνθιππος ὁ τηλικαύτην ἐπίδοσιν καὶ ῥοπὴν ποιήσας τοῖς Καρχηδονίων πράγμασι, μετ' ὀ πολὺν χρόνον ἀπεστάλευσε πάλιν, φρονίμως καὶ σωφρόνως βουλευσάμενος. αἱ γὰρ ἐπιφανεῖς καὶ παράδοξοι πράξεις, βαρεῖς μὲν τοὺς φθόνους, ὀξείας δὲ τὰς διαβολὰς γεννῶσιν. ἃς οἱ μὲν ἐγχώριοι διά τε τὰς συγγενείας καὶ τὸ τῶν φίλων πλῆθος οἷοί τ' ἂν εἶεν φέρειν. οἱ δὲ ξένοι παχέως ἐφ' ἑκατέρων τούτων ἠττῶνται, καὶ κινδυνεύουσι: Xanthippus verò qui rebus Carthaginiensium ad nova incrementa tantum momentum attulerat; non multò post inde est profectus: prudenter sanè ac sapienter. illustres enim atque admirandæ actiones graves invidias & acres calumnias conflare solent: quibus cives fortassè, cognatorum amicorumque opibus nixi, fuerint pares: at peregrinis utraque res in exitium facilè vertit.

Plus proficit virtus postremò, quàm dolus.] *Senatores Romani volunt*, Interdum in præsens tempus plus profici dolo, quàm virtute: sed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis cominus viribus justo ac pio bello esse superatum. Hæ seniores, quibus nova hæc minus placebat sapientia. *inquit Livius lib.* XLII. *cap.* XLVII. *f.*

Plus sæpe quàm hostis vexat asperitas loci.) *Pertinet ad militaria. exemplum non unum hujus rei in promptu est apud Livium, nominatimque lib.* XXI. *cap.* XXXII. *& seq. item libro* XLIV. *cap.* V.

Plus

Plus scire satius est servum hominē quàm loqui.) *Derivatum è Plautinâ comœdiâ: Epidici nimirum actu* I. *sc.* I. *vers.* LVII.

Plus scire oportet hominē, servum quàm loqui.] *Et iste versus in Plauti Milite, act.* II. *sc.* V. *vers.* LXVII.

Pœnæ satis est improbitas ipsamet improbo.) *Synesius Epistolâ* XXXII: Δίκλω μὲν ἐν ἱκανὰν οὐκ ἂν λάβοιμι παρ' αὐτῶ. Συγχρῶσα γὰρ ἡ πονηρία δίκη τῷ πονηρῷ: Ac sanè supplicium aliud non sumam de eo: improbitas enim pœna sufficiens est improbo. *Cui rationi attendere Romani veteres*, qui satis pœnarum adversus impudicas in ipsâ professione flagitii credebant, *ut loquitur Tacitus libro* II. *Annal. cap.* LXXXV. *p.*

Populi ruinæ caussa sacerdotes mali.) *D. Gregorius:* Caussa sunt ruinæ populi sacerdotes mali. quis enim se pro populi peccatis intercessor objiciat, si sacerdos, qui orare debuerat, graviora committat?

Populi salus, Regi anteferenda liberis.) *Dogma istud, extra omnem controversiam, certum esse, affirmat Joannes Sarisberiensis libro* IV. *cap.* XI. *Policratici; qui licet videatur super parricidio Bruti.*

Populi sui vitalis est Rex spiritus.) Suam itaque incolumitatem amant cives, cùm pro uno homine denas legiones in aciem deducunt; cùm in primâ fronte procurrunt, & adversa vulneribus pectora ferunt, ne Imperatoris sui signa vertantur. ille est enim vinculum per quod Respublica cohæret, ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipsa per futura, nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur, &c. *Annæus libro* I. *de Clementiâ cap.* IV.

Potiora oportet pectora sint Duci manu.) *Ergo*

Ergo in Imperatorem potius eligendus Vlysses, aliquis quam Ajax, Nestor aliquis quam Achilles. pauci autem erunt, qui non animadvertent, verba istha͡c esse ab Ovidii libro XIII. *Metamorph. vers.* CCCLXIX. *ubi Ajacem sic compellat Vlysses:* - quanto dux milite major, tantum ego te supero. nec non in corpore nostro pectora sunt potiora manu. vigor omnis in illis.

Præponderat salus necessitudini.] *Sive necessitudo sumatur pro vinculo cognationis, sive adeò amicitiæ.*

Præsagium præsens timor victoriæ est.) *Contrarium verius videatur. potest tamen locum habere in milite qui antea cladem passus erat ob nimiam confidentiam; qualis ille Herodianus apud Egesippum libro* I. *cap.* XXXII: *ubi eosdem Rex inter alia sic alloquitur:* Nunc mihi trepidatio vestra vadatur prærogativam victoriæ.

Prædator ipse à præda sæpe datur.) *Factus versus ex Plautinis, Rudente, act.* IV. *scenæ* VII. *vers.* XVI. *&* XXXVI.

Præstat venire tardè quàm nimis cito.] *Imò contrà dicendum erat: nisi accipiamus dictum à duce ad milites, quibus instillet, attendendum brevitati ac longitudini noctium, quo tempestivè aliquo perveniant: interim, præstare tardius venire in hostica quàm maturius. de eâ re habemus verba Polybii libro* IX. *capite* XIII: Μεῖζον δὲ τὸ προηγεῖν &c. *videantur supra citata parte Florilegii priore.*

Primi ad periclum ad honores sunt ferè ultimi.) *Potest esse querela militaris; qualis illa exercitus Orientalis contra Germanicianum, apud Egesippum libro* IV. *cap.*

cap. XXVI: Deinde hujusmodi exemplo in Galliâ positos milites adspiravisse, ut Vitellio imperium darent, inconsulto Senatu & populo Romano: se interea quasi mercenarios haberi, qui aliena arbitria sequerentur: primos ad periculum, ad honorem ultimos.

Prius cavere quàm pudere est æquius.) *Sententia Plauti è Bacchidibus, act.* IV. *sc.* IX. *vers.* XLIV.

Pro bestiolâ qui perdit hominem, hominẽ exuit.) *Dicere videtur, degenerare Principes in feram, qui aliquem occidunt ob interfectum cervum, aut aliam quam venationem. & in tales profectò, vehementer invehitur Stylus Sarisberiensis; qui videatur libro* I. *Polieratici capite* IV.

Pro jure & æquo est, usurpata licentia.) *Juridica locutio*; usurpatum *pro eo quo diutinè usi sumus. De simili re Tacitus libro* XIV. *Annal. cap.* XVIII: Idem Cyrenenses reum agebant Acilium Strabonem, prætoriâ potestate usum, & missum disceptatorem à Claudio agrorum, quos Regis Apionis quondam habitos, & populo Romano cum regno relictos, proximus quisque possessor invaserant, diutinâque licentiâ & injuriâ, quasi jure & æquo nitebantur.

Pro vana veris maximè in bello valent.) *Versus transpositione verbi unus non malus: sed difficilior intellectu. Attendit scriptor Livii loco libri* XXXIV. *cap.* XII: Sæpe vana pro veris, maximè in bello valuisse: & credentem se aliquid auxilii habere, perinde atque haberet, ipsâ fiduciâ & sperando atque audendo servatum.

Prodest magistratus mutatio annua.) *Prodest, & non prodest; atque in utramque partem pulcrè disputeb* V.

tur: sed alio loco, interim nemini ignotum esse potest annuis vicibus Romanos magistratus mutatos, cui mori fortè alluserit scriptor hic noster.

Profectò deliramus interdum senes.) *Usurpatum in Epidico Plauti versu* XI. *act.* III. *sc.* III.

Prohibere nasci, homicidii festinatio est.) *Verba Tertulliani ex Apologetico adversus Gentes, cap.* IX.

Pudorem alienum qui appetit perdit suum.) *Extat in Sermonibus Zenonis, parissimum illi quod legitur inter P. Syri:* Pudorem alienum qui eripit, perdit suum.

Punire debet Rex, non judex nobilem.] *Est præceptum Mecænatis apud Dionem Cassium libro* LII: *cujus rationes, ibidem videantur.*

Putet innocentem se esse civitas; erit.] *Causam reddit Seneca libro* I. *de Clementia cap.* XXIII.

Q

QUæ magna cumque sunt, sunt vulgo pro bonis.) *Est item ab eodem Annæo, qui adeatur Epistolâ* CXVIII. *§. priore.*

Quæ votis obsequium præstat, felix est necessitas.) *Sunt voces Ennodii; sed quæ transferendæ erant potius ad Trochaica.*

Quæ scelere adimpletur promissio, impia est.) *Quadrat isti illud superius:* Promissa semper non sunt solvenda omnia.

Quænam sibi necem ipsi unquam fera intulit?) *Non video cui serviat, nisi fortè eo probetur, neminem sibi debere violentas inferre manus. & certè, in eum finem usurpavit Josephus libro* III. *Belli Judaici, cap.* XIV.

Quan-

Quandoque etiam licet jurare pro altero.) *Livius lib.* x. *cap.* L: Petente Flacco, ut legibus solveretur, Senatus decrevit, ut si Ædilis qui pro se juraret, arbitratu consulum daret: Consules, si eis videretur, cum tribunis plebis agerent, uti ad plebem ferrent. Datus qui juraret pro fratre Lucius Valerius Flaccus prætor designatus. tribuni ad plebem tulerũt, plebsque scivit, ut perinde esset, ac si ipse Ædilis jurasset.

Quantum est adhibere amicum hominem ubi quid geras!) *Versus è Plauti Persâ, actus* IV. *scenæ* IV. *numero* XLVI.

Quærit novas res vulgus; atque idem pavet.) *Tacitus lib.* XV. *Annal. c.* XLVI: Per idem tempus, gladiatores apud oppidum Præneste, tentatâ eruptione; præsidio militis, qui custos adesset, coërciti sunt: jam Spartacum & vetera mala, rumorib. ferente populo, ut est novarum rerum cupiens pavidusque.

Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.) *Versus coqui Plautini in Pseudolo, actus* III. *scenâ* II. *numero* XXXVI.

Queis terra, eisdem animus quoque est ardentior.) *Sidonius libro* VIII. *Epistolâ* XI: Vrbium civibus Africanarum, ut est regio, sic animus ardentior.

Qui divitiis, simul vitiis quoque incubant.) *Verba etiam sunt Sidonii è libro* VIII. *Epistola* VII.

Qui magno æstimat libertatem, alia parvo omnia æstimat.] *Sunt verba Senecæ, ex Epistolâ* CIV. *quæ tamen comparere potius debebant inter Trochaica.*

Qui mutuus est amor, est amor cultu optimus.] *Refipit Plautinam sententiam, quam habemus Milite, act.* II. *sc.* I. *vers.* XXIII.

Qui nimium properat, solvi vult, non solvere.) *Loqui-*

Loquitur de gratitudine & beneficiis. adeatur Seneca libro VI. *de Beneficiis cap.* XXVII.

Qui non sapit sibi ipsi, nequiquam sapit.) *Citatur a Cicerone, tanquam antiquitus usurpatum.*

Qui perdidit vereri, cuncta perdidit.) *Formatum ex Plautini versu* LI. *actus* I. *scenæ* II. *Bacchidum.*

Qui scurra semel, numquam familias fit pater.] *Legitur apud Ciceronem, ut etiam apud Porphyrium ad Horatium.*

Quicumque amat, quod amat si id habet, ei pro cibo est.) *In Plauto reperias, Mercatoris nempe actu* IV. *scena* IV. *versu* IV.

Quid postules è pumice aquam, qui ipsus sitit?) *Istud quoque usurpatum Plauto in Persa, actu* I. *scenâ* I. *versu* XLII.

Quidam gladium facilius recipiunt quàm vident.] *Seneca Epistolâ* LVII: Fortes quidam & paratissimi fundere sanguinem suum; alienum videre non possunt. alii gladium facilius recipiunt quàm vident.

Quidquid Dei dicunt, id rectum est dicere.) *Carmen è Plauti Mostellariâ, actu nimirum* III. *scenæ* I. *versus* CXXXVI.

Quidquam quisquam cuiquam quod conveniat neget?) *Producitur ab auctore ad Herennium libro* IV. *cap.* XII.

Quisquis nimis gaudet, mox & dolet nimis.) *Tacitus de Nerone, ut ei erat nata filia:* Vltra mortale gaudium accepit. *& mox ut mortua fuit:* Atque ipse, ut lætitiæ, ita mœroris immodicus egit. *libro* XV. *Annal. cap.* XXIII.

Quisquis tegit pauperiem, eam sibi objicit.) *Annæus*

næus libro de Injuriâ cap. XVII: Paupertatis maledictum quosdam peruſſit; quam ſibi objecit quisquis abſcondit.

Quo ditior quis, hoc eſt, & ſapientior.) *Vulgi quidem, & adſentationis ſententia. Euripides apud Stobæum* Ὁ ϛ δ' ἂν πλείϛ' ἔχῃ, σοφώτατος: Qui plurimum habuerit ſapientiſſimus cenſetur.

Quo more cœtus publicos virgo petis?) *Sumptum de tragœdiâ Senecæ Agamemnone, verſu 954.*

Quo major eſt poteſtas, hoc & ſervitus.) *Non inepte igitur de Maximo Sidonius libro* II. *Epiſtola* XIII: Cùmque mole curarum priſtinæ quietis tenere dimenſum prohiberetur, veteris actutum regulæ legibus renuntiavit, atque perſpexit, pariter ire non poſſe negotium Principis & otium Senatoris, &c. *Sed & acutiſſime idem:* Felicem te, Damocles, qui non uno longius prandio regni neceſſitatem toleraſti!

Quoniam æmulari non licet, nunc invides.) *Verſus Plautinus, inveniundus in Milite, actu* III. *ſcenâ* II. *numero* XXVI.

Quovis poteſt paraſitus perduci cibo.) *Reſpicit ad Plauti carmen* VIII. *actus* IV. *ſcenæ* II. *Moſtellariâ.*

R

RAro obtigit cui ſine ſacris hæreditas.) *Sumptum à Plauti Trinummo, actu* II. *ſcenâ* IV. *verſu* LXXXIII.

Recti tenet locum error factus publicus.) *Annæus Epiſtolâ* CXXIII. §. 1: Inter cauſſas malorum noſtrorum

strorum est, quod vivimus ad exempla; nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur: Quod si pauci facerent nollemus imitari: cùm plures facere cœperunt, quasi honestius sit quia frequentius, sequimur &c.

Regni vetustas ingenerat audaciam.] *Tacitus libro* XIV. *cap.* I: Cajo Vipsanio, Fonteio consulibus, diu meditatum scelus non ultrà Nero distulit, vetustate imperii coalitâ audaciâ. *Idem libro* II. *Historiarum capite* LXXXIV: Passim delationes, & locupletissimus quisque in prædam correpti: quæ gravia & intoleranda; sed necessitate armorum excusata, etiam in pace mansere: ipso Vespasiano inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinato; donec, indulgentiâ fortunæ, & pravis magistris, didicit, aususque est.

Religentem oportet esse, religiosum nefas.] *Laudatur ab Aulo Gellio libro* IV. *Noctium Atticarum cap.* IX.

Repudia Regum uxoribus haud dant exitum.) *Desumptum ab Senecæ Agamemnone, versu* CCLXXX.

Res est profectò animæ loco mortalibus.) *Notum Hesiodi illud*: χρῆμα δὲ ψυχὴ πέλει δειλοῖσι βροτοῖσι *& certè* vivum est cadaver, *cui res defit.*

Res magna non est vivere; res magna est mori.) *Stoicus quidam apud Senecam Epistola* LXXVI: Noli, mi Marcelle, torqueri, tanquam de re magnâ deliberes. Non est res magna vivere. omnes servi vivunt, omnia animalia: magnum est, honestè mori, prudenter, fortiter, &c.

Rerum omnium quæ in orbe sunt lis est parens.) *Lucianus in Icaromenippo*: Ἔρις δέ τις ἐστὶν ἀνάρ-

ανάρ-

ἀνὴρ, πόλεμον τῶν ὅλων πατέρα εἶναι ἐδόξαζε: Rursus alius, haud quaquam amicus paci, Bellum rerum omnium parentem esse censebat.

Rerum minus jucundæ sunt origines.) *Livius præfatione historiæ suæ:* Et legentium plerisque haud dubito quin primæ origines proximaque originibus, minus præbitura voluptatis sint, festinantibus ad hæc nova quibus jampridem prævalentis populi vires se ipsæ conficiunt.

Remitte debitum doloris sanguini.) *Fastidiosus versus. respexit tamen fictor ad illud Egesippi libro* I. *capite* XL: Sibi quoque multò graviores compositas à germano insidias, sed remisisse se necessitudini, quòd debebatur dolori; ut quo magis pœnam levaret ingrati, eò amplius causam gravaret.

Reverentiæ ferè adsitus semper metus.) *Simile est illi superiori*; Religionem sine metu non custodias.

Rex gaudeat doleatque principaliter.) *Id est, non eo modo quo promiscuum vulgus, sed uti decet fortunam tam excelsam. Tiberius apud Tacitum:* Non eadem decora Principibus viris & imperatori populo, quæ modicis domibus, aut civitatibus. convenisse recenti dolori luctum, & ex mœrore solatia, &c. *libro* III. *Annalium capite* VI.

Regi exprobrat scelus, scelus qui non facit.) *Lactantius libro* V. *Instit. Divin. cap.* VI: Et quoniam mores ac vitia Regis imitari, genus obsequii judicatur, abjecerunt omnes pietatem, ne exprobrare Regi scelus viderentur, si piè viverent, &c.

videatu

videatur locus. Sulpitius Severus libro II *Historiæ Sacræ, de Nerone:* Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est: quippe semper inimica virtutibus vitia sunt; & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes adspiciuntur.

Regum imperium, grave quidquid quærit invenit.) *De Annibale & Prusia rege Livius libro* XXXIX. *cap.* LI: Flaminini quoque adventum, velut lethalem exhorruerat. ad omnia undique infesta, ut iter semper aliquod præparatum fugæ haberet, septem exitus è domo fecerat; & ex iis quosdam occultos, ne custodiâ sepirentur. Sed grave imperium Regum nihil inexploratum, quod investigari volunt, efficit. totius circuitum domus ita custodiis complexi sunt, ut nemo inde elabi posset.

Reverere Nemesin, si mortale nil times.) *Ilioneus apud Virgilium libro primo Æneidos versu* DXLVII.

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At sperate Deos memores fandi atque nefandi.

De Perseo rege captivo Diodorus Siculus libro XXXI: Καὶ πέρας ἐν ταύταις ἂν ταῖς ἀνάγκαις κατέφερε τὸν βίον, εἰ μὴ Μάρκος Αἰμίλιος παρακαθήμενος τῷ βαλευτηρίῳ, τηρῶν τό, τε τοῦ αὐτοῦ ἀξίωμα, καὶ τὸ τῆς πατρίδος ἐπιεικὲς παρήνεσε τῇ συγκλήτῳ χιλιάζων. εἰ μὴ τὸν ἀνθρώπινον φόβον ἐυλαβοῦντο, τιὼ γε τὰς ὑπερφάνως ταῖς ἐξουσίαις χρωμένας μεπερχομένην νέμεσιν αἰδεῖσθαι: Denique in extremis his angustiis vitam finiisset, nisi M. Æmilius, curiæ præsidens, ad illius dignitatem, & æquitatem patriæ suæ, respectum habens, cum indignatione Senatum admonuisset. Si humanum non curarent metum

metum, at Nemesin, quæ insolenter abutentes potestate incessit, revererentur.

Ridiculus æque nullus est quàm qui esurit.) *Sententia Plautina, è Stichi actu secundo, scenâ* 1. *versu* LXIV.

Romæ imperium ingens, solæ corrupere opes.) *Non Romanum solum imperium evertit Plutus, sed & alia omnia. Argutè de ijsdem Quiritibus Lucanus libro* 1. *Pharsaliæ versu* CLXV: -fæcunda virorum paupertas fugitur; totoq; arcessitur orbe quò gens quæque periit.

Romanus orbem totum ceu præsens, regit.) *Habet egregia huc facientia Aristides in Româ suâ, quæ heic appingerem nisi Græca essent; urgerentq; typographi alia omnia. videatur igitur ipsemet Orator. Non ineptè etiàm Titus Imperator ad seditiosos Judæos:* Insolentiores vos nostra absentia fecit; quia nos occupatos putastis. Sed nunquam ita occupati sumus, ut absentes simus orbi terrarum. nam & absentes adsumus, & longè positis propiùs adsistimus. Namque ut anima in corpore omnia membra vivificat sua, sic Romana providentia omnibus imperii sui partibus adest, & totum orbem Romanum, tanquam præsens gubernat. Nam si singulis animis illa vis divina regendi corporis virtutem dedit; quanto magis Romano vigore, quo quasi unum totius imperii nostri corpus animatur, tuendi ejus vitalem quandam substantiam subministravit?

S

SÆpe esse surdum & mutũ Principi, optimũ est.)

Plutarchus in Philopœmene: Ἐκεῖσε χρὴ τὸν ἄρχοντα τὴν γνώμην ἔχειν, τὰ δ' οἰκεῖα μὴ κινεῖν, ἀλλὰ καὶ παρεῖδέν τι καὶ προσκῶσαι τῶν ἁμαρτανομένων: Oportet præfectum eò mentem dirigere, eò cogitationem vertere, domestica minimè commovere; quædam videntem dissimulare & obaudire.

Sæpe in fuga hostis urbem intrat cum civibus.) *Capiendum est de civibus qui egressi urbe in occursum hostium; pugnâ consertâ pedem referunt, seque ad civitatem recipiunt. in tali enim trepidatione, sæpenumero & hostes portas subintrant; ut infinitis patet historiæ exemplis. itaque monet hic versus ut hujusmodi casus ante oculos habeant, prudentes magistratus ne an duces.*

Sæpe obsidentes urbs obsessa proterit.) *Pertinet & hoc quoque ad Duces, ne nimium sint confidentes aut securi in obsidionibus urbiū. frequentissimè n. obsessi obsessores everterūt. quo spectant isthæc Isocratis Archidami:* Εἰ μὲν γὰρ μηδένες πώποτε τῶν δυσχημόντων ἀνέλαβον ἑαυτὸς, μηδ' ἐπεκράτησαν τῶν ἐχθρῶν: ἀδ' ἡμᾶς εἰκὸς ἐλπίζειν σωθήσεσθαι πολεμιωτάτους. εἰ δὲ πολλάκις γέγονεν, ὥστε καὶ τὸς μείζω δύναμιν ἐχοντας ὑπὸ τῶν ἀσθενεστέρων κρατηθῆναι, καὶ τὸς πολιορκοῦντας ὑπὸ τῶν κεκλεισμένων διαφθαρῆναι: τί θαυμαστὸν, εἰ καὶ νῦν καθεσῶται, λήψεταί τινα μετάστασιν; Si nulli unquam post clades acceptas revocatis viribus, victores hostes superarunt: ne nobis quidem bellum gerentibus victoriæ spes proposita esse debet. Sin autem sæpe usu venit, ut & qui majores copias haberent, ab imbecillioribus vincerentur: & qui urbem circumsederant, ab obsessis interirent.

rent: quid miri erit, si etiam harum rerum status aliquantum mutabitur?

Salubritati urbis nocet Solis vapor.) *Architectis prodesse potest positio isthæc, aut eis potius qui civitates condunt. Tacitus de Roma ab Nerone exustâ & mox refectâ, libro* XV. *Annal. cap.* XLIII: Erant tamen qui crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse; quoniam angustiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur. at nunc patulam latitudinem, & nulla umbra defensam graviore æstu ardescere.

Sapiens miser, miser mage est quàm rusticus.) *Nullam possum exputare hujus sententiæ rationem: imo meo quidem judicio*, Sapiens miser, miser minus est quàm rusticus.

Sapiens putatur omnis esse dignitas.) *Benè* putatur. *nam certè multi magistratus nihil minus sunt quàm sapientiâ præditi, nedum positi in dignitate apud Reges Principesque; de quibus non verè minus quam lepidè Arrianus libro* I. *cap.* XIX. *in Epictetum.*

Sapiens putat illud quod vivit stipendium.) *Vitam inquit, censet esse militiam. de quâ re consulantur non Patres modo Græci Latinique, sed & Philosophi utriusque linguæ; inprimis verò Seneca libro de Providentiâ, item Epistola* LXV. *m.*

Sapientia aliud nil, notitia quàm Dei est.) *Lactantius libro* VII. *cap.* IX: Cùm autem sapientia, quæ soli homini data est, nihil aliud sit, quàm notitia Dei, apparet animam non interire, neque dissolvi, sed manere in æternum &c.

Sat est negare verbo, qui verbo arguit.) *Tullius Oratione pro Roscio Amerino, cap.* XXIX. *f:* Nisi fortè exspectatis, ut illa diluam, quæ de peculatu, aceti ejusmodi rebus commentitiis, inaudita nobis ante hoc tempus, ac nova objecit. quæ mihi iste visus est ex aliâ oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidii, neque ad eum qui causam dicit, pertinebant. quibus quoniam verbo arguit, verbo satis est negare.

Scalæ altiores ipsis sunto mœnibus.) *Polibius attendendum. nam & summos duces hoc nonnunquam errare, exemplis palam facit Polybius libro* IX. *Hist. cap.* XVII.

Scelesta quis non jussa spernat Principis?) *Debuerent quidem omnes: sed inveniuntur eheu plurimi, qui potentiorum omnia. honesta atq; inhonesta, illuc exsequantur; secuti Lælium, cujus hæ voces ad Julium Cæsarem,* -per signa decem felicia castris.

Perque tuos juro quocumq; ex hoste triumphos
Pectore si fratris gladium; juguloque parentis
Condere me jubeas, plenæque in viscera partu
Conjugis, invitâ peragum tamen omnia dextra.
Si spoliare Deos, ignemque immittere templis
Numina miscebit castrensis flamma Monetæ &c.

videatur Lucanus libro I. *Pharsaliæ versu* 375. *Interim tamen, inveniri qui Principibus suis non obsequantur his talibus, non uno ostendi exemplo ad illud Taciti, lib.* XIV. *cap.* III. *m:* Ferrum & cædes, quonam modo occultaretur, nemo reperiebat; & ne quis illi tanto facinori dilectus, jussa sperneret, metuebat, *item ad istud Agricolæ cap.* IV: Iulius Græcinus Marcum Silanum

Silanum accusare jussus à Cajo Cæsare, & quia abnuerat, interfectus est.

Scriptam salutem dignum est dignis mittere.] *Versus Plauti è Pseudolo, actus nempe* IV. *scena* II. *numero* LVI.

Se viliter ipsum colere, contemptus sui est.) *Apulejus libro* I. *Floridorum:* Quæ enim facilior res, quàm linguæ rabies & vilitas morum: alter ex aliorum contemptu, alter ex sui? nam viliter se ipsum colere, sui contemptus est: barbarè alios insectari, audientium contumelia est, &c.

Secreta cura quos lacerat, urit magis.) *Derivatum ex Senecæ Agamemnone, vers.* DCLXV.

Secundas fortunas decent superbiæ.] *Dogma Plautini servi, è Sticho, act.* II. *sc.* II. *vers.* XXVIII.

Securitas parens ruinæ proximæ.] *Demosthenes Exordio* XLV: Ὅσῳ γὰρ ἂν μᾶλλον καταφρονήσωσι, τοσούτῳ ῥᾷον ἁμαρτήσονται: Nam quo securiores erunt, eo facilius opprimentur. *addatur idem Exordio* XLIX.

Securitati cuivis diffidit malus.) *Quia*, prima & maxima peccantium pœna est peccasse. nec ullum scelus, licet illud Fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est. &c. *quæ uberius petantur à Senecæ Epistolâ* XCVII. *Divinè etiam Tacitus libro* VI. *Annal. cap.* VI: Neque frustrà præstantissimus sapientiæ firmare solitus est; si reeludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus; ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur. quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin

cormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur. *Benè ergo mox infra sequitur:* Securius nihil unâ est conscientiâ.

Securiter solummodò laudes Deum.) *Quia hominem si celebraveris, quamvis hodie sit longè optimus, potest cras fieri, si non omnium pessimus; at talis tamen ut virtutes suas cunctas insigni aliquo facinore corrumpat. D. Augustinus super Psalmos:* Securitas laudis in laude Dei est. ubi laudator securus est? ubi non timet, ne de laudato erubescat.

Semper aliquem incrementis fige terminum.) *Ita non dabis fortunæ arbitrium desinendi. Sapienter D. Augustus libellis suis publicis*, addiderat consilium coercendi intra terminos imperii. *& malevolè satis Tacitus qui addit*; incertum metu, an per invidiam. *libro* I. *Annal. cap.* XI. *f. fuit enim revera* metus, *ne ad eum locum aliquando pluribus ostendi.*

Semper legi antiquiori lex novissima obrogat.) *De quo videatur & Livius libro* IX. *cap.* XXXIV. *m. Interim versus locum alienum occupat; aptiusque poneretur inter Trochaicos.*

Semper malo lubentes muliebri viri.) *Est Plauti Cistellariâ, act.* IV. *sc.* II. *v.* XIII.

Semper parit quicumque lætitiam labos.) *Et iste conspicitur in Umbri ejusdem Mercatore act.* I. *scena* I. *versu* I. XXII.

Semper suo ipse lumine ignis proditur.) *Versus transmutatus ex Ovidiano Elegiaco.*

Semper suis salvis sunt servæ feminæ.) *Lucius Valerius pro ornatu feminarum, apud Livium libro* XXXIV. *capite* VII. *f.* Numquam salvis suis exuitur servitus muliebris: & ipsæ libertatem, quam vidu-

viduitas & orbitas facit, detestantur. In vestro arbitrio suum ornatum, quàm in legis malunt esse. & vos in manu & tutelâ, non in servitio debetis habere eas: & malle patres vos aut viros, quàm dominos dici.

Senex cùm extemplò est, jam nec sentit, nec sapit.) *Extat in Mercatore Plauti, estque versus* XXIV. *actus ac scenæ secundæ.*

Sermonis haud doctor malus silentium est.) *Etiam est apud Philostratum libro* VII. *vitæ Apollonij:* Σιωπὴ λόγῳ διδάσκαλος.

Sermone destituta hilaritas, marcida est,] *Legitur inter Ennodii scripta.*

Servare cives, maximum Regis decus.) *Est à Senecæ Octaviâ, versu nimirum 435.*

Servare fas propinquos, non fas perdere.] *Unde est quod legimus apud Dionem Cassium, tempore triumviralis proscriptionis:* Τῶν δὲ ἄλλων πολλοὶ καὶ παρ' αὐτῆς τοῖς τε φίλοις καὶ τοῖς ἀναγκαίοις, ὑφ' ὧν περ καὶ ἐσῴζοντο μάλιστα σωθῆναι καὶ τιμηθῆσεσθαι ἔμελλον, &c. Reliquorum multi ab amicis suis ac necessariis necati sunt, à quibus vel maximè servari & honore adfici eos oportuerat. *libro* XLVII. *Sed & Tacitus refert pro absurdo libro* IV. *Annalium cap.* LXVI. *f:* Publium Dolabellam socium delationis exstitisse, miraculo erat; quia claris majoribus & Varo connexus, suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat.

Serum est venire depugnato prælio.) *Traductum è Plauti Menæchmis, act.* V. *sc.* VI. *vers.* XXXI. *Idem est cum versu proximè sequenti:* Serum nimis est auxilium rebus perditis, *cujus verba consar-*

cinata sunt ex eis quæ habemus apud Livium libro XXXI. *cap.* XXIII. *p.*

Si mihi cadendum est, cecidisse è cœlo velim.) *Tanquam Vagellij versum laudat Seneca libro* VI. *Natur. Quæst. cap.* II. *f.*

Si præda cum curâ haud habetur, interit.) *Locus est de prædâ militari; quæ plerumque fœdè perit ob Ducum socordiam. Videatur Tacitus libro* XV. *Annalium cap.* VIII. *m.*

Si quidem amicitia habenda, habenda est cum bonis.] *Dictum Plauti in Pœnulo, act.* V. *sc.* IV. *versu* XLIII.

Si tibi machæra, & nobis vervina est domi.) *Istud quoque inter Plautina, Bacchidum actu* IV. *scenâ* VIII. *versu* XLIII.

Si tibi sunt ruri virgæ, est & mihi tergum domi.] *Hoc etiam reperias in ijsdem Bacchidibus, act.* II. *sc.* III. *vers.* CXXXII. *Sed quod opportunius legeretur inter Trochaica.*

Sibi quisque ruri æstate metit, non alteri.) *Translatum & istud è Plauti Mostellariâ, act.* III. *sc.* II. *v.* CX.

Sic omnia habet sapiens, ut sint & omnium.) *Pulcrè explicatur à Seneca, libro* VII. *de Benef. cap.* X. *f.*

Simulatione turgida invidentia est.) *Basilius Seleucensis Oratione* XLII: Δεινὸν ἡ βασκανία καὶ ὑποκρίσεως γέμον: Invidia grave malum est, plenumque simulationis.

Sine hoste victus marcet qui Veneri vacat.) *Factum ex Agamemnone Senecæ, versu* CLXXXI.

Sine reprobratione nulla electio est.) *Sumptum è Tertulliani Apologetico contra Gentes cap.* XIII.

Siste impetus, & quanta tentes cogita.) *Et hoc ab Agamemnone Annæi, versu* CCI.

So-

Solus Cæsaream pauper non timet manum.) *Policratici auctor libro* v. *cap.* XVII: Appetitus divitiarum, sapientiæ exclusio est, & fuga virtutum: fœcunda virorum paupertas naturam, optimam bene vivendi ducem, imitatur, & virtutum, parens & custos est, solaque securitatem parit; quæ sola nescit incentiva bellorum. Non habet jurgia qui contentionis causas ignorat. Trepidat orbis & Cæsaream manus solus pauper non timet.

Sorbere nemo ac flare quiverit simul.) *Natum ex Plauti Mostellariâ, act.* III. *sc.* II. *vers.* CIV.

Specie amicitiæ persæpe paratur dolus.] *Apud Tacitum habetur libro* XIV. *cap.* XXIV: Convicti & puniti sunt, qui specie amicitiæ dolum parabant.

Spectanda fama hominis quidem, facta at magis.) *Natum ex libro scriptoris ad Herennium* II. *cap.* III.

Sperat quidem animus; quo eveniat, Diis in manu est.) *Versus* XXXVI. *è Plautinarum Bacchidum actu* I. *scena* II.

Stomachi æstuantis rosa nix solatium est.] *Longinquum sanè remedium diebus Canicularibus, nisi delicatis eis, quos fugillat Senecæ Epistola* XCV. §. V.

Stabili prius rem, deinde exorna, publicam.) *De Vespasiano Tranquillus in vitâ ejus capite* VIII: Per totum imperii tempus nihil habuit antiquius, quàm propè afflictum nutantemque Rempublicam stabilire primo, deinde & ornare.

Suavis laborum præteritorum memoria.) *Laudatur hic versus apud Ciceronem de Finibus bonorũ &c.*

Sub rege tyranno fit nocens, non quæritur.) *Formatus ex Senecæ Agamemnonu, versu* CCLXXVIII.

Sub rege tyranno quidquid excelsum est cadit.] *Et hoc ex ejusdem auctoris Octaviâ, versu 462.*

Summus dies idem Hectoris ac Trojæ fuit.) *Formatum è Troade Annæi, versu scilicet* CXXV.

Sunt cuncta pœnâ præmiove pervia.] *Quidam de conjuratione Pisoniana apud Tacitum libro* XV. *cap.* LIX: Frustra silentium & fidem in tot conscriorum animis & corporibus sperari. cruciatu aut præmio cuncta pervia esse.

Sunt extruenda pro opibus nostris mœnia.) *Desumptum ex Plauti Sticho, actus, inquam* V. *scenæ* IV. *versu* XIII.

Superstites relinquere quisque avet suos.) *Heredes scilicet propriè sic dictos. unde* superstitiosos *nominatos vult Cicero patres, qui Deos quotidie convenirent pro vitâ liberorum suorum. Tacitus de nece L. Veteris, socrusque & filiæ, libro* XVI. *cap.* XI: Tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abscindunt venas, properiq; & singulis vestibus ad verecundiam velati, balneis inferuntur. pater filiam, avia neptem, illa utrosq; intuens & certatim precantes labenti animæ celerem exitum, ut relinquerent suos superstites & morituros. servavitque ordinem fortuna: ac senior prius, tum cui prima ætas, exstinguuntur.

T

TAcente linguâ, sæpe vultus garrulus.] *Observent viri militares, nam & ipsis etiam inservire liquet ex Polybianis libro* IX. *Histor. cap.* XII. *quæ adeantur.*

Talis

Talis esse herus solet qualem servi volunt.) *Carmen Plauti ex Mostellariâ, actu* IV. *sc.* I. *versu* XVI.

Tam cedere est Ducis, Ducis quàm vincere est.] *De Barca duce Carthaginiensi, Polyb. lib.* I. *cap.* LXII: Μέχρι μὲν γὰρ ἐκ τοῦ λόγου ἦν τις ἐλπὶς ἐν τοῖς ὑποκειμένοις, οὐδὲν τῶν θαρραλέων ἢ δεινῶν δοκούντων εἶναι παρέλειπεν, ἀλλὰ πάσας, τὰς ἐν νικᾶν ἐν τῷ πολεμεῖν ἐλπίδας, εἰ καί τις ἄλλος ἡγεμόνων ἐξήλεγξεν. ἐπεὶ δὲ ἡ τύχη τὰ πράγματα, καὶ τοῦ λόγου οὐδὲν ἔτι κατέλιπετο, πρὸς τὸ σώζειν τὰς ὑποταττομένας, πάνυ νουνεχῶς καὶ πραγματικῶς εἶχας τοῖς παροῦσιν ὑπὲρ σπονδῶν καὶ διαλύσεων ἐξαπέστελλε πρεσβευτάς. ἐν γὰρ αὐτῷ νομιστέον εἶναι ἡγεμόνος, τὸ δυνάσθαι βλέπειν, τόν τε ἐν νικᾶν, ὁμοίως ἢ καὶ τὸν ἐν λείπεσθαι καιρόν: Quamdiu rebus Carthaginiensium spem supersse aliquam ratio probabilis suadebat, nihil est ab eo ne eorum quidem prætermissum, quæ vel cum temerariâ audaciâ & præsenti periculo conjuncta existimantur: sed omnes victoriæ spes, si quis unquam dux alius, bellando tentavit. Vbi verò in contrarium Fortuna vertit, & jam omnia erant exhausta quæ ratio suggerebat: tum ille de eorum quibus præerat salute sollicitus, præsenti temporum conditioni cedens planè sapienter & pro eo rerum usu quem habebat, legatos de fœdere ac pace ad Cos. misit. ejusdem namque prudentiæ existimandum est, & vincendi tempus posse perspicere, & cedendi victoriâ.

Tam

Tam laudibus gaudet miles quàm præmiis.) *Incentivum esse egregium militi, laudari ore ducis, plurib. alibi ostendi ex Polybio, Livio, Valerio Maximo, Sallustio, Ammiano, Tacito ceterisque historicis.*

Tantum onere patribus sentiuntur liberi.] *Quia ætas paucos admodum parentes perducit ad verum fructum à liberis percipiendum, &c.*

Ter maximum in bello numen silentii.) *Quare & quomodo, invenies latè apud Polybium cap.* XII. *libri* IX. *Historiæ suæ.*

Terræ ingenio non vincas naturâ insita.] *Legati Rhodiorum ad Senatum Romanum:* Massilienses, quos si natura insita velut ingenio terræ vinci posset, jampridem efferassent tot indomitæ circumfusæ gentes, in eo honore, in eâ meritò dignitate audimus apud vos esse, ac si medium umbilicum Græciæ incolerent, &c. *Livii libro* XXXVII. *cap.* LIV.

Terret potentum latius vis quàm nocet.) *Non enim attenditur quantum fecerint, sed quantum possint. Livius libro* XXXVI. *cap.* XXXVIII: Id fœdum consilium cùm incœpto, tum etiam exitu fuit. neque enim indigna patientium modò alienabantur animi, sed ceterorum etiam: quippe ad plures exemplum quàm calamitas pertinebat. *Ammianus libro* XXVIII. *cap.* VI: Ob hæc & hujusmodi multa quæ cernebantur in paucis, omnibus timeri sunt cæpta.

Tete adplices potentibus non implices.] *Præceptum saluberrimum Senecæ, quod explicat Epistolâ* CV. §. I.

Timere leges maxima est securitas.) *Synesius Epistola* II: Ἀφοβία μεγίστη, τὸ φοβεῖσθαι τοὺς νόμους.

Tollas videri, pompas tollis publicas.) *Ea enim potis-*

potissimum institutæ uti spectentur. videatur Tertullianus de cultu virginum, cap. XI. *p.*

Tolli bonum necesse est sublato malo.) *Lactantius libro* VII. *cap.* V: Nulla virtus esse poterat, nisi diversa feciſſet: nec omninò apparere vis boni potest, nisi ex mali comparatione: adeo malum nihil aliud est quàm boni interpretatio. Sublato igitur malo, etiam bonum tolli necesse est, &c.

Tollit rei pudorem agmen peccantium.] *Quia desinit esse probri loco commune maledictum. adeatur Seneca libro* III. *de Beneficiis cap.* VI. *libro* I. *de Clementiâ cap.* XXIII.

Tormenta quos non vincunt, vincit hos pudor.) *D. Hieronymus ad Pammachium:* Ingenia liberaliter educata facilius verecundia quàm metus superat, & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor.

Trabs cæsa post solstitium æstivum, non putret.) *Oeconomicum monitũ, cujus præter rei rusticæ scriptores, meminit item Vegetius libro* IV. *de re militari, capite* XXXVI.

Tractantur & inter aras lenocinia.) *Verbum Tertulliani Apologetico adversus gentes cap.* XV: *quo monemur, ne filias nostras putemus in tuto, tuto operatos in templo sacris.*

Tumidas Erinnys semper comitata est domos.) *Formatum ex versu* LXXXIII. *Senecæ Agamemnonis.*

Turbare pergunt usque, queis res turbida est.) *Dictum Plauti, è Mostellariæ versu* XI. *act.* V. *sc.* I.

Turpis fuga est quæ fit relictis sauciis.) *Eorum enim maxima passim habita cura. Cæsar libro* III. *de bello civili cap.* LXXV. *p.* Itaque nulla interpositâ morâ (sau-

(sauciorum modo & ægrorum habitâ ratione) impedimenta omnia silentio primâ nocte ex castris Apolloniam præmisit. *Nec minor erat ratio occisorum. Curtius libro* v. *cap.* XXII: Peritos locorum convocari jubet Alexander: ii medium iter ostendebant, tutum apertumque: sed rex demittere milites insepultos erubescebat; ita tradito more, ut vix ullum militiæ tam solenne esset munus quàm humandi. *Itaq; nunquam legimus alterutros relictos, nisi rebus undiquaque extremis; ut apud Xenophontem libro* VII. *Historiarum Græc. Thucydidem libro* VII. *belli Peloponnes. Livium libro* IV. *cap.* XXXX. *m. Appianum bello Hispan. Tacitum libro* IV. *Annal. cap.* LXXIII. *m. ut & libro* XV. *cap.* XVI. *m. aliosq;. Imò hinc est quod legimus apud abbreviatorem Trogi lib.* VI. *cap.* VII: In eo prælio Archidamus vulneratur: qui cùm cædi suos jam ut victos videret, per præconem corpora interfectorum ad sepulturam popposcit. hoc est, enim signum apud Græcos victoriæ traditæ. qua confessione contenti Thebani, signum parcendi dedere.

Turpitudini est patronus crimẽ cælans conjugis.) *Debebat potius locari inter Trochaicos.*

Tuo ex ingenio mores alienos probas.) *Est inter Plautina; Persa videlicet actu* II. *sc.* II. *versu* XXX.

Tuta est parum majestas absque viribus.) *At ea desunt, deficiente omni populo. exempla præsto sunt apud Livium libro* II. *cap.* LV. *Tacitum lib.* I. *Annal.* XXI.

Tyrannis omnis plus quàm crimen publicum est.) *Auctor Policratici libro* I. *cap.* XV: Cùm multa sint crimina majestatis, nullum gravius est eo, quod contra ipsum corpus Iustitiæ exercetur. Tyrannis ergo non modò publicum Crimen, sed si fieri posset, plus quàm

quàm publicũ est. Si enim crimen majestatis omnes persecutores admittit; quantò magis illud, quod leges premit, quæ ipsis debent Imperatoribus imperare? Certè hostem publicum nemo non ulciscitur, & quisquis eum non persequitur, in seipsum, & in totum Reipublicæ mundanæ corpus delinquit.

V

VAdatum amore, vinctum meretrix attinet.) *Verissimam hanc gnomam reperire est in Plauti Bacchidibus, actu* II. *scenâ* II. *versu* III.

Variâ ferè famâ instituta sunt nova.) *Tacitus libro* XIV. *Annalium cap.* XX. *p:* Nerone quartum, Cornelio Cosso consulibus, quinquennale ludicrum Romæ institutum est, ad morem Græci certaminis; variâ famâ, ut cuncta fermè nova. *Livius lib.* XXXIV. *ca.* LIII. *p:* Horum Ædilium ludos Romanos primùm Senatus à populo secretus spectavit, præbuitque sermones, sicut omnis novitas solet.

Vbi publicanus, jus ibi vanum publicum est.) *Livius libro* XLV. *cap.* XVIII: Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque prædiorum rusticorum tolli placebat. nam neq; sine publicano exerceri posse: & ubi publicanus est, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatẽ sociis nullam esse.

Vbi vitia non sunt, quis ibi virtuti est locus?) *Lactantius libro* VI. *cap.* XV: Vbi ergo vitia non sunt, nec virtuti quidem locus est: sicut nec victoriæ quidem, ubi adversarius nullus est. ita fit ut bonum sine malo esse in hac vitâ non possit, &c. *Videantur Chrysippi verba egregia, apud Gellium libro* VI. *cap.* I.

Vbi

Vbi utilitas, ibi pietas, ibi Deus.] *Sententia usurpata Epicteto Enchiridij paragrapho* XXXVIII. *ad quem locum, conferantur & Simplicius & Arrianus.*

Vbique citò Samium vas confringi solet.) *Natum ex Plauti Bacchidibus; act.* II. *sc.* II. *vers.* XXIV.

Vbique iidem sunt immortales Dei.] *Locum suum habet, si quis auferat uni templo quod alteri inferat:* tanquam non iidem ubique Dii immortales sint, sed spoliis aliorum alii colendi exornandique, *uti loquuntur Senatores, apud Livium libro* XLII. *capite* III. *f.*

Vel maximi ictum arietis laqueo illuseris.] *Livius libro* XXXVI. *cap.* XXIII. *p.* Cùm ariete quaterentur muri, non laqueis, ut solet, exceptos declinabant ictus, sed armati frequentes; quidam ignes etiam, quos aggeribus injicerent, ferebant, &c.

Venæ justitiæ, Pietas sunt & Æquitas.] *Lactantius libro* V. *cap.* XV: Romani veteres, qui justitiâ gloriari solebant, iis utique virtutibus gloriabantur quæ proficiscì à justitiâ possunt, & ab ipso fonte secerni. Pietas verò, & æquitas, quasi venæ sunt ejus: his enim duobus fontibus constat tota justitia.

Venere multi ad fatum, fata dum timent.] *Formatum ex Senecæ Odipode, versu 993.*

Vera innocentia ne quidem inimico nocet.) *D. Augustinus super Psalmo:* Illa est vera innocentia, quæ nec inimico nocet.

Venus perosa dura amantum pectora est.] *Ovidius libro* XIV. *Metamorph. versu 703:* -miserere ardentis; & ipsum quod petit, ore meo præsentem crede precari. Vltoresque Deos, & pectora dura perosam Idaliam, memoremque time Rhamnusidis iram.

Verbo

Verbo atque numero vita hominum planè indiget.] *Epicharmi versus habet:* ὁ βίος ἀνθρώπου λογισμῷ ἢ ἀριθμῷ δεῖται πάνυ.

Verum æstimare hominem si vis, nudum inspice.) *Annæus Epistolâ* LXXVI: Hoc laboramus errore, sic nobis imponitur; quod neminem æstimamus eo quod est: sed adjicimus illi & ea quibus ornatus est. Atqui cùm voles veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice. ponat patrimonium, ponat honores & alia fortunæ mendacia: corpus ipsum exuat: animum intuere, qualis quantusque sit; alieno an suo magnus &c.

Vestes leves, solo facias pretio graves.) *Dictum Tertulliani capite* X. *de cultu virginum.*

Viaticum magnum onerat vitam, haud instruit.) *Minucius Felix in Octavio:* Dives es? sed fortunæ malè creditur, & magno viatico breve vitæ iter non instruitur, sed oneratur.

Vidi petere milvium etiam cùm nil auferret tamen.) *Usurpatum Plauto in Rudente, versu* LXXX. *act.* IV. *sc.* IV. *præstaret tamen poni inter Trochaica.*

Vigilandum est semper: multæ insidiæ sunt bonis.] *Citatur à Cicerone ex Attio, oratione pro Plancio.*

Vile illi honestum cui corpus carum est nimis.] *Ita centies fere loquuntur, D. Basilius, D. Chrysostomus. & totidem fere verbis Senecæ Epistola* XIV.

Violentiam ingenitam auget vinolentia.) *Livius de Gentio Illyriorum rege libro* XLIV. *cap.* XXX: Gravis deinde dempto fratris metu popularibus esse cœpit: & violentiam insitam ingenio intemperantia vini accendebat.

Vires tuas externo robore augeas.) *Monuit, credo,*

regem aliquem implicatum bello, neque usquequaquè à se parem adversarius.

Vires supra, sua Athenis est audacia.] *Versus ille potuit usui esse civitatibus & Regibus, cùm adhuc vigerent Athenienses. plurimum enim prodest, notos habere mores eorum quibuscum nobis, aut pax aut bellum, & verò de Athenensibus tale quid omninò refert Rhodiorum legatio apud Livium libro* XLV. *cap.* XXIII. *ff:* Tam civitatum, quàm singulorum hominum mores sunt: gentes quoq; aliæ iracundæ; aliæ audaces; quædam timidæ; in vinum, in Venerem proniores aliæ sunt. Athenienſium populũ fama est, celerem & supra vires audacem esse ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorẽ, & vix in ea quibus fidit ingredientẽ, &c.

Virtus etiam infelix hosti in reverentiâ est.) *Plutarchus in Mario:* Ἀρετὴ τοι δυσυχοῦσι μεγάλῳ ἔχει μοῖραν αἰδοῦς καὶ τοῖς πολεμίοις. ἐλεεῖται δὲ, κἂν ἥττηται, πάντη ἀτιμώτατον: Virtus infeliciter agentium magnam habet reverentiæ partem etiam apud hostes: ignaviâ verò, etiamsi fortunata sit, tamen vituperatione non caret.

Virtute parta servat bellè humanitas.) *Ei par verba illa superius posita:* Victum bello, vincas & benevolentiâ. *Diodorus Siculus de Thebanis Orchomenum oppugnaturis, libro* XV. *cap.* LVII: Ἐπαμινώνδᾳ συμβουλεύοντος, ὅτι τοῖς διὰ τῆς ἀνδρείας κατεργασθεῖσι, τῇ φιλανθρωπίᾳ διαφυλάττειν τὰς τῆς τῶν Ἑλλήνων ἡγεμονίας ὀρεγομένους, μετέγνωσαν: Ab Epaminondâ verò admoniti, virtute parta, humanitate conservanda esse his qui principatum Græciæ ambirent, ab incœpto destiterunt.

Virtu-

Virtutibus vita ipsa fit contractior.) *Arnobius libro* II. *adversus Gentes:* Nam si verùm est, animas nullius esse participes finis, & cum omnibus sæculis ævorum perpetuitate procedere; quid periculi res habet, contemptis prætermissisque virtutibus, quibus est contractior atque horridior vita, voluptatib. se dare, ac per omnia libidinum genera effrenatum spargere immensæ cupiditatis ardorem?

Vis nulla lædit imperii formam boni.) *Senatus in acclamationibus suis apud Vulcatium Gallicanum in vitâ Avidii Cassii cap.* XIII: Autonine clemens, Dii te servent. Tu noluisti quod licebat: nos fecimus quod decebat. Commodo imperium justum rogamus: progeniem tuam robora. fac securi sint liberi tui: bonum imperium nulla vis lædit.

Vis relligionem augere? relligionem premas.) *Lactantius libro* V. *cap.* XX: Augetur religio Dei, quanto magis premitur.

Vitam alteri quicumque debet perdidit.) *Id imbibendum erat Regibus victoriosis; ne sævirent in triumphatorum vitam & sanguinem.*

Vitâ parantur vita in queis consumitur.) Egregiè Plato dixit, minima esse quæ homines emant vitâ. Imò si bene furorem nostrum æstimaverimus, magis ridebis, cùm cogitaveris vitâ parari ea in quibus vita consumitur. *Seneca libro* V. *Natur. quæst. capite ultimo.*

Vitia animi culpes, naturæ excusaveris.] *De Tiberii habitu, Suetonius in vita ejus cap.* LXVIII: Quæ omnia ingrata, atq; arrogâtiæ plena, & animadvertit Augustus in eo, & excusare tentavit sæpe apud Senatum ac populũ; professus naturę vitia esse non animi.

Vix alia quàm in rebus novis ſpes prodigo eſt.) *De Silano Torquato Neroni inviſo, Tacitus libro* XV. *cap.* XXXV: Iuſſi id accuſatores objicere, prodigum largitionibus, neque aliam ſpem quàm in novis rebus eſſe.

Vix eſt bonum ut ſit illud quod permittitur.) *Largius explicatur à Tertulliano libro* I. *ad uxorem cap.* III. *m.*

Vix eſt ſuperbus ut diu Rex imperet.) *Ioannes Sarisberienſis libro* II. *cap.* VII: Quia ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis ſuæ faſtigio, tumoris pondere cadit. Obtinet enim perpetuò, quia ſe humiliat exaltabitur, & vice versâ, qui ſe exaltat deprimetur. Regem Romanorum noviſſimum Tarquinium fecit eſſe ſuperbia, & ei ab humilitate magis neceſſarios ſubſtituit magiſtratus. Denique quem ſuperborum legiſti regnare diutius?

Vix eſt uti fiant ad exemplum omnia.) *Syneſius Epiſtolâ* LVII: τὶ κεκράγατε; ὰ δι' ὅτι μήπω γέγονεν, ἄξιόν ἐστι μηδὲ νῦν γενέσθαι. πολλὰ τῶν δεόντων ὁ χρόνος ἐξεῦρε καὶ διωρθώσατο. ἐχ ἅπαντα πρὸς παραδείγματα γίνε): καὶ τῶν γιγνομένων ἕκαστον, ἔρχεται ἔχει, καὶ περὶ γενέσθαι, μήπω γιγνόμενον ἦν. ἀξιώτερόν ἐστι προπαιδεῦσαι τὸ συνηθείας τὸ χρήσιμον: Quid vociferamini? non quia nondum factum eſt & nunc non debet fieri. Multa eorum quæ non oporteret, tempus & invenit & correxit. Non omnia ad exempla fiunt. Et eorum quæ facta ſunt unumquodque principium habuit; & priusquam factum eſſet, nondum factum erat. Satius eſt anteponere conſuetudini utilitatem.

Vix

Vix invenire est fidos regum cladibus.) *Ortum ex versu Tragœdiographi 977. Medeæ.*

Vixisse misero satius est quàm vivere.) *Est à Plauti Bacchidibus, actu I. sc. II. vers.* XLIII.

Vnicum tyrannidis tutamen, diffidentia est.) *De Dionysio Siciliæ rege Diodorus libro* XX. *cap.* LXIV: Οὗτος γὰρ ὅτι τοσοῦτον ἀπίστως διέκειτο πρὸς ἅπαντας, ὥστε καὶ μὲν τὸ πολιὸν κομᾶν καὶ τὸν γενειοτροφεῖν, ὅπως μὴ συναναγκασθῇ τῷ τὸ κυρέως σιδήρῳ προβάλλειν τὰ κυριώτατα μέρη τοῦ σώματος· εἰ δὴ καὶ ποτε χρεία γένοιτο τῶν κιφαλῶν ἀποκείρασθαι, πρίεσθαι τὰς τρίχας, μίαν ἀσφάλειαν τυραννίδος ἀποφαινόμενον τὴν ἀπιστίαν: Hic adeò diffidebat omnibus, ut comam & barbam plerumq; nutriret; ne præcipuas corporis partes novaculæ tonsoris objicere necessum esset. Quod si quando tonsurâ caput indigeret, capillos adurebat; unicum tyrannidis monumentum ostendens esse diffidentiam. *Sic Diodorus. sed versus potius erat reponendus inter Trochaicos.*

Vni bono mala annexa sunt à Diis duo.) *Pindarus:* Ἓν παρ' ἐσθλὸν σώλυο πήματα λαίνωτον βροτοῖ, ἀθάνατοι τε μένειν ἀδύνατον νήπιοι κέδμῳ φέρειν: Semper uni sunt duo bono mala à Diis annexa summis, ferre quæ stulti probè nequeunt.

Vnâ creari nocte vix fortis potest.) *Allusum ad Herculis genituram; cui trinoctium impendit bonus ille Jupiter.*

Vox innocentis cum capite haud præciditur.] *Basilius Seleuciensis Oratione* XVIII: Ἀλλ' ἀπετμήθη

μὴν ἡ κεφαλὴ· σὺν ἐστώπισε δὲ ἡ ἁ Ἰωάννυ φωνὴ· ἀθάνατα μὴ θνήσιον φθέγγεται: Verumenimverò abscissum quidem est caput: nec tamen Ioannis vox tacet; æternum loquetur post funera. *Non absimiliter Martialis libro* II. *Epigrammate* LXXXII.

Abscisså servum quid fingis, Pontice linguâ?
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

ubi legendum videtur; quid figis, *ut nimirum herus servum cruci jusserit affigi, sed elinguem*; *ne flagitia ipsius populo enuntiaret: quod proculdubio facturus erat si loqui potuisset*; *utpote expers jam vitæ, & cui nihil poterat accidere gravius.*

Vrbs capta, retinet promptius obsequium integra.] *Tacitus libro* XIV. *Annal. cap.* XXIV. *f.* Nec multo post legati Tigranocerta missi, patere mœnia adferunt, intentos populareis ad jussa. simul hospitale donum, coronam auream tradebant. Accepitque cum honore; nec quicquam urbi detractum, quò promptius obsequium integri retinerent.

Vrbana vestis animæ, forma feminæ est.) *Verba Tertulliani libro de cultu cap.* II. *f.*

Vrbes flagitia citius grandes pertegunt.) *De sacris Bacchi, Livius libro* XXXIX. *cap.* IX. *p.* Primò urbis magnitudo capacior, patientiorque talium malorum ea celavit. &c.

Vrbem diu coronâ si oppugnas, capis.) *In promptu ratio est, vigiliis vel solis enervas propugnatores. Exempla plura sunt vel in uno Livio; utpote & libro* VII. *cap.* XXVII. *f. libro* XXIII. *cap.* XLIV. *p. lib.* XXIV. *cap.* II. *f. libro* XLII. *cap.* LXIII. *p.*

Vrbs itinera cui sunt arcta, obnoxia sunt incendiis) *Nimium frequenter Trochaici sedem invaserunt*

Iam-

Iamborum. itaque & iſte alio item erat ablegandus.

Vt qui deliquit ſupplex eſt ultrò omnibus!) *Viſitur in Plauti Bacchidibus, verſu* CI. *actus* IV. *ſc.* IX.

Vt ſunt humana, nil eſt perpetuum datum.) *Et iſtud ex Plauti Ciſtellariâ, actu* I. *ſc.* III. *verſu* XLVI.

Vxor contenta eſt, quæ bona eſt, uno viro.) *Reperies & hunc verſum in Mercatore Umbri noſtri, numero* VII. *actus* IV. *ſc.* VI.

IN TROCHAICOS NOTÆ SUBSECIVÆ.

A

A Certamine ſe abſtinere faciliùs eſt quàm abducere.) *Seneca lib.* III. *de Irâ cap.* VIII: Alit ſeipſam contentio: demiſſos altius tenet. facilius eſt ſe à certamine abſtinere quàm abducere.

A quo multa bona accepiſti, ejus quoque fer injurias.) *Marcus Tullius lib.* II. *in Verrem cap.* III. *m:* Sic à majoribus ſuis acceperant, tanta populi Romani in Siculos eſſe beneficia, ut etiam injurias noſtrorum hominum perferendas putarent.

A recenti tempeſtate littus omne ſpiſſius eſt.) *Poteſt transferri ad animum, eum minus diffluere qui recens eſt à calamitatis fluctibus.*

Abdicat ſe humanitate, religionem qui abdicat.) *Lactantius libro* III. *cap.* X: Religionem qui non ſuſcipit, ipſe ſe proſternit in terram, & vitam pecudum ſecutus, humanitate ſe abdicat.

Absque comploratione nulla est, aut fuit domus.] *Quis igitur est qui ferre recenset, quod omnes tulerunt, omnes ferunt?*

Absque vate clauda virtus, mancaque orbis gloria est.) *Pulchrè idipsum ostendit Synesius Epistolâ* XLIX; *ubi & invenies; quamvis Reges multa conferrent in poëtas, plura tamen recepturos ab eisdem. sed bene est, quòd hodie nullum omninò sit periculum, ne hèic alter alteri quid debeat; nedum ut venire debeat in controversiam, uter plus debeat.*

Acta si Ducum rescindis, segnes sunt in posterum.) *Marcellus apud Livium libro* XXVI. *cap.* XXXI *f:* Ad Rempublicam pertinet, ne acta mea rescindendo, alios in posterum segniores duces faciatis.

Ad casum nequit referri sæpius quod accidit.) *Nero deliberans de tollendâ matre apud Tacitum libro* XIV. *cap.* III: Placuitque primò venenum. sed inter epulas Principis si daretur, referri ad casum non poterat, tali jam Britannici exitio.

Ad faciendum quàm dicendum solus Parthus promptior.) *Tali quoque elogio insigniuntur ab Iustino libro* XLI. *cap.* IV: Naturâ taciti, ad faciendum quàm ad discendum promptiores. *unde noster forsan descripsit.*

Ad florentem amicitiam ab concussâ quivis devolat.) *Cicero oratione pro Quinctio cap.* XXX: Fatetur se non bellè dicere, non ad voluntatem loqui posse: non ab afflictâ amicitiâ transfugere, atque ad florentem aliam devolare &c.

Ad legem bonum esse, valde angusta est innocentia.] *Annæus libro* II. *de Irâ cap.* XXVII: Quis est iste, qui se profitetur, omnibus legibus innocentem? ut

hoc

hoc ita sit, quàm angusta innocentia est, ad legem bonum esse? quanto latius officiorum patet quàm juris regula? quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt; quæ omnia extra publicas tabulas sunt?

Ad minorum injurias nimis efferuntur divites.) *Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* XX. *p:* Exin Claudius Timarchus Cretensis reus agitur, ceteris criminibus, ut solent prævalidi provincialium, & opibus nimiis ad injurias minorum elati, &c.

Ad pejore calle valdè declivi descenditur.) *Diodorus Siculus lib.* XII. *cap.* XII. *m:* Καθάντες δὲ ἡ πρὸς τὸ χεῖρον ὁδὸς, ῥαδίαν ἔχουσι τὴν ὁδοιπορίαν.

Ad postremum nil apparet: male partum malè disperit.] *Sententia è Pœnulo Plauti, actu* IV. *scenæ* II. *versu* XXII.

Ad quæ justa sunt dicendum, quodvis tempus convenit.] *Sophocles* Ὁ πᾶς ἂν πρέπει ἐννέπειν ταῦτα δίκαια χρόνῳ.

Adversari sine dedecore & scelere summo haud est patri.) *Enunciatur à Plauti Sticho, act.* I. *scenæ* II. *versu* XXIV.

Advocati non est, hinc stare, illinc causam dicere.] *Et istud similiter dicitur à Plauto in Menæchmis, act.* V. *sc.* II. *vers.* XLVII.

Æquè è castris urbem, ut castra è quavis urbe feceris.) *Mos non infrequens erat veteribus Romanis, de castris suis facere urbes; ut multis exemplis ostendi in Politicis meis ad Tacitum Liviumque.*

Æstimari nos putamus toties, quoties adspici.) *Seneca de Tranquill. animi cap.* XV: Est & illa sollicitudinum non mediocris materia, si te anxiè com-

ponas, nec ulli simpliciter ostendas: qualis multorum vita est, ficta & ostentationi parata. torquet enim assidua observatio sui, & deprehendi aliter quàm solet, metuit: nec unquam curâ solvimur, ubi toties nos æstimari putamus, quoties conspici. nam & multa incidunt quæ invitos denudent, & ubi bene cedat tanta sui diligentia; non tamen jucunda vita aut secura est, semper sub personâ viventium.

Affectus hominum felicium est ambitio gloriæ.) *De congressu Pati & Corbulonis Tacitus libro* XV. *cap.* XVI. *f:* Vix præfecti usurpata consalutatio. decesserat certamen virtutis; & ambitio gloriæ, felicium hominum adfectus. sola misericordia valebat; & apud minores magis.

Affectus quidem ministri tam mali sunt quàm duces.) *Interpretatur prolixius Seneca libro* I. *de Irâ cap.* IX. *f:*

Afficiunt Regem mage ærumnæ aliorũ quàm propriæ.] *Videatur super eo dogmate D. Chrysostomus Homiliâ* XXIX. *ad Romanos; ne alios laudem priscæ Ecclesiæ antistites.*

Animus cernit, animus audit: reliqua surda & cæca sunt.] *Ita olim Latinis celebratum fuisse Epicharmi Trochaicum, fidem nobis facit Tertullianus libro de Animâ cap.* XVIII.

Amplius terret formido injuriæ, quàm injuria.) *Totidem fere vocibus exstat ista hæc sententia apud Egesippum libro* IV. *Excidii Hierosolym. cap.* IX.

Animus æquus, ærumnarum condimentum est optimum.) *Lepidum istud dictum, neminem fugit esse è latifundiis Plauti: visitur enim Rudente, act.* I. *scena* III. *versu* VIII.

Ante

Ante cauſſas indigentum quàm perſonas inſpice.] *Dirigitur acumen hujus gnomæ in Principes & Iudices eorum. Sumptum autem eſt ex Epiſtolâ* XII. *Sidonii libro* VI: *ad Patientem Epiſcopum Lugdunenſem:* Tibi non ſufficit illis tantum neceſſitatibus opem ferre quas noveris, quique uſque in extimos terminos Galliarum caritatis indage porrectâ, prius ſoles indigentum reſpicere cauſſas, quàm inſpicere perſonas.

A page hujusmodi ſalutem, cum cruciatu quæ venit.) *Habet & iſte verſus parentem Plautum, petitus ex Mercatoris act.* I. *ſc.* II. *verſ.* XXXIII.

Aptiora oneri jumenta ſunt quàm nobiles equi.) *Commodè transferatur ad homines rerum maximarum capaciſſimos, quos nihilominus Principes deprimunt ad honorifica quidem miniſteria, ſed indigna vigori ſpiritus ſublimioris.*

Arbores præciſæ ramis pluribus repullulant.) *Annæus libro* III. *de Clementiâ cap.* VIII: Quemadmodum præciſæ arbores plurimis ramis repullulant, & multa ſatorum genera, ut denſiora ſurgant, reciduntur: ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. parentes liberique eorum qui interfecti ſunt, & propinqui, & amici in locum ſingulorum ſuccedunt.

Ars dignationis expers, primum ægreſcit, dein perit.] *Videantur non protrita huc ſpectantia apud Plutarchum oratione* II. *de fortunâ vel virtute Alexandri, ipſo ſtatim exordio.*

Artifices amare neſcit, quisquis exſors artium eſt.) *Sidonius libro* V. *Epiſtolâ* X: Pauci ſtudia nunc honorant; ſimul & naturali vitio fixum eſt radicatumque

tumque pectoribus humanis, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices.

Artificum supellex optimorum simpliciſſima eſt.) *Lucianus libro adverſus indoctum, bibliothecâ tumidâ:* Τὰς δὲ κυρέας τάτας ἐπίσκεψαι, καὶ οὐχὶ τὰς μὲν πυκνίτας αὐτῶν, ξυρὸν καὶ μαχαιρίδας, καὶ κάτοπτρον σύμμετρον ἔχοντας· τὰς δὲ ἀμαθεῖς καὶ ἰδιώτας, πλήθος μαχαιριδίων ἐπιθέντας, καὶ κάτοπτρα μεγάλα, ἃ μὲν λήσειν γε ἂν ταῦτα ἐοῦσιν εἰδότας: Ad hos mihi tonſores aſpice, & invenies eos qui artifices optimi ſint, novaculam tantum ac forpicem & mediocre ſpeculum habere: ſed ignaros artis, etiam ſi infinita ſpecula & forpices proponant, non tamen latere, artis quòd nihil calleant tonſoriæ.

Aſſiduis conviciis & depudere diſcimus.) *Voces ſunt Senecæ, inveniundæ capite* XVII. *libri quo negat injuriam cadere in ſapientem.*

Audientiæ parit faſtidium prolixitas.) *Arnobius libro* IV. *adverſus gentes*: Et ne fortè prolixitas faſtidium audientiæ pariat, ceſſabimus ire per ſingula.

Ars citius defuerit civem regere, quàm hoſtem vincere.) *Livius libro* II. *cap.* XLIII. *f.* Nec huic tam peſtilenti exemplo remedia ulla ab imperatore quæſita ſunt: adeò excellentibus ingeniis citius defuerit ars, quâ cives regant, quàm quâ hoſtem ſuperent.

Auferetur id præmium à me quod promiſi per jocum.) *Extat in Plauti Pſeudolo act.* IV. *ſc.* VI. *verſu* CXXVI.

Auribus peraudienda ſunt; ne dentes dentiant.) *Sermo uſurpandus à paraſito aliquo. Sunt autem verba Plau-*

Plautina è Militis glorioſi, actu I. *ſc.* I. *verſu* XXXIV.

Aurum auro expendetur, argentum argento exæquabitur.) *Et iſtud ſimiliter à Plauto eſt, nempe ex Rudente ejus, act.* IV. *ſc.* IV. *verſ.* XLIII.

Aut fame, aut ſiti, otioſè quamvis urbem proruas.) *Vegetius libro* IV. *de re militari cap.* VII: Sciendum eſt, obſidendi duas eſſe ſpecies. unam cùm adverſarius opportunis locis præſidiis ordinatis, continuis adſultibus impugnat obſeſſos: alteram cùm vel aquâ prohibet incluſos, vel deditionem ſperat à fame, quando omnes prohibuerit commeatus. hoc enim conſilio, ipſe otioſus ac tutus fatigat inimicum.

Aut manu, aut naturâ, aut utroque urbem quamvis munias.) *De eo videſis Vegetium libro* IV. *cap. principe.*

Aut timore Natura aut pudore perfudit malum.) *Eſt ex Apologetico Tertulliani adverſus gentes, non longè ab initio.*

B

BAcchides, non Bacchides ſunt; Bacchæ ſunt acerrimæ.] *Vulgatiſſimus Plauti verſus è Bacchidibus, actu nempe* III. *ſcenâ* I. *verſu* IV.

Barbarè alios inſectari audientium contumelia eſt.) *Illo ſitu verborum protulit iſthæc Apulejus libro primo Floridorum; ſubjungitque rationem*: Annon ſummam contumeliam vobis imponit, qui vos arbitratur, maledictis optimi cujusque gaudere? qui vos exiſtimat mala & vitioſa verba non intelligere; aut ſi intelligatis boni conſulere?

Bar-

Barbarum hospitem mihi in ædes nil moror: sat litium est.) *Plauti est è Rudente, actu* II. *sc.* VII. *versus* XXV.

Bellum honestius geras contra Regem quàm perfugas.) *Hirtius de bello Alexandrino cap.* XXIV: Sin id, quod magis illorum natura conveniebat, ducem ad bellum gerendum Regem habere vellent: splendidius atque honestius se contra regem, quàm contra convenarum ac fugitivorum manum bellum esse gesturum.

Bellum sanguinis circa cor, index est certissimus.] *Synesius Epistolâ* CIV: Τὰς αὐτὰς ἂν ἰδοις ἐν μὲν εἰρήνῃ θρασεῖς, ἐν δὲ πολέμῳ δειλὰς, τουτέστιν ἀπανταχοῦ πονηράς. ὥστε μοι δοκεῖ ταύτῃ τὴς δικαίως εὐδένεια τῷ πολέμῳ χάριν, ὅτι βασανὸς ἐστι τοῦ περὶ τὴν καρδίαν αἵματος ἀκριβὴς, καὶ συχνὰς ἀλαζόνας ἀποδαλὼν μετριωτέρας ἡμῖν ἀποδίδωσιν: Eosdem homines in pace videas audaces, verùm in bello timidos, hoc est ubique improbos. Itaque mihi videtur hanc aliquis meritò habere bello gratiam, quod certissimus sanguinis cordi circumfusi index, & multos glorioſos adsumens, moderatiores nobis reddat.

Bene equidem tibi dico, qui te digna ut eveniant, precor.) *Carmen Plauti ex Rudente, act.* III. *sc.* II. *versu* XXVI.

Bene promittis multa: ex multis omnia incassum cadunt.] *Sunt iterum Plautina, extantia Pœnuli actu* I. *sc.* II. *versu* CXLVIII.

Bene quæso inter vos dicatis & mihi absenti tamen.) *Invenias istud in Milite Plautino, act.* IV. *sc.* VIII.

Bene-

Benefacta benefactis aliis pertegito ne perpluât.) *Istud quoq; Plauti est, petitum ex Trinummi actu* II. *sc.* II. *versu* XL.

Benefacis oratione; ad rem auxilium est emortuum.) *Habetur Plauti Epidico, act.* I. *sc.* II. *vers.* XIV.

C

CAptus est à Pœnis, non à Pœnis victus Regulus.) *Annæus libro* V. *de Beneficiis cap.* III: Virtus ac bona voluntas omnibus præstat, ne unquam vincantur: quoniam quidem etiam inter supervantia animus invictus est. Ideo nemo trecentos Fabios victos dicit, sed occisos: & Regulus captus est à Pœnis, non victus; & quisquis alius sævientis fortunæ vi ac pondere oppressus, non submittit animum.

Caritate Regi summus, & antecellit præmiis.) *Nero oratione sua ad Senecam:* Pudet referre libertinos qui ditiores spectantur. Vnde etiam rubori mihi est, quod præcipuus caritate, nondum omnes fortunâ antecellis. *lib.* XIV. *Annal. Tacitus cap.* LV. *f. Acutè P. Syrus:* Minimè amicus est, fortunæ particeps qui non tuæ est.

Castigare etiam videtur quisquis vitâ dissidet.) *Egregiè istud interpretatur & dilatat Lactantius, libro* V. *Divinar. Instit. cap.* IX.

Casus hoc minus experiundus, quo vicisti sæpius.) *Suetonius de Iulio Cæsare cap.* XL: Nec nisi tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est. quò sæpius vicisset hoc minus experiundos casus opinans: nihilque se tantum adquisiturum victoriâ, quantum auferre calamitas posset.

Castra

Castra justa, portus ad casum omnem sunt exercitus.) *Æmilius Paullus apud Livium libro* XLIV. *cap.* XXXIX: Majores vestri castra munita, portum ad omnes casus exercitus ducebant esse: unde ad pugnam exirent, quò jactati tempestate pugnæ receptum haberent. ideò cùm munimentis ea sepissent, præsidio quoque valido firmabant: quod qui castris exsutus erat; etiam pugnando acie vicisset, pro victo haberetur, &c.

Cavesis te superare servum firis faciundo bene.) *Plauti versus è Bacchidibus petitus act.* III. *scenæ* II. *versu* XVIII.

Caussa victi injusta semper, semper victoris bona.) *Vulgò quidem: opinione enim regitur mundus, non veritate aut ratione. unde ubique etiam*, Melius est quod fortius. *& verè Spartianus in vita Nigri capite* I: Rarum atque difficile est, ut quos tyrannos aliorum victoria fecerit, benè mittantur in literas: atque ideo vix omnia de his plenè in monumentis atque annalibus habentur. Primùm enim, quæ magna sunt in eorum honorem, à scriptoribus depravantur: deinde alia supprimuntur: postremò non magna diligentiâ in eorum genere ac vitâ requiritur; cùm satis sit audaciam eorum & bellum in quo victi fuerint, ac pœnam, proferre.

Cedo si hac urbe abis, amorem te heic relicturum putas?] *Inveniatur in Plauti Mercatore act.* III. *sc.* IV. *vers.* LXIX.

Certior nulla est voluptas quàm quæ jam eripi nequit.] *Id est quæ jam præteriit, quam percepimus. consulatur Senecæ liber tertius de Beneficiis cap.* IV. *m.*

Certaminibus erumpunt curæ privatæ in publicis]

cis] *Livius libro* VII. *cap.* XXI: Legis Liciniæ patrocinium tribuni jactabant: propior dolor favoris ingravescentis erat; curæque privatæ in certaminibus publicis erumpebant. *Tacitus libro* II. *Annal. cap.* LXXX. *m:* Piso Cæsaris se legatum testabatur provinciâ, quam is dederat, arceri, non à legionibus (earum quippe accitu venire) sed à Sentio, privatum odium falsis criminibus tegente.

Civium tutela Regi tradita est, non servitus.] *Seneca libro* I. *de Clementia cap.* XVIII: Servis imperare moderatè, laus est: & in mancipio cogitandum est, non quantum illud impunè pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura; quæ parcere etiam captivis & pretio paratis jubet. quantò justius hominibus liberis, ingenuis, honestis, non ut mancipiis abuti, sed his quos gradu antecedas, quorumque tibi non tradita servitus, sed tutela.

Clam coarguas propinquum, quem palam laudaveras.) *Auctor versus Ausonius est, sententiæ Solon Athenienses; quemadmodum etiam ejus qui præcessit:* Certa si decreta fors est, quid cavere proderit?

Codicem suum citare pro teste, arrogantiæ est.) *Tullius orationis pro Roscio Comœdo capite* II: Vsque eóne te diligis & magnificè circumspicis, ut pecuniam non ex tuis tabulis, sed ex adversariis petas? suum codicem testis loco recitare arrogantiæ est. suarum perscriptionum & liturarum adversaria proferre nonne amentia est?

Colere & facere omnes sapientes æquum est officium suum.] *Plauti versus è Sticho actu* I. *sc.* I. *vers.* XXXIX.

Colloquia simulata plures perdunt, quàm pugnæ

duces.) *Exemplorum abunde est. imò & Regum colloquia eosdem sæpe sortita sunt eventus; ut liquet ex Taciti libro* II. *Annal. cap.* LXV. *ubi Cotys interficitur à Rhescupori; libro* XII. *Annal* XLVII. *ubi Mithradaten occidit Rhadamistus. ad quæ loca, nos plura.*

Commoditatis articulos scire omnes; non est omnium.) *Etiam Plauti sententia, ex Menæchmorum actu* I. *sc.* II. *versu* XXXI.

Commodè malis posse uti, maxima est prudentia.) *Synesius Epistolâ* LVI: Καὶ γὰρ σοφίας ἔργον ἄμηχάνοις καὶ τοῖς κακοῖς ἐνδέονται χρήσασθαι.

Commoveare alieni injuriâ honestiùs quàm propriâ.] *Cicero lib.* III. *in Verrem cap.* LXXII. *m:* Minor esse cura nunc, Iudices, vobis disceptantibus debet; & tantò minor, quantò est honestius alienis injuriis quàm re suâ commoveri. *De Romanis Florus libro* I. *cap.* XVI: Precibus deinde Campaniæ motus, non pro se, sed quod est speciosius, pro sociis, Samnites invadit.

Conditionem ab hoste armato accipere Roma non solet.) *Desumpta ex Cæsaris lib.* V. *de bello Gallico.*

Confidentius nil illo quæ ipsa quæ vides negat.) *Dictum Plauti in Menæchmis, act.* IV. *sc.* II. *versu* LI.

Conscientiæ haud attendit, consulit qui adspectui.) *Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* XVIII. *p:* At Romæ trophea de Parthis, arcusq; medio Capitolini montis sistebantur: decreta ab Senatu, integro adhuc bello, neque tum omissa; dum adspectui consulitur, spretâ conscientiâ.

Consilium acre minus tutandæ, quàm cautum potentiæ est.) *Idem auctor lib.* XI. *Annal. cap.* XXIX. *m:* Callistus prioris quoque regiæ peritus, & potentiam cautis

cautis quàm acrioribus consiliis tutius haberi, &c.

Consilium haud facilè expeditur in malis ingentibus.) *Livius lib.* XXII. *c.* LV. *p:* Cùm malis sicut ingentibus, ita ignotis nec cōsiliū quidē satis expedirēt &c.

Consilia omnia firmiora sunt de divinis locis.) *Haustum de Plauti Mostellariâ, actu* V. *sc.* II. *versu* LV.

Consuetudinem hostium noviſſe, pars victoriæ est.) *Vegetius libro* IV. *cap.* XXVII. *p:* Non solùm in obsidionibus, sed in universo genere bellorum, supra omnia ducitur, hostium consuetudinem explorare diligenter, ac noſſe &c.

Consultum bene: inconsultum est, si inimicis fit usui.] *Sententia Plauti, actu* III. *scena* I. *versu* VI. *Militis.*

Consummatio virtutum continentia omnium est.) *Lactantius libro* VI. *cap.* XXIII: Quod continentiæ genus, quasi fastigium est omnium que consummatio virtutum.

Contra fortuita adspectu Rex cives refovet suos.) *Neronis verba sunt apud Tacitum libro* XV. *Annal. cap.* XXXVI. *m:* Vidisse civium mœstos vultus, audire secretas querimonias, quòd tantum aditurus esset iter; cujus ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti adversum fortuita aspectu Principis refoveri.

Contra obsequia sortis haud satis cauta est mortalitas.] *Curtius lib.* VIII. *cap.* XXIII. *m:* Roxane quamquam inter electas processerat, omnium tamen oculos convertit in se, maximè Regis, minus jam cupiditatibus suis imperantis, inter obsequia fortunæ, contra quam non satis cauta mortalitas est.

Copiosior redit spreta ipsa in tempore gloria.) *Livius libro* 2. *cap.* 47. *de Fabio Consule recusante trium-*

phante ob fratris mortem: Omni acto triumpho depositus triumphus clarior fuit. adeò spreta in tempore gloria interdum cumulator redit.

Contumeliam si dices, contumeliam audies.) *Versus Plautinus elegans è Pseudoli actu* IV. *scenâ* VI. *versu* LXXVII.

Corporis figura tacita, qualis homo sit, indicat.) *Cicero Oratione pro Roscio Comœdo, capite* VII: Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (si quam conjecturam adfert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, mendaciis, constare totus videtur?

Corporique animoque confert Regio venatio.) *Libro* V. *Onomastici Julius Pollux*: Τὸ πυῤῥιχικὸν ἡρωϊκὸν, καὶ πρὸς εὐζωματίαν ἅμα καὶ εὐψυχίαν ἀσκεῖ, καὶ ἔστιν εἰρηνικῆς τε καρτερίας ἅμα καὶ πολεμικῆς τόλμης μελέτημα: Hoc studium heroicum est, & ad corporis animique bonam constitutionem confert: estque tam placidæ fortitudinis, quàm militaris audaciæ specimen.

Corpore pinguefit splen vivo; mortuo illo intercidit.] *Belle usurpetur circa clientes & patronos, aliaque relativa. Synesius Epistolâ* LXIX: Εὐτυχεῖς μὲν οὐ ἀτυχῶσιν· ἐγὼ δὲ τῇ πόλει συναπολλύμαι, ἴσθι μέν τι καὶ φῶς, ὅτι φύσεώς ἐστι νόμος, ἐμπεδιέχεσθαι τῷ καθόλου τὰ μέρη· καὶ ὅταν πάνυ πολὺς ἀπὸ τῆς ὅλης τοῦ σώματος συμφορᾶς ὁ σπλὴν αὐξηθῇ. ἕως μὲν ἀντέχει τὸ ὅλον ἀβλαβὲς τε καὶ παίνετον· ἀπολλυμένου δὲ συναπόλλυται· καὶ σὺ τὸ παρὸν ἀπεμέμνου, λήσεις τοῖς σαυτοῦ πολιτεύμασιν εἰμαρμένην τῆς πατρίδος τε

ὢν

ὢν, καὶ Σαυτοῦ: Beatus enim es inter miseros. Ego autem cum civitate una sum miser. Attamen certò scias, naturæ legem esse ut partes toto contineantur. & cùm magnus ex corporis calamitate splen creverit, quamdiu resistit totum corpus, bene habitus ut sit & pinguescat: morienti tamen corpori ut commoriatur. & tu in præsens bene tibi consulens, latebis ob facta tua, fatum patriæ existens, & tui ipsius.

Corpora pluribus majora morbis, brevia quàm patent.) *Fictum ex Senecæ Agamemnone, versu* CIV.

Corrigit animadversionum mores urbis paucitas.) *Id luculenter ostendit rationibus atque exemplis Seneca libro* I. *de Clementiâ cap.* XXII.

Creditur facilè, nisi quis respondeat, mendaciis.) *Iis ferè verbis utitur Tertullianus principio Apologetici.*

Criminis medicina princeps, ipsa pœnitentia.) *Arrianus de Expeditionibus Alexandri Magni lib.* VII. *sub finem*: Ἀλλὰ μεταγνῶναί γε ἐφ' οἷς ἐπλημμέλησε, μόνῳ οἶδα τῶν πάλαι βασιλέων Ἀλεξάνδρῳ ὑπάρξαι ὑπὸ ἠλιθιότητος· οἱ δὲ πολλοὶ, εἰ καί τι ἔγνωσαν πλημμελήσαντες, τῷ θεῷ ἐπηρείᾳ αὐτὸ ὡς καλῶς δὴ πραχθέντος, ἐπικρύψειν οἴονται τὴν ἁμαρτίαν κακῶς γιγνώσκοντες. μόνη γὰρ ἔμοιγε δοκεῖ ἴασις ἁμαρτίας, ὁμολογεῖν τε ἁμαρτάνοντα, καὶ δῆλον εἶναι ἐπ' αὐτῷ μεταγνώσκοντα. ὡς τῆς παθοῦσά τι ἄχαρι ἅπαντα χαλεπὰ τὰ παθήματα φαινόμενα, εἰ ὁ δρᾶσας αὐτὰ ξυγχωροίη ὅτι ἃ καλὰ ἔδρασεν· αὐτῷ τέ τινι ἐς τὸ μέλλον ταύτην ἐλπίδα ἀγαθὴν ὑπολειπομένην, μήποτε ἂν ἐς τὸ πλησίον τι ἁμαρτεῖν, εἰ τοῖς

πρόθεν πλημμεληθεῖσιν ἀχθόμενος φαίνεται: Cæterùm delicti pœnitentia duci, id ego soli Alexandro inter veteres reges, tanquam eximium ac genuinum quiddam adscribo. Plerique enim, tametsi alicujus delicti conscii sibi sint, tuentes id ut rectè factum, obtegere se culpam suam putant: iniquè statuentes. Vnicam enim peccati medicinam esse censeo, peccati agnitionem & confessionem, manifestumque pœnitentiæ documentum edere. Nam qui injuriam accepit, non ita graviter læsum sese judicat, si is qui læsit perperam sese feciſſe fateatur: & bona alicui spes fit, se non amplius injuriâ affectum iri, si is qui affecit, pœnitentiam facti sui præ se ferat.

Crimen, absque Principis mandato, & ipsum vincere est.) *Id tantum non suo exitio expertus Quintus Fabius, sub Dictatore Papirio; ut pluribus videre est apud Livium libro* VIII. *cap.* XXX. *& aliquot sequentibus. Sed & Titus Vespasianus ad milites suos*: Pronunciatur de Duce, cujus præceptum dissolvitur: nec dubium quòd sæpius vindicatum sit in eos qui contra imperium in hostem pugnaverint, quàm in eos, qui secundum imperium progressi, virtuti cesserint. nam legibus egredienti ordinem, præscripta mors est. Quid igitur futurum, ubi non unus, sed passim exercitus relinquit ordinem suum, & statutum Ducis negligit? Cognoscite vos, milites, esse Romani imperii, plebis, Senatus; apud quos sine præcepti auctoritate, & vicisse crimen est. *Egesippus lib.* V. *cap.* VII.

Criminis plerumque causa, delegatur mortuis.] *Hir-*

Hirtius libro VIII. *de Bello Civili, capite* XXI. *f:* Scire atque intelligere se, causſam peccati facillimè mortuis delegari, &c.

Cui homini Dii propitii ſunt, aliquid objiciunt lucri.) *Viſitur in Plauti Persâ, verſu* I. *actus* IV. *ſcenæ* III.

Cui amicus ipſe non es, amicus ille nec tibi eſt.) *Seneca Epiſtolâ* XIX: Nullum habet majus malum occupatus homo, & bonis ſuis obſeſſus, quàm quod amicos ſibi putat, quibus ipſe non non eſt, &c.

Cùm Deo fundata durat longiùs felicitas.) *Pindarus:* Σιὼ θεῷ δὲ τοι φυτευθεὶς ὄλβος, ἀνθρώποισι παρμονώτερος: Divinitus Plantata felicitas, hominibus durabilior eſt.

Cùm dominos decimat tyrannus, decima vix dominis manet.) *Rationes lepidè promit Dio Caſſius libro* XLVII. *geſtis anni Urbis conditæ* DCXCII: Τῷ μὲν γὰρ λόγῳ τὸ δέκατον τῆς οὐσίας παρ' ἑκάστου ςφῶν ἐπράχθη, ἔργῳ δὲ οὐδὲ τὸ δέκατον ἴσον κατελείφθη. ἐπειδὴ γὰρ ὁ ῥητόν τι δέγυμνον πρὸς πᾶν τῶν κτημάτων ἀξίαν ἐσενεγκεῖν ἐκελεύσθησαν, ἀλλ' ἐπ' αὐτοῖς αἱ τιμήσεις τῶν ςφετέρων ἐγίνοντο, καὶ τόπου ὡς οὐκ ὀρθῶς αὐτὰ τετιμημένοι διεβάλλοντο, καὶ τὰ λοιπὰ πρόσαπαν ὤλυσαν. οἱ δ' οὖν ἴσοι τοῦ τὸ πᾶν διέφυγον. ἀλλ' ὑπό τε τῶν τάξεων ἐς γένος κατακλειόμενοι, καὶ δέγυμνα διεσῶς ἀπαιτίζοντες, πάντων δὴ αὐτοὶ τρόπον τινὰ ἀπέστερουντο: Verbo quidem decima pars bonorum ab unoquoq; eorum exigebatur, quum re ipſa nemini ne decima

quidem pars suorum relinqueretur; quum non certa quædam pecuniæ summa pro ratione facultatum pendi juberetur, sed cuivis suarum ipsi æstimandarum necessitas incumberet: ac deindè quasi non verè suum censum professi essent, delati, etiam reliquum perderent. Quod malum si qui effugissent, tamen tributis his in arctum redacti, quum argenti magna esset apud eos penuria, sic etiam quodammodo omnibus suis rebus spoliabantur.

Cùm nihil refert, pudet quem: cùm refert, nihil pudet.] *Sententia est à Plauti Epidico, act.* II. *sc.* I. *versu* I.

Cùm venena non procedunt, vis tyranna ferro agit.] *Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* XL. *p:* Sequitur cædes Annæi Senecæ, lætissima Principi, non quia conjurationis manifestum compererat; sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat.

Cuncta animus ferat generosus, præter contumeliam.) *Cestius Pius libro* IX. *Controversiâ* I: Non potest generosus animus contumeliam pati.

Cuncta atrocia aut pudenda Romuli in urbem confluunt.) *Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* XLIV. *m:* Repressaque in præsens exitiabilis superstitio, rursus erumpebat, non modò per Iudæam, originem ejus mali; sed per urbem etiam; quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque.

Cuncta, etiam Invidia, infra Regum magnitudinem jacent.) *Sic quidem ipsis insusurrant Placentini, sed Veronenses negant; cujus hic est sermo:*

Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux,

Post

Post ingentia facta, Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella.
Componunt, agros adsignant, oppida condunt;
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis. diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.
Vrit enim fulgore suo, qui prægravat artes
Infra se positas: extinctus amabitur idem.

Horatius libro altero Epistola prima ad D. Augustum.

Cuncta pessum erunt, eodem ubi sunt loco boni ac mali.] *Polybius libro* VI. *cap.* XII: *de præmiis & Pœnis:* Οἷς ζωὲχονται μόνοις καὶ ἀσφαλεῖαι καὶ πολιτεῖαι, καὶ συλλήβδην πᾶς ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος. παρ' οἷς μὲν γὰρ ἡ μὴ γινώσκεσθ ζυμβαίνει τὴν τοιαύτην διαφορὰν, ἢ γινωσκομένην χειρίζεσθ κακῶς, ἆρα τότοις ἔσθ' οἷόν τε λέγειν διοικεῖσθαι τῶν ὑφεστώτων. πῶς γὰρ εἰκός; ἐν ἴσῃ τιμῇ ὄντων τ' ἀγαθῶν τοῖς κακοῖς: Quibus solis & principatus & Respublicæ, & universa hominum vita continetur. nam apud quos nullum inter ista discrimen agnoscitur, aut agnoscitur quidem, verùm ea pars malè administratur: apud hos nulla res ratione recta potest gubernari. ubi enim boni malique eodem loco sunt, quid recti esse queat? *adde Plinium, libro* VIII. *Epistolâ* II. *f. Catonis verba in Catilinariâ Sallustii capitis* LII. §. XLIII. *f. item apud eundem orationem Lucij Philippi in Senatu habitam.*

Cuncta consiliis trahunt, non & sequuntur

Principes.) *Livius libro* IX. *cap.* XVIII. *f:* At herculè reges non liberi solùm impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumque, trahunt consiliis cuncta, non sequuntur. *De Germanico Tacitus libro* II. *cap.* LXXIII: Quod si solus arbiter rerum, si jure & nomine regio fuisset, tantò promptiùs adsecuturum gloriam militiæ, quantum clementiâ, temperantiâ, cæteris bonis artibus præstitisset. *Huc spectat & illud Cæsaris libro* III. *de Bello civili, capite* II. *p:* At plerique existimant, si acrius insequi voluisset, bellum eo die potuisse finiri. cujus consilium reprehendendum non videtur. aliæ enim sunt legati partes atque Imperatoris: alter omnia agere ad præscriptum, alter liberè consulere ad summam rerum debet.

Cuncta rebus dant secundis Dii, mentem præter bonam.) *Annibal ad Scipionem:* Quod si in rebus secundis bonam quoque mentem darent Dii, non ea solùm quæ evenissent, sed etiam ea quæ evenire possent, reputaremus.

Cuncta scelera Regis assentator pro egregiis habet.] *Tacitus libro* XIV. *Annal. cap.* LX. *p:* Igitur accepto Patrum consulto, postquàm cuncta scelerum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam, sterilem dictitans: exin Poppææ conjungitur.

Cuncta Regi adsunt, modò adsit Veritatem qui efferat.] *Inde Isocrates Nicocli:* Τὸν δὲ βασιλέα δεῖ μετ' εὐνοίας μᾶλλον ἢ λόγου ποιεῖσθαι: *Seneca quoque libro* VI. *de Benefic. cap.* XXX: Omnia sanè excluserit opulenta felicitas; monstrabo tibi, cujus rei inopiâ laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit? Scilicet ille qui verum dicat, & hominem inter mentientes

entes ſtupentem, ipsâque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à conſenſu concentuq; falſorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat exſtincta libertas, & fides inter obſequium ſervile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententiâ ſuadet diſſuadetque; ſed adulandi certamen eſt, & unum amicorũ omniũ officium, una contentio, quis blandiſſimè fallat?

Cuncta ſunt loca honeſta res defenditur queis publica.) *Sermo eſt de ordine in exercitu, quem conſequuntur Ducum opera milites. videatur Spurii Liguſtini oratio ad populum apud Livii librum* XLII. *cap.* XXXIV. *f.*

Cur tu aquam gravare, amabo, quam hoſtis hoſti commodat?) *Plautini ſervi verſus è Rudente, act.* II. *ſc.* IV. *verſ.* XXI. *f.*

D

DA Deus virtutem opesque; da virtutem, eja, atque opes.) *Callimachi ſunt:* -δὸς δ' ἀρετὴν τ' ἄφενός τε, σὺ γὰρ τάδε πάντα δύναιο· δῶκε γὰρ ἀνδρὶ κακῷ κλέος ἐξοχον ἄνδρας ἀέξειν, σὺν δ' ἀρετῇ ἄφενος. δὸς δ' ἀρετὴν τε καὶ ὄλβον: Da mihi virtutem & opes: Neque enim ſine virtute opes poſſunt homines juvare, Neque virtus ſine opibus. da mihi igitur virtutem & opes.

Damna famæ, damnaque fidei, æſtimari non queunt.) *Senatores Romani apud Livium libro* III. *cap. ultimo:* Etiamſi fas ſit, curam emolumenti ſui judici eſſe, nequaquam tantum agro intercipiendo acquiratur, quantum amittatur, alienandis injuriâ ſociorum animis. nam famæ quidem ac fidei damna majora eſſe, quàm quæ æſtimari poſſent.

Damna non ſentire, non eſt hominis; non ferre, haud viri eſt.) *Conſolatione ad Polybiũ Seneca:* Non ſentire

tire mala sua, non est hominis; & non ferre, non est viri. *cap.* XXXVI.

Damnosa est apud nos, fœda apud exteros negratia] *Posuit* ne-gratiam, *pro* ingratitudine: *prorsus novè, nisi fuerit potius antiquum. de quo viderint Critici. interim respexit fictor ad illa Livii libro* XLV. *cap.* XXXVIII: Hæc igitur primum infamia deleatur, fœda apud alias gentes, damnosa apud nostros. quis enim Africani, aut Paulli similis esse in ingratâ & inimicâ bonis civitate velit?

Dant ad liberè loquendum animum miseriæ ultimæ.) *Voces sunt legatorum Locrensium in Senatu Romano, apud Livium libro* XXIX. *cap.* XVII. *m.*

De facie exteriore conspicéris ingenium intimum.) *De Socrate Apulejus libro de dogmate Platonis:* Quem ubi adspexit ille, ingenium intimum de exteriori conspicatus est facie, &c.

De improbis viris, auferre præmium & prædam decet.) *Legitur apud Plauti Pseudolum, act.* IV. *scena* VI. *versu* CXXVII.

De mendico malè meretur, qui dat quod edit aut bibat.) *Etiam istud à Plauto; Trinummi scilicet versus* LVII. *act.* II. *sc.* II.

Debet invitus, nimis citò cupit qui solvere.) *Totidem invenias literis, ordine sed alio apud Senecam libro* IV. *de Beneficiis capite postremo.*

Decrepitus senex amator, signum pictum in pariete est.) *Carmen è Plauti Mercatore, act.* II. *sc.* II. *vers.* XLIV.

Delinquentium peccata, vires sunt tyrannidis.] *Sarisberiensis libro* VIII. *cap.* XX: Et hic quidem modus delendi tyrannos utilissimus est & tutissimus, si qui

qui premuntur ad patrocinium clementiæ Dei humiliati confugiant, & puras manus levantes ad Dominum, devotis precibus flagellum quo affliguntur avertant. peccata enim delinquentium vires sunt tyrannorum.

Deluctarier cum Antæo quàm cùm Amore malim.] *Reperias in Plauti Persâ, act.* I. *scenæ* I. *vers.* IV.

Dexterâ quæ dantur, haud capienda sunt lævâ manu.] *Polybius Excerpto Legationum* CXLV. §. II. *p:* Τὸ δὲ ἔθνος, καθάπερ ἡ παροιμία ἔφη, ὃ μόνον τὲ διδόμενα τῇ δεξιᾷ ἀλλὰ Ρωμαίων ἐδέχοντο τῇ λαιᾷ χερὶ &c. At gens Achæorum non solum quæ dextrâ dabantur à Romanis, ut est in proverbio, lævâ accipiebant manu &c.

Dii Deæque hominem adjuvant cui suppetunt res prosperæ.) *Exstat in Plauti Epidico, act.* III. *sc.* III. *vers.* XVI.

Dii modis mirisque exemplis somnia in somnis danunt.] *Et hoc quoque ab eodem Umbro; Mercatoris, inquam, actu* II. *scenâ* I. *versu altero.*

Difficile imperium in malos est, facile est imperium in bonos.] *Natum ex Milite Plauti, act.* III. *sc.* I. *vers.* XVII.

Difficile mulier semel fit, quæ mulier fieri timet.] *Voces Tertulliani libro de virginibus velandis, cap.* XIV.

Diligentius vivit, cui aliquid supereſt integri.) *Seneca libro de Clementiâ cap.* XXIII: Ipsos facilius emendabis minore pœnâ. diligentius enim vivit cui aliquid integri supereſt. nemo dignitati perditæ parcit. *addatur Dio Cassius libro* LVII. *sub finem actorum anni urbis conditæ* DCCLXVII.

Dignitate quos præstas, etiam supera virtutibus.) *Vale-*

Valerius Maximus libro III. *cap.* II: Scipio Æmilianus, cùm in Hiſpaniâ ſub Lucullo duce militaret, atque Intercatia prævalidum oppidum circumſederetur, primus mœnia conſcendit. neque erat in eo exercitu quisquam aut nobilitate, aut animi indole, aut futuris actis, cujus ſaluti magis parci & conſuli deberet. ſed tunc clariſſimus quisque juvenum, pro amplificandâ & tuendâ patriâ, plurimum laboris ac periculi ſuſtinebat; deforme ſibi exiſtimans, quos dignitate præſtaret ab his virtute ſuperari.

Divide auri inter Duces parum: trahet ſpes militem.) *Ratio certè non inepta, quâ cohibeamus integros exercitus ne diffluant & diſſipentur. Livius libro* XLIV. *cap.* XXVI: Ipſe equos phalerasque & ſagula donum principibus ferre, & parum auri quod inter paucos divideret; multitudinem credens trahi ſpe poſſe.

Diviti ſi quid bene facias, levior plumâ eſt gratia.) *Vſurpatur in Pœnulo Plautinâ, verſ.* XVII. *actus* III. *ſc.* V.

Divum atque hominum ſors ſpectatrix atq; hera eadem eſt hominibus.) *Verſus ejuſdem Comici è Mercatore, actu* III. *ſc.* IV. *verſu* XII.

Doctos fieri te de aliis, quàm alios de te ipſo ſuaviuſt.) *Et hoc quoque ejuſdem Vmbri eſt, ex Perſâ ſcilicet, act.* IV. *ſc.* II. *verſu* LXX.

Doctus in aula ſimilis eſt revinctæ ad truncum Simiæ.) *Lucianus, libro de conductis mercede:* Καὶ ὥσπερ οἱ πίθηκοι, κλοιῷ δεθεὶς ἢ τραχήλου, ἄλλοις μὲν γέλωτα παρέχεις: Ac perinde ac ſimia à trunco revinctus collo, reliquis quidem omnibus riſui es &c.

Dominandi cupido cunctis caldior eſt affectib.) *Tacitus libro* XV. *cap.* LIII. *f:* Niſi ſi cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior eſt.

Dux

Dux vias locosque norit ad quæ pergit cum suis.) *Sermo est de duce militari. Polybius libro* IX. *cap.* XIII. *p.* Κάλλιστον μὲν οὖν τὸ γινώσκειν αὐτὸν καὶ τὰς ὁδοὺς, καὶ τὸν τόπον ἐφ' ὃν δεῖ παραγενέσθαι, καὶ τὴν φύσιν τοῦ τόπου: Optimum sanè est ducem ipsum vias habere notas, & locum ad quem est veniendum, & loci naturam &c.

E

E Malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.) *Est è Plauti Sticho, versu* LXIII. *scenæ secundæ, actus primi.*

Ebrietate fervor turpis exardet libidinis.) *Minutius Felix in Octavio:* Illic post multas epulas, ubi convivium caluit, & incestæ libidinis ebrietate fervor exarsit.

Ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud desidero.] *Legas in Plauti Mercatore, act.* I. *scenæ* II. *vers.* XXXVII.

Ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.) *Hoc etiam restat in Plauti Milite, actus* II. *scenæ* III. *versu* LXXVI.

Eia, Lyde, leniter qui sæviunt, sapiunt magis.) *Et istud quoque ab eodem auctore Bacchidum nempe versu* IV. *actus* III. *sc.* III.

Est honos homini pudico meminisse officium suum.) *Invenias in Plauti Trinummo, actus* III. *scenæ* II. *versu* LXXII.

Est immunis cui nil est quei munus fungatur suũ.] *Ex eadem Trinummo versus 72. actus 2. scenæ 2.*

Est

Est is amicus, qui in re dubiâ re juvat ubi re est opus.) *Plautinum est, ex Epidici actu* I. *sc* II. *versu* X.

Est levamen in malis, noviſſe quo pereas malo.) *Factum* VIII. *versu Agamemnonis Senecæ 492.*

Est quidem jus pernam ponere frigidam poſtridie.) *Reperias in Plauti Persâ, actus* I. *scenæ* III. *versu* XXV.

Est senectuti solenne rursum repueraſcere.) *Verſus ex Comici Mercatore, actus* I. *scenæ* III. *numero* XXV.

Est voluptas, quod agas, si id procedit ex sententiâ.) *Verſus* I. *actus* IV. *scenæ* I. *Moſtellariâ*

Et bonam Regis naturam comites faciunt peſſimam.) *Certè Conſtantium Imperatorem, per se non admodum clementem, ab hujusmodi belluis redditum atrociorem, deplorat Julianus Imp. Epiſtolâ ad Hermogenem Ægypti præfectum.*

Et suo amor jubet obedientem esse servo liberum.) *Viſitur in Plauti Pœnulo, actus* I. *scenæ* III. *versu* XXXIX.

Etsi abest, herum arbitratur adesse servus qui bonust.) *Hoc quoque habes in ejusdem Umbri Pseudolo; act.* IV. *sc.* VI. *versu* II.

Ex suâ naturâ homines antiqui fingunt ceteros.) *Verba sunt Ciceronis ex Orationis pro Roſcio Amerino cap.* IX. *f.*

Ex suo nil delibare tempore, est summi viri.) *Seneca de brevitate vitæ, cap.* VII. *p.* Magni mihi crede, & supra humanos errores eminentis viri est, nihil ex suo tempore delibare: & ideo vita ejus longiſſima est, cui quantumcumque patuit, totum ipsi vacavit, &c.

Exequiæ à promiscuo secernunt funere nobiles.) *Tacitus*

Tacitus libro XVI. *Annal. cap.* XVI. *f.* Detur hoc illustrium virorum posteritati; ut quomodo exsequiis à promiscuâ sepulturâ separantur; ita in tradatione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.

Exorando, haud adversando sumendam operam censeo.) *Versus Plauti è Sticho* XXII. *act.* I. *sc.* II.

Exteris legationum sancta jura, haud civibus.] *Id & firmat Cicero in Philippicis, & Livius libro* VI. *cap.* XVIII. *p. & Dio Cassius sub finem orationis Tullij ad Fusium Calenum libro* XLV.

F

FAcile est inventu; datur ignis tametsi ab inimicis petas.) *Exstat in Plauti Trinummo. actus* III. *sc.* II. *vers.* LIII.

Fama nomen incerti est: ubi certum est, non habet locum.) *Verba ferè sunt ex Apologetico Tertulliani.*

Famæ rerum standum, ubi fidem vetustas derogat.] *Sententia Livii, libro* VII. *cap.* VI. *m.*

Feminæ dum dos sit, nullum vitium vitio vertitur.] *Carmen Plauti, è Persâ ejus, actu* III. I. *scenâ* I. *versu* LIX.

Feminæ vesti quotannis nova inveniunt nomina,) *Etiam istud est Plautinum ex Epidici act.* II. *scenâ* III. *versu* XLV.

Festuca est libido; accenditur citò, citò est Cinis.) *D. Ambrosius:* Libido veluti festuca est; citò accenditur, properè consumitur.

Fidelissimus est ad honesta ex pœnitetiâ transitus.]

Seneca præfatione libri III. *Natur. quæst:* Quidquid amissum est, id diligenti usu præsentis vitæ recolliget. fidelissimus ad honesta ex pœnitentiâ transitus.

Filio scelus est parenti proloqui mendacium.) *Formatum ex Plauti Mercatore, actus* I. *scenæ* II. *versu* XCVI.

Filiorum haud cogitanda vota sunt, sed commoda.) *Sidonius libro* VII. *Epistolâ* IX: Bonoviratus æmulus suis, magis prodesse, cupiens quàm nocere, severis patribus comparandus, qui juvenum filiorum non tam cogitant vota quàm commoda.

Firmior fides est quam reponit pœnitentia.) *Lactantius libro* V. *cap.* XIII: Nullus est tam malus Dei cultor, qui datâ facultate, ad placandum Deum non revertatur, & quidem devotione majori. Peccatie nim conscientia, & metus pœnæ religiosiorem facit: & semper multò firmior est fides, quàm reponit pœnitentia

Floribus miser non gaudet, at beatus non eget.) *Minutius Octavius:* Ego vos hoc magis miror, quem admodum tribuatis exanimi, aut non sentienti facem, aut non sentienti coronam: cùm & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus.

Forma nil est, quàm sepulcrum purpuræ fuco illitum.) *Dictum Divi Chrysostomi.*

Fortiter victus lucratur extimum in malis decus.] *Factum ex Agamemnonis Annæani versu* DCXXII.

Fortitudini usque occultè insidiatrix Imbellia est.) *Simile est cum illo Cointi Calabri:* Κρυβδα δ' ἀναλκιδες αἰεν ἀγαυοπερας λοχόωσι.

Fortium è vulneribus gloriæ plus manat quàm sanguinis.) *Valerius Maximus libro* III. *cap.* II. Tui quo-

quoque clarissimi excessus, Cato, Vtica monumentum est, in quâ ex fortissimis vulneribus tuis plus gloriæ quàm sanguinis manavit.

Fortuna horæ unius, centum annorum evertit glorias.) *Annibal Scipioni apud Livium libro* XXX. *cap.* XXX. *m:* Melior tutiorque est certa pax, quàm sperata victoria. hæc in tua, illa in Deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in unius horæ dederis discrimen &c.

Fortunam ducem libenter non sequi turpissimum.) *Isocrates Oratione apud Philippum:* Αἰσχρὸν ἐν ἐστι καλῶς τῆς τύχης ἡγεμένης ἀκολουθῆσαι, καὶ μὴ ῥᾳδίως αὐτὸν ἃ βέλεται σε προάγειν: Turpe fuerit, fortunam rectè præeuntem non alacriter sequi, neque ultrò ad majora vocanti obtemperare.

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam perhibent Philosophi.) *Laudatur hic versus tanquam Pacuvii, apud auctorem libri ad Herennium* II. *cap.* XXII.

Fructum iniquè aliquis legat sub arbore quam non severit.] *Livius libro* X. *cap.* XXIV: *In concione, ut inter militares viros, & factis potius quàm dictis fretos, pauca verba habita. Fabius, quam arborem conseruisset, sub eâ legere alium fructum, indignum esse dicere &c.*

Fulgida est bonorum, ultra aurum, ultra gemmas concordia.) *Citatur è Lyricis apud Platonem Epistolâ ad Dionysium:* Οὐ χρυσὸς ἀγλαὸς, οὐδ' ἀδάμας οὕτως ἀσφαλεῖς ὄψιν, ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφροσύνων νόησις.

Fulmina sunt justissima illa, quæ etiam percussi colunt.) *Voces sunt Senecæ è captæ* XXXII. *consolationis ad Polybium.*

G

GLoriæ ambitio, virorum adfectus est felicium.] *Tacitus de congressu Pati & Corbulonis libro* XV. *cap.* XVI. *f.* Vix præ fletu usurpata salutatio. decesserat certamen virtutis, & ambitio gloriæ, felicium hominum adfectus. sola misericordia valebat, & apud minores magis.

Gloria ut virtus parit, sic gloria æmulos parit.) *Videatur Ciceronis oratio pro Amerino, cap.* XXV. *f.*

Gloriatio importuna haud longè abit ab insaniâ.] *Pindarus:* Τόγε λοιδορῆσαι Θεοῖς, ἐχθρὰ σοφία, καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν μανίαισιν ἐπωκέει: Convitiari Diis inimica sapientia est: importunaque gloriatio Insaniæ consonat.

Grandium scelerum minister, tanquam exprobret cernitur.) *Tacitus libro* XIV. *cap.* LXII. *p.* Et visus idoneus maternæ necis patrator Anicetus, classi apud Misenum præfectus, levi post admissum scelus gratiâ, dein graviore odio: quia grandiorum scelerum ministri quasi exprobrantes adspiciuntur.

Gratias agas; id finis cum dominante est omniû.) *Tacitus libro* XIV. *cap.* LVI. *f.* Seneca (qui finis omnium cum dominante) grates agit &c.

Gratius venit facili quàm plenâ quod venit manu) *Annæus libro* I. *de Benef. cap.* VII: Ingrata sunt, licet re ac specie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut excidunt: multoque gratius venit, quod facili, quàm quod plenâ datur manu.

Hæc

H

HÆc facetia est, amare inter se rivales duos.) *Plautinus versus* XLVII. *è Sticho, actus* V. *scenæ* IV.

Haud cujuslibet est, quæ in rem suam sint, ut possit loqui.] *Ejusdem auctoris dictum, è Mercatoris actu* I. *scenâ* I. *versu* XXXIV.

Haud decorè quærites infamiâ amici gloriam.) *Tacitus libro* XIV. *cap.* LVI: Non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam parat, inde gloriam sibi recipere.

Haud decet Deos Regesve memoria injuriæ in crastinum.) *Lucianus in Caucaso:* Ἐς δὲ τὸ ἄυριον παμιδεσθαι τὸ μῖσος καὶ μνησικακεῖν, καὶ ἐωλόν τινα μνήμην διαφυλάττειν ἄπαγε, ὅτε θεοῖς πρέπον, ὅτε ἄλλως βασιλικόν: In crastinum continere odium, & meminisse injuriæ veteris, haud quaquam reges deceat, nedum Deos.

Haud facit partus parentem, verùm ipsa educatio.) *D. Chrysostomus Homiliâ de nativitate septem Macchabæorum:* Οὐ γὰρ τὸ τικτειν μητρὸς, τοῦτο γὰρ τῆς φύσεως, ἀλλὰ τὸ θρέψαι μητρός, τοῦτο γὰρ προαιρέσεως: Non partus, qui naturæ est, sed educatio matres facit, quæ est voluntatis.

Haud minus populatione hostem teras quàm prælio.) *De Romulo Livius libro* I. *cap.* XV. *m:* Vrbe validâ, muris ac situ ipso munitâ, abstinuit: agros rediens vastat, ulciscendi magis quàm prædæ studio. eâque clade haud minus quàm adversâ pugnâ subacti Tejentes, pacem petitum oratores Romam mittunt.

Haud parte æquâ erit contentus qui omnia sperat consequi.) *Cæsaris legatus ad Pompeium:* Hoc unum esse tempus de pace agendi, dum sibi uterque confideret, & pares ambo viderentur. si verò alteri paullulum modò tribuisset fortuna, non esse usurum conditionibus pacis eum qui superior videretur; neque fore æquâ parte contentum, qui se omnia habiturum confideret. *libro* III. *Cæsaris de bello civili, cap.* X. *f.*

Haud magni fortuna momenti Imperatori est bono.) *Fabius apud Livium libro* XXII. *cap.* XXV. *f.* Si penes se summa imperii consiliique sit, propediem effecturum, ut sciant homines, bono Imperatori haud magni fortunam momenti esse; mentem rationemque dominari &c.

Herculè miserum, ingratum esse homini id quod facias benè.) *Est Plauti ex Epidico, actus* I. *scena* II. *versu* XIII.

Heu quàm acerbum est pro benefactis cùm mali messem metis!) *Est ex eodem Epidico, actu* V. *scena* II. *versu* LII.

Heu quantum mali suis parentes optant liberis!) *Seneca Epistolâ* LX: Queror, litigo, irascor. Etiamnum optas quod tibi optavit nutrix tua, pædagogus, aut mater. nondum intelligis quantum mali optaverunt. o quàm inimica sunt nobis vota nostrorum! eo quidem inimiciora quò cessere felicius. Iam non admiror, si omnia nos à primâ pueritiâ mala sequuntur: inter exsecrationes parentum crevimus.

Hora quævis fert superbas ex alto in planum domos.) *Factum ex Seneca versu qui exstat Agamemnone numero* LXXXIV.

Hospi-

Hospitem nostrum putamus sæpe, qui hostis est merus.] *Conflictus ex Bacchidum versu* XIX. *actu* II. *scenæ* II.

Hostibus sunt sanctiores, cum armis qui veniunt in fidem.) *Vtitur iis vocibus Seneca lib. de Tranquill. animi, cap.* III. *ceterùm versus sibi non constat.*

I

IDem animus est in paupertate, qui olim in divitiis fuit.) Est à Sticho Plauti, *actu* I. *scenâ* II. *versu* LXXVIII.

Illectum magis meretricis sapiens, quam lectum timet.) *Et hoc est è Plauti Bacchidibus, act.* I. *scenæ* I. *versu* XXII.

Illicò vixit amator, ubi ille lenoni placet.) *Legas in Pseudolo Comici, actu* I. *scenâ* III. *versu* LXXV.

Illum ego periisse duco, cui quidem periit pudor.] *Istud quoque ejusdem Umbri, actu* III. *scenâ* III. *versu* LXXXI. *Bacchidum.*

Immemorem memorem facit, qui quod memor meminit monet.) *E Pseudolo actus* IV. *scenæ* I. *versu* XXX.

Imperii vires sunt in consensu obedientium.) *Legitur apud Livium libro tertio.*

Impiger sibi invenit, ut post si velit, piger fiet.) *Restat in Plauti Rudente, actu* IV. *scenâ* II. *versu* XIX.

Impii sunt qui se fieri scelere quærunt nobiles.] *Natum ex Plauti versu* X. *actu* IV. *scenæ* II. *Rudentis.*

Improbos boni potissimum antecedunt spe

bonâ.) *Synesius Epistolâ* CIII: Οὐκ ἤκιστα δὲ μόνοι πλεονεκτοῦσιν, ὡς ὁ παλαιὸς λόγος, οἱ χρηστοὶ τῶν πονηρῶν, ταῖς ἀγαθαῖς ἐλπίσι: Vel maximè superant, ut in veteri proverbio est, probe improbos bona spe.

Improbus beneficium sumere scit, sed nescit reddere.] *Dictum è Plauti Persâ, actu* V. *sc.* I. *vers.* X.

In bono hospite atque amico quæstus est quod sumitur.] *Etiam Ejusdem Comici ex Militis act.* III. *sc.* I. *versu* LXXIX.

In discordiâ civili tuta festinatio est.) *Tacitus libro* I. *Histor. cap.* LXII. *p.* Instare miles, arma poscere, dum Galliæ trepident, dum Hispaniæ contentur. non obstare hiemem, neque ignavæ paci moras. Invadendam Italiam, occupandam urbem: nihil in civilibus discordiis festinatione tutius; ubi facto magis quàm consulto opus esset.

In foro vix decimus quisque est, qui ipsus sese noverit.) *Haustum è Plauti Pseudolo, actu* IV. *scena* II. *versu* XVII.

In magistratu omnia audet, cui collega est obsequens.) *Suetonius in vitâ Julij cap.* XIX: E duobus consulatus petitoribus L. Luceio, Marcoque Bibulo, Lucejum sibi adjunxit; pactus ut is, quoniam inferior gratiâ esset, pecuniâque polleret, nummos de suo communi nomine per centurias pronunciaret. quâ cognitâ re, optimates quos metus ceperat, nihil non ausurum in summo magistratu concordi & consentiente collegâ; auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi &c.

In malâ uxore atque inimico, si quid sumas, sumptus est.) *Petitum è Plauti Milite, actus* III. *scena* I. *versu* LXXVIII.

In ma-

In malis spectare causſam, non fortunam convenit.) *Albutius Silus apud Senecam libro* IX. *Controversiâ primâ:* Non me movet periculum meum: semper nos in malis noſtris, non fortunam, ſed cauſſam ſpectavimus.

In manu eſt tibi quod credas; quod dicam in manu mihi eſt.] *Eſt Plauti è Mercatore actu* III. *ſc.* IV. *verſu* XLIII.

In ſummo timore pejus creditur quod præterit.] *Tacitus libro* XV. *cap.* XXXVI. *f:* Senatus & primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur Nero: de huic, quæ natura magnis timoribus, deterius credebatur, quod evenerat.

In tuto eſt exire cujus haud ultra queunt mala.] *Factum ex Senecæ OEdipode, verſu* CXCVIII.

Infamia etiam tum vivit, cùm credas eſſe mortuam.) *E Perſâ Plauti ſumptum, verſu nimirum* XXVIII. *actus* III. *ſcenæ* I.

Ingenio bono me ornatam quàm auro multo mavolo.) *Eſt item è Plauti Pœnulo, actu* I. *ſcenâ* II. *verſu* LXXXIX.

Injuſtiſſima eſt ſimultas quæ hominem eſſe hominem non ſinit.) *Verba Quintiliani è Declamatione* CX.

Innocens optat, moderatus ſpectat, cogitat pius.] *Mortem ſcilicet patris. Spectat autem ponitur pro* exſpectat; *quemadmodum & P. Syrus:* Ab alio ſpectes, alteri quod feceris.

Inquirere in antiquitatis auctoritatem eſt ſcelus.) *Lactantius libro* II. *cap.* VII: Tantaque eſt auctoritas vetuſtatis, ut inquirere in eam ſcelus eſſe ducatur.

Insanum est malum devorti in hospitium ad Cupidinem.) *Invenias in Plauti Trinummo, actu* III. *scenæ* II. *versu* XLVII.

Intertrimenti nihil est in auro, quàm pretium manu.) *L. Valerius pro abroganda lege Oppia, apud Livium libro* XXXIV. *cap.* VII: Sed in purpurâ quæ teritur, absumitur, injustam quidem, sed aliquam tamen causam tenacitatis video: in auro verò, in quo præter manupretium nihil intertrimenti sit, quæ malignitas est? præsidium in eo potius est, & ad publicos & ad privatos usus &c.

Intestina nulla crepant saturo; esurienti percrepant.] *Fictum ex verbis Plauti, quæ in Menæchmis, act* V. *sc.* V. *vers.* XXVII.

Invendibili merci oportet ultrò emptorem adducere.] *Plautinum ex Pœnulo, actus* I. *scenæ* II. *versu* CXXIX.

Ipsa nominum mage quàm rerum officit atrocitas.) *De Valerio Diocletiano Imp. Aurelius Victor:* Verùm hæc in Valerio obducta cetenis bonis: eoque ipso quod Dominum dici passus; Parentem egit: satisque constat prudentem virum edocere voluisse, atrocitatem rerum magis quàm rerum officere.

Is demum maledicit, verum ab alio audire qui nequit.) *Cicero in Oratione illa ad Sallustium:* Carere debet omni vitio, qui in alterum dicere paratus est. Is demum maledicit, qui non potest verum ab altero audire.

Is poterit cavere rectè, jura qui & leges tenet.) *Versus Epidici Plautini* CVII. *actus* II. *scenæ* II.

Italus armis, disciplinis vinci Græcus non potest.]

test.) *Habetur apud auctorem libri ad Herennium*, IV. *capite* XXXII. *p.*

Itidem ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit.) *Sententia Plauti è Mercatore actus* V. *scenâ* IV. *versu* XXIV.

Iudices aliis maligni Reges sunt, æqui sibi.] *Formatum est ex Agamemnonis Senecæ versu* CCLXVIII.

Iudicii specie suam explent principes libidinem.) *Agrippa in Oratione ad Augustum, in Dione Cassio libro* LII: Τὰς γὰρ βιάζεσθαι δυναμένας ἀδείας δικάζοντας δικαιοπραγεῖν πιστεύει, ἀλλ' οἶον] πάντες αὐτὰς σχῆμα καὶ σκιαγραφίαν πολιτείας ἀσχημοσύνης τε καὶ ἀληθείας αἰσχυντίας, ὀνόματι ἐνόμῳ δικαιοσύνῃ τῷ ἑαυτῶν ἐπιθυμίαν ἀποπιμπλάναι: Nemo credit eos qui vim inferre possunt, si judicum munere fungantur, ex justitiâ agere: verùm hæc omnium est opinio, speciem eos ac quasi umbratum quoddam exemplar Reipublicæ, propter verecundiam, veritati actionum suarum prætendere, ac sub judicii nomine, cupiditatem suam expiere. *Ammianus libro* XXVI. *cap.* XXIX. *f.* Pacis obtentu vitium detestandum agitabatur; infaustam victoriam execrantibus universis, internecivo quovis bello graviorem. nam inter arma & lituos conditionis æquatio leviora facit pericula; & Martiæ virtutis potestas aut id quod ausum occupat, aut inopinata mors si acciderit, nullum ignominiæ continet sensum, finemque secum vivendi simul & dolendi perducit. Vbi verò consiliis impiis jura qui-

quidem prætenduntur, & leges; & Catonianæ vel Cassianæ sententiæ fuco perliti residentjudices; agitur autem quod agitur ad voluntatem prætumidæ potestatis, exque ejus libidine vitæ incidentium necisque momenta pensantur; ibi capitalis vertitur pernicies & abrupta. *Similis querela iteratur ab eodem auctore libro* XXXI. *cap.* XLI. *m.*

Iudicum ordo perpetuus nimiæ utique est impotentiæ.) *Livius libro* XXXIII. *cap.* XXXII. *p:* Iudicum ordo Carthagine eâ tempestate dominabatur, eò maximè, quod iidem perpetui Iudices erant &c.

Iupiter rem judicatam in terris, iterum judicat.) *Extat in Prologo Rudentis Plautini, versu* XVIII.

Iusjurandum rei servandæ, non perdundæ conditum est.] *Periculosæ ambiguitatis carmen, pronuntiatur à Lenone Plauti in Rudente; act.* V. *sc.* III. *versu* XVIII.

Iura naturæ impugnare, species patricidii est.) *Verba Joannis Sarisberiensis libro* I. *Policratici cap.* II. *m.*

L

LÆtus est angustè, lætus qui tantum est præsentibus.] *Seneca Epistolâ* XCIX: Mihi crede, magna pars ex illis quos amavimus, licet ipsos casus abstulerit, apud nos manet. nostrum est quod præteriit tempus: nec quidquâ est loco tutiore, quàm quod fuit. Ingrati adversus percepta spe futuri sumus: quasi non quod futurum est, si modò successerit nobis, citò in præterita transiturum sit. Angustè fructus rerum determinat, qui tantum præsentibus lætus est. & fu-

& futura & præterita delectant; hæc expectatione, illa memoriâ, &c.

Largitionibus favorem profusis populi occupes.) *Valerius Maximus libro* III. *cap.* II: Cùm Tiberius Gracchus in tribunatu profusis largitionibus favore populi occupato, Rempublicam obsessam teneret &c.

Laus est procreare natos, generi monumentum, & sibi.) *Formatum è Plauti Milite, act.* III. *scenâ* I. *versu* CIX.

Lepidi mores turpem ornatum facilè factis comprobant.) *Versus ex ejusdem Comici Pœnulo, actus* I. *sc.* II. *vers.* XCV.

Lege non licet frui æquâ pauperi cum divite.) *Adhuc carmen ejusdem Umbri, è Cistellariâ, actu* II. *scena* I. *versu* LVI.

Liberè admonere, non est emendare; offendere est.) *Moribus quidem sæculi corrupti. Seneca libro* III. *de Ira cap.* XXXVI: Noli postea congredi cum imperitis nolunt discere, qui nunquam didicerunt. Illum liberius admonuisti quàm debebas; itaque non emendasti, sed offendisti. de cetero, vide non tantum, an verum sit quod dicis, sed an ille cui dicitur sit veri patiens.

Liberi quoq; pro paternis sceleribus pœnas luunt.) *Natum ex Medea versu* DCCCCXXIV. *Senecæ inscriptæ.*

Liberos homines per urbem modico par ire est gradu.] *Opinione testium Pœnuli Plautini, actu* III. *scena* I. *versu* XIX.

Luctator vinum dolosus est; primùm captat pedes.)

des.) *Lepidus versus è Plauti Pseudolo, numero* VI. *actus* V. *scenæ* 1.

Luxuriosè consumuntur, quæ obvenere per scelus.) *Videatur Cicero Oratione pro Amerino, capitis secundi fine.*

Lympha paulla marina flammas non sopit, sed excitat.) *Dio Cassius non longè à fine libri* LI: Ἡ γὰρ ἅλμη ἡ θαλαττία, ἂν καὶ ὀλίγην ἐπιχέηται φλογὶ, ἰσχυρῶς αὐτὴν ἐκκαίει: Aqua marina flammæ non multa infusa, magnopere eam excusitat.

M

MAgna qui petit; aut dolebit, aut tristabit alterum.) *Synesius Epistola* LXIV: Μὴ αἴτει μεγάλα, ἵνα μὴ δυοῖν θάτερον, ἢ τυγχάνων λυπῇς, ἢ μὴ τυγχάνων λυπῇ: Magna ne petas, ne duorum alterum, aut impetrans molestus sis, aut non impetrans doloreafficiaris.

Magni animi est, non dare & perdere, verùm perdere & dare.) *Seneca libro* VII. *de Beneficiis capite postremo:* Quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam. sed huic ipsi beneficium dabo iterum, & tanquam bonus agricola curâ cultuque sterilitatem soli vincam. Periit mihi beneficium: iste omnibus. non est magni animi dare & perdere: hoc est magni animi, perdere & dare.

Major fœderis vetusti quàm novi reverentia.) *Tacitus libro* XV. *Annalium cap.* 1: Vologeses spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens, magnitudine rursum Romanâ, & continui fœderis reverentiâ diversas ad curas trahebatur.

Major

Major usus est tellure quàm mari est, audaciæ.) *Sententia Polybij, qui videatur libro* I. *Histor. capite* XXXVII. *f.*

Major aut minor res quæ fit, caussâ, tempore, & loco.) *Seneca Epistola* LXXXI: Majus aut minus fit, tempore, loco, caussâ. Sæpe enim hoc non potuere divitiæ in domum infusæ, quod opportunè dati mille denarii &c.

Malefactorem amitti satius, quàm relinqui beneficum.) *Versus Plauti è Bacchidibus, actu* III. *scena* II. *versu* XI.

Malleus sapientiorem scilicet esse manubrio.) *Est etiam Plautinum proverbium, inveniundum Epidici actu* III. *scena* III. *versu* LXXVIII.

Mane quod occipis negotium, id totum procedit diem.) *Hoc quoq; Comici est ejusdem ex Persa, actu* I. *sc.* II. *versu* XXXIV.

Mars minus laudi est apertus, quàm Mars clancularius.) *Est sententia D. Chrysostomi Oratione de Sacerdotio.*

Mars minus nocens apertus est quàm clancularius.) *Vnde Nicias in Theramenem apud Xenophontem libro* II: Καί τι τοσούτῳ μᾶλλον δεινότερον προδοσία πολέμου, ὅσῳ χαλεπώτερον φυλάξασθαι τὸ ἀφανὲς τοῦ φανεροῦ: At qui tanto gravius malum est proditio, quàm bellum; quanto difficilius occulta caveri possunt quàm aperta. *Et hinc Cicero Oratione* II. *in Catilinam:* Sine dubio perdidimus hominem, magnificè vivimus; cùm illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus.

Martii mare fine aperitur, initio Octobris clauditur.) *Frequens hujus cognitionis usus Iurisconsultis*

ve

vel eis potius negotiationibus quæ opem eorum expetunt; sed & militibus hæc noviſſe expedire, hauriamus licet ex Vegetio, qui libri IV. *de re militari, toto capite* XXXIX. *maris hanc apertionem perſequitur, ac demum concludit:* major adhibenda eſt cautela quando exercitus navigat cum liburnis, quàm cùm privatorum mercium feſtinat audacia. *Quod ipſum dum non obſervat Romanus, integras ſæpe prodidit claſſes, uti queritur Polybius lib.* I. *Hiſtoriarum capite* XXXVII. *qui conſulatur.*

Mavelim ſervire tibi, libertus quàm eſſe alteri.) *Vſurpatum à Plauto in Milite, ſcenæ* VIII *actus* IV. *verſu* XLV.

Maximæ illecebræ Nox, Mulier, Merum adoleſcentulo.) *Prudens iſtud dictum extat in Plauti Bacchidibus, actus* I. *ſcenæ primæ verſu* LVI.

Maximam partem ſui veneni nequitia ebibit.) *Dictum eſt Attali Philoſophi, meminitque Seneca Epiſtola* LXXXI.

Maximè beneficia hærent, quæ miſerias ſublevant.) *Unde ceu rem maximè confeſſam, aſſeverat Iſocrates Oratione ad Philippum:* ὅτι πάντες ἄνθρωποι τῶν πλείστων μνείαν ἔχουσιν, ὧν ἄν ἐν ταῖς συμφοραῖς εὖ πάθωσιν: omnes eorum beneficiorum, quæ in calamitatibus acceperint, maximè ſolere meminiſſe.

Maximè pigri amant ſecurum per opulentias otium.) *Verſus, hac ipſa poſitura verborum, inveniundus libro* IV. *Arnobii adverſus Gentes:* Quis ad extremum Deam Pecuniam eſſe credat, quam velut maximum numen, veſtræ indicant literæ, donare annulos aureos, loca in ludis atque in ſpectaculis priora, honorum ſuggeſtus ſummos, amplitudinem magi-

magistratus, & quod maximè pigri amant, securum per opulentias otium.

Maximè reor æquum ferri bona bonis, malis mala.) *Est è Plautina Prologo Pseudolo inscripta, versu* II.

Maximè sapit secundis qui rebus statuit modum.) *Tacitus libro* XV. *Annal. cap.* V. *p:* Corbulo tamen, quamvis secundis rebus suis moderandum fortunæ ratus, misit ad Vologesem qui expostularent &c. *Id dum non facit Marcus Attilius Regulus & se, & exercitum Romanum perdidit, ut benè monuit Polybius, libro* I. *cap.* XXXV. *p.*

Maximè tunc gratiæ agendæ sunt Deo cùm affligimur.] *Lactantius libro* V. *cap.* XXIII: Imò verò cùm vexamur ac premimur, tum maximè gratias agere debemus indulgentissimo patri, quòd corruptelam nostram non patitur longius procedere, sed plagis ac verberibus emendat.

Maximo Duci ne credas maximam provinciam.) *Spectat monitum istud Reges. nam vel maxima provincia qualemcumque ducem pellexerit ad res novandas; nedum ducem maximum. Inde est quod legimus apud Tacitum libro* II. *Annal. cap.* LIX. *f:* Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut Equitibus Romanis illustribus, sepositi Ægyptum; ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, & utraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio, adversum ingentes exercitus insedisset.

Maximum bonum peccare; bonum verum plecti citò.) *Synesius Epistolâ:* Ἐξιλασέο δὲ τῇ παραινήκα πίσει τὰς κάτω πινάς. μεγίστη γὰρ ὄντως

ἀγαθὸν ⸗ μὴ ἁμαρτεῖν, δεύτερον ἀγαθὸν τὸ δικαιωθῆναι. ὅστις δὲ χρόνον πολὺν ἀδίκων ἀκόλαστος μένει, τοῦτον δεῖ νομίζειν τὸν ἀτυχέστατον ⸗ μήτε θεὸς, μήτε ἄνθρωπος κηδόμενον: Placandæ sunt præsenti supplicio quæ sunt apud Inferos Furiæ. Nam cùm maximum sit bonum non peccare, bonum secundum est, affici supplicio. qui autem per diu scelestus impunitus manet, eum oportet existimare infelicissimum, de quo neque Deus neque homo sollicitus est.

Maximum vitium mulieri est, cùm sibi nimis placet.) *Utitur Plautus in Pœnulo, actus* v. *sc.* IV. *versu* XXXXII.

Me bonam esse, quàm beatam nimio dici mavolo.] *Versus adhuc ex eodem Pœnulo* XCI. *actus* II. *scenæ* II.

Meretrix tantisper blanditur, dum illud quod rapiat videt.) *Est ejusdem Comici ex Menachmis, actu* V. *scenæ* III. *versu* II.

Merces ejus, qui potest jubere, vis precaria est.) *Tacitus libro* XIV. *cap.* XV: Notos quoque Equites Romanos operas arenæ promittere subegit, donis ingentibus: nisi quod merces ab eo qui jubere potest, vim necessitatis adfert.

Meum quod rete atque hami nacti sunt, meum potissimum est.) *Est è Rudente Plauti, actu* IV. *scenæ* III. *versu* XLVII.

Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum.) *Versus* LX. *è Milite glorioso, act.* II. *sc.* III.

Militem quando q; solus continet à fugâ pudor.) *Livius*

Livius libro x. *cap.* xxxv. *m:* Omnes affirmant, se quidem omnia facturos; sed militum jacere animos: totâ nocte inter vulnera & gemitus morientium vigilatum est; si ante lucem ad castra ventum foret, tantum pavoris fuisse, ut relicturi signa fuerint: nunc pudore à fugâ contineri; alioquin pro victis esse.

Mille atque mille sunt viæ infortunii.] *Jambus est, ideoque relegandus ad ordinem suum. Sæpe ipsos inter Trochaicos inveni; & toties quidem, ut pudeat iterum monere, nedum id faciam frequentius.*

Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico.) *Carmen è Plauti Milite, act.* II. *scena* III. *versu* L.

Moribus vivendum antiquis: mores nil moror novos.) *Reperias in Plauti Trinummo, act.* II. *scenæ* II. *versu* VIII.

Mulier nequiquam exornata est bene, si morata est male.) *Est è Mostellariâ Plauti, actu* I. *scenâ* III. *versu* CXXXII.

Multa falsa sunt, quæ suspiciosè quis tamen arguat.) *Est è Ciceronis oratione pro Roscio Amerino, capite* XXVIII.

Multa quis diu vivendo, quæ haud videre vult videt.] *Et hoc quoque inventas in Tullij libro de Senectute.*

Multa sunt perdenda beneficia, ut semel ponas bene.] *Versus productus à Seneca, libro* I. *de Beneficiis, cap.* I.

Multi se stolidè frustrantur, cùm alios frustrare æstimant.] *Conspicitur Plauti Bacchidibus, actu* III. *scena* VI. *versu* XXIX.

Multò minus malum sibi quærunt urbani quàm rustici.) *Istud etiam exstat in Plauti Mercatore, actu* IV. *scenâ* III. *versu* XVII.

Munus abjurat cœleste ineruditus nobilis.] *Leguntur hæ voces apud Ennodium.*

Munus octo hominum Parasitus facilè in mensâ fungitur.) *E Plauti Menæchmis, actu* I. *scenâ.* IV. *versu* V.

Murat in melius homines, satias, pudor, necessitas.] *Tiberius oratione epistolari ad Senatum:* Reliquis intra animum medendum est. nos pudor; pauperes necessitas; divites satias in melius mutet. *Taciti libro* III. *Annal. cap.* LIV. *sermo autem est de luxu, qui immensum prorruperat ad cuncta quibus pecunia prodigitur.*

N

NAturale est quem times odisse, & perdere quem oderis.] *Minutius in Octavio:* Naturale est, & odisse quem times, & quem metueris, infestare si possis.

Naufragos miserare: semper anceps navigatio est.) *Phocylides:* Ναυηγὸς οἰκτιρον, ἐπεὶ καὶ σὸν ἔσην ἀδηλον.

Ne boni quidem est, amicis per jocum injustè loqui.) *Carmen Plauti è Pœnulo, act.* III. *scenâ* I. *versu* LXX.

Ne quidem miles profani imperium toleret Principis.) *Tacitus libro* XIV. *cap.* II: Senecam contra muliebres illecebras subsidium à femina petivisse; immissamque Actem libertam, quæ simul suo periculo,

culo, & infamiâ Neronis anxia, deferret, pervulgatum esse incestum gloriante matre; nec toleraturos milites profani Principis imperium.

Ne quidem quis unum amicum amat, qui plus uno haud amat.) *Seneca Epistolâ* XII: Si alios habemus amicos, male de his & meremur & æstimamus; quia parum valent in unius elati solatium: si non habemus, majorem ipsi nobis injuriam fecimus, quàm à fortunâ accepimus. illa unum abstulit: nos quemquam non fecimus. Deinde, ne unum quidem amavit, qui plus quàm unum amare non potuit.

Nec sibi negotium parit Deus, nec alteri.) *De Epicuri opinione Epicurus apud Ausonium Epigrammate* CIX: Quod est beatum, nocte & æternum carens, Nec sibi parit negotium, nec alteri.

Nemo cautius malus est quàm sub pietatis infulâ.) *Sunt verba ex Ennodii derivata scriptis.*

Nemo fortunam recusat ferre cuncti quàm ferunt.] *Factum è Seneca Troade versu* CXV.

Nemo laude dignus est eritve, quàm cui cor sapit.] *Polybius libro* X. *Historiarum cap.* II: Τὸ δ' ἐπαινετὸν μόνον ἴδιον ὑπάρχει τῶν λογίων καὶ φρένας ἐχόντων ἀνδρῶν: Laude dignum esse, proprium est duntaxat prudentium & cordatorum virorum.

Nemo pauper honore dignus, nemo pauper est bonus.) *Citatur ex Alcæo apud Scholiasten Pindari, hymno* II. *Isthmiorum:* Χρήματ' ἀνὴρ, πενιχρὸς δ' ἀδὴς πέλετ' ἐσθλὸς, ἀδὲ τίμιος: Pecuniæ vir sunt

nullus verò pauper bonus, aut honore dignus habetur.

Nemo semet emendare quærit, omnes Cælites.) *Seneca Epistola* CVII: Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. at contra ille pusillus ac degener qui obluctatur, & de ordine mundi male existimat; & emendare mavult Deos, quàm se.

Nemo solis, nemo justitiæ frustratur numina.] *De sagis mulieribus Apulejus libro* II: Quippe cùm deterrimæ versipelles, in quodvis animal ore conversо, latenter obrepant; ut ipsos etiam oculos Solis & Iustitiæ facilè frustrentur.

Nemo ullam queat, ipsa quæ se venditat, tutarier.) *Sententia servi Plautini in Milite, actu* II. *scena* III. *cap.* XLI.

Nemo unquam male interemptus est infamis innocens.) *Factum ex verbis his Arnobii libro* I. *adversus Gentes:* Innumerabiles gloriâ & virtute & existimatione pollentes, acerbissimarum mortium experti sunt formas; ut Aquillius, Trebonius, Regulus. numquid idcirco post vitam judicati sunt turpes, quia non publicâ lege fatorum, sed mortis asperrimo genere lacerati, excruciatique perierunt? Nemo unquam innocens malè interemptus, infamis est: nec turpitudinis alicujus commaculatur notâ, qui non suo merito pœnas graves, sed cruciatoris perpetitur sævitiate.

Nemini queri fas de fortunâ salvo Cæsare.) *Ex versu isto lux accedit ingens Taciti verbis libro* III. *Annalium cap.* IV: *ubi agit de exsequiis Germanici:* Illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus

pulus per tribus; concidisse Rempublicam, nihil spei reliquum clamitabant; promptius apertiusque, quàm ut meminisse imperitantium crederes.

Neminem decet verecundari, ubi apud mensam adcubat.) *Fictum ex versu* LXXVII. *Trinummo, actus* II. *scena* IV.

Nescis tu quàm meticulosa res sit ire ad judicem.) *Verba etiam Plauti ex Mostellariæ actu* V. *scena* I. *versu* LII.

Nil boni uspiam est quod uti possis absque omni malo.) *Adhuc Plautinus versus ex Mercatore, actu* I. *scena* II. *vers.* XXXIV. *Sed & proximè duo sequentia carmina, agnoscunt eundem Comicum pro parente: exstatque prior actu* III. *scena* II. *versu* LXXXVI. *Trinummi: alter verò eadem Comœdia, eodem actu & scena, sed versu tertio,*

Nil moror alienâ mihi operâ plures fieri liberos.) *Istud quoque invenias in Cistellariâ, actu* V. *scena* I.

Nil refert nec-rectè ei dicere, id qui infitias non eat.) *Etiam est apud Plautum in Pseudolo act.* IV. *scena* V. *versu* XXIV. *Sequens verò versus præscribitur in ejusdem Umbri Persâ, actu* IV. *scena* VI. *versu* VIII.

Nimia omnia hominibus ex se nimium negotium exhibent.) *Verba iterum Plauti è Pœnulo, actu* I. *scena* II. *versu* XXXII. *Imò ejusdem sunt auctoris versus subsequentes quinque: primusq; ex Pseudolo petitus, actus* I. *scenæ* III. *versu* XLVI: *secundus ex Bacchidibus, actus* III. *scenæ* II. *versu* X: *tertius ex Trinummo, actus* II. *scenæ* II. *versu* XXX: *quartus ex eod. Trinummo, actus* III. *scenæ* I. *versu* XIX: *quintus è Persâ, actus* IV. *scenæ* III. *versu* LXIII.

Nobis quod malum videtur, ipsi mundo non malum est.] *Christianis videlicet. Arnobius libro* I. *adversus Gentes:* Quid si quod proximum vero est, quidquid nobis, videtur adversum, mundo ipsi non est malum: omniaque quæ fiunt nostris commoditatibus statuentes, opinionibus improbis criminamur eventa naturæ? &c.

Nobilitas necem injustam haud facit, sed innocentia.) *Id est: si nobilis aliquis supplicium subit, non ideo mors illa injusta est, dummodo ipsius etiam extiterit nocens. quæ enim non æquè plectatur nobilis quàm ignobilis?*

Nocte abundet pervigili, lucerna oleo, calix mero.) *Apuleius libro* II. *metamorph:* Tunc ego, vocata Photide: ecce, inquam, Veneris hortator & armiger Liber, advenit ultrò. vinum istud sorbeamus hodie omne; quod nobis restinguat pudoris ignaviam, & alacrem vigorem libidinis incutiat. hac enim sitarchiâ navigium Veneris indiget solâ; ut nocte pervigili, & oleo lucerna, & vino calix abundet.

Nolim amicus Regis esse Persici, absque commodis.) *Luciani est dictum in libello, de Mercede conductis.*

Non ætate verùm ingenio adipiscitur sapientia.) *Sententia Plauti ex Trinummo, actu* II. *sc.* II. *versu* LXXXVII.

Non erunt honores unquam fortuiti muneris.) *Monitum Solonis apud Ausonium.*

Non est usui quisquam amator, nisi qui perpetuat data.) *Lenæ alicujus vox apud Plautum in Pseudolo;*

dolo; *actu nimirum* I. *scenæ* III. *versu* LXXI.

Non idem semper dicendum est; semper spectandum est idem.) *Sumptum è Cicerone libro* I. *Epistol. fam.* IX.

Non Iovis sub regno amator, sed sub Veneris vapulat.) *Versus* VIII. *ex Pseudoli Plautini actu primo, scenâ* I.

Non tu me argento dedisti, opinor, nuptum, sed viro.) *Pudicum responsum filiæ ad patrem in Sticho Comici Umbri, actus* I. *scenæ* II. *versu* LXXIX.

Non nimis potest quis servare suæ pudorem filiæ.) *Plautinum ex Epidici actu* III. *scenâ* III. *versu* XXIV.

Non potest consistere quæstus, si ipsum sumptus anteit.) *Etiam est è Plauti Pœnulo, actus* I. *scenâ* II. *versu* LXXV.

Non queunt nimis curare unquam parentem filiæ.) *E Plauti Sticho, actus* I *sc.* II. *versu* XXXIX.

Non soles respicere te, cùm dicis injustè alteri.) *Ex ejusdem Pseudolo, actus* II. *scenæ* II *versu* XVIII.

Non tipulæ levius pondus, quàm fidei est lenoniæ.) *Ex Persâ, actu* II. *scenæ* II. *versu* LXIII.

Noster esto, dum te poteris defensare injuriâ.) *Versus parentum, quo acuunt liberorum petulantiam erga præceptores suos. videantur Plauti Bacchides, act.* III. *scenæ* III. *versu* XXXIX.

Novo modo homo amas, siquidem te quidquam quod faxis pudet.) *Etiam ex Milite Plauti, act.* III. *scenâ* I. *versu* XXX.

Nulla cura eis honesti est, quos affectus occu-

par.] *Oraculum est Polybij libro* III. *capitulo* XV. *sub finem*.

Nulla est satietas ornandi navem ac mulierem satis.) *Formatum ex Pœnuli actu* I. *scena* II. *versibus prioribus.*

Nullum beneficium duco esse id, quod cui facias, non placet.) *E Plauti Trinummo; actus* III. *scenæ* II. *versu* XIII.

Numquam erit alienis gravis, qui suis se concinnat levem.) *Ex ejusdem Comœdiæ act* III. *scenæ* II. *versu* LVIII.

Numquam ullus Deus propitius generi lenonio fuit.] *E Persâ actu* IV. *scena* IV. *versu* XXXIV. *sequens versus est è Sticho, actus* I. *scenæ* II. *versu* LXXXIX.

O.

O Quàm amara liberûm voluptas est parentibus!) *Vide explicationem hujus exclamationis apud Tertullianum libro* I. *ad uxorem, cap.* V. *p.*

Odiosa est oratio cùm rem habeas, longinquum loqui.) *E Plauti Mercatore, actu* III. *sc.* IV *vers.* XXIII.

Omne ego pro nihilo ducto, quod fuit, quando fuit.) *E Persa ejusdem actus* IV. *scena* IV. *versu* LXXXV.

Omnibus scias eum esse amicum, amicus qui sibi est.) *Ratio sententiæ petenda è Senecæ Epistolâ* VI, *f.*

Optimas spes ad salutem volvunt, qui colunt Deum.) *Citat Theophilus libro* III. *contra gentes ex Philemone:* οἱ γὰρ Θεὸν σέβοντες, ἐλπίδας καλὰς ἔχουσιν εἰς σωτηρίαν: Hi qui Deum colunt spes bonas habent ad salutem.

Optimi

Optimi peccando pervenere ad innocentiam.) *Voces Senecæ è libro* I. *de Clementiâ capite* VI. *f.*

Optimus portus pœnitenti, consilii est mutatio.) *Laudatur pro veteris poëtæ versu à Ciceronе.*

Optimum in vitâ est, timere præter scipsum neminem.] *Flavius Vopiscus in Tacito Imperatore; de Senatu ac militib. cap.* XI. Non illi Principē quemquā, ut rectè facerent, non tribunitiam potestatē formidabant, sed (quod est in vitâ optimum) se timebant.

Ordo militum nunc est, nullum tenere, heu, ordinem.) *Vsurpatum ævo Petri Blesensis; sed nunc quoq; maximè suum habet locum.*

Orta injuria ab eo videtur, arma qui intulit prior:] *Livius libro* XXXII. *cap.* X. *p:* Consul nihil ad id quidem arbitrio, aut judice opus esse dicere: cui enim non apparere, ab eo qui prior arma intulisset, injuriam ortam?

Osculaa amplexumque, amorem non augent; exercitant. *Pluribus illustrat Seneca libro* VII. *de Beneficiis cap.* XIII. *p.*

Otium multi dum quærunt, inveniunt negotium.) *Lactantius lib.* I. *cap.* I: Si quidam maximi Oratores, professionis suæ quasi veterani, decursus operibus actionum suarum, postremò se Philosophiæ dederunt; eamque sibi requiem laborum justissimam putarunt, si animos suos in earum rerum, quæ inveniri non poterant inquisitione torquerent, ut non tam otium sibi, quam negotium quæsivisse videantur, &c.

P

PAlmulæ ut venere piperque, venit item Sapientia.)

tia.] *Est à Persio, quem versum excutit Lactantius libro* III. *cap.* XVI.

Parcit pauperibus Neptunus, dites damnat ac domat.) *Tractum de Trinummo Plauti, actus* IV. *sc.* I. *cap.* X.

Patris imperium est in natam, non in patrem filiæ.] *Haustum & istud è Persa Umbri, actu* III. *sc.* I. *versu* XV.

Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.) *E Plauti Pseudolo, actus* I. *scena* III. *versu* CLIII.

Paupere in domo, vel quævis est satis fœcunditas.) *Spurius Ligustinus apud Livium libro* XLII. *cap.* XXXIV. *p:* Cùm primùm in ætatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit; quæ secum nihil attulit præter libertatem pudicitiamque, & cum his fœcunditatem quanta vel in diti domo satis esset.

Perdocet paupertas artes omnes, ubi quem attigit.) *Versus Plauti è Sticho, actu* II. *scenâ* I. *versu* XXIV.

Perdormisco, si resolvi ei argentum cui debeo.) *Ejusdem carmen è Menæchmis actu* V. *scena* V. *versu* XXX.

Perfacilè est rem bene paratam comitate perdere.] *E Prologo Rudente, versus nimirum* XXXVIII.

Perfidi multi occiduntur, qui tamen haud sunt perfidi.] *Prætextu nempe falso. Justinus libro* XII. *cap.* XIII: *m:* Acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit: quæ res & illi & multis principibus Macedonum exitio fuit: Siquidem sub specie insidiarum omnes interfecti.

Per-

Pertinaciæ comes nunquam Pœnitentia est.) *Suetonius in vitâ Augusti cap.* XXVII: Hunc è diverso professum, ita modum se proscribendi statuisse, ut omnia sibi reliquerit libera. in cujus pertinaciæ pœnitentiam, postea T. Vinium Philopœmenem &c.

Pessimum veri venenum adfectus adulatio est.] *Tacitus libro* I. *Histor. cap.* XV. *f:* Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eadem constantiâ retinebis. sed alii per obsequium imminuent. irrumpet adulatio, blanditiæ pessimum veri affectus venenum, sua cuique adulatio &c.

Plurimas senectus adfert pessimas res cùm advenit.) *Effatum verissimum in Plauti Menæchmis, actus* V. *scenæ* II. *versu* VIII.

Plurimis cruenta mens est, pura sit licet manus.] *Apulejus libro* IV. *Floridarum:* Omnibus bonis in rebus, conatus in laude, effectus in casu est. ita ut contra in maleficiis, etiam cogitata scelera non perfecta adhuc, vindicantur; cruentâ mente, purâ manu. &c.

Plus laudatur qui nocere, quàm prodesse qui cupit.) *Lactantius libro* VI. *cap.* XVIII: Ita fit ut homo justus contemptui sit omnibus; & quia putabitur semetipsum non posse defendere, habebitur pro segni & inerti. Qui autem fuerit ultus inimicum, hic fortis, hic strenuus judicatur; hunc colunt, hunc omnes verentur. bonus verò ille, tametsi prodesse pluribus possit, illum tamen suspiciunt, qui nocere quàm qui prodesse possit &c.

Platns

Plutus claudus est cùm accedit, cùm recedit aliger.) *Lucianus in Timone:* Οὐκ ἀεὶ ταῦτ', ὦ Ἑρμῆ, ἀλλ' ὁπόταν μὲν ἀπίω πρός τινα, πεμφθεὶς ὑπὸ τοῦ Διός, οὐκ οἶδ' ὅπως βραδὺς εἶμι καὶ χωλὸς ἀμφοτέροις, ὡς μόλις πελεῖν ἐπὶ τὸ τέρμα συνεσκευασμένῳ· ἐνίοτε δὲ καὶ ἀπείμονος. ὁπόταν δὲ ἀπαλλάττεσθαι δέῃ, πτηνὸν ὄψει, πολὺ τῶν ὀρνέων ὠκύτερον: Atqui non hoc mihi perpetuum, Mercuri; verùm si quando proficiscor à Iove missus ad quempiam, tum nescio quo pacto tardus sum, & utroque claudus pede, ita ut ægrè ad metam pertingere queam; sene nonnunquam interim facto qui me operiebatur. porrò cùm discedendum est; alatum videbis, multò avibus velociorem, &c.

Pol; pudere quàm pigere præstat totidem literis.) *E Plauti est Trinummo, actu* II. *scena* II. *versu* LXIII.

Præmium multis peccandi, est ipsamet infamia.) *Pluribus enucleat Seneca Epistola* CXXII. *f.*

Præmium nullum iis debetur, qui auspicii non sunt sui.) *Intelligendum de Duce qui alienis auspiciis bellum gerit, non etiam propriis.*

Pridie caveas ne facias id quod pigeat postridie.] *E Plauti Sticho versu* LXV. *actus* I. *scena* II.

Primum adesse, parum civile est; ultimum adesse, superbulum.) *Accommodandum invitatis ab aliquo ad prandium vel cœnam.*

Pro multis perire, quàm cum multis, est honestius.) *Verba auctoris libro* IV. *ad Herennium cap.* LXIV.

Proba merx facilè emptorem reperit tametsi in abstruso

abstruso sita.] *Est è Pœnulo Plauti, act.* I. *scena* II. *versu* CXXX.

Probus est quem non pœnitet quàm sit probus ac frugi bonæ.) *Istud sumptum ex ejusdem Comici Trinummo, actu* II. *scena* II. *versu* XXXIX.

Promptius cuivis parare quàm servare gloriam.) *Videantur Excerpta Legationum Polybij numero* XXV. §. VI. *m.*

Publicæ rei præfectus, dominis servit pluribus.) *Maximus Tyrius Dissertatione* XXI: Τίνα γὰρ ἂν τις φαίη τούτων ἐλεύθερον; τὸν δημαγωγόν; δοῦλον λέγεις πολλῶν δεσποτῶν. &c.

Pulcra mulier, nuda erit, quàm purpurata pulcrior.) *Versus è Mostellaria Plauti, actus* I. *scenæ* III. *versu* CXXXI.

Pulcra pol dos est, marita si non est pecunia.] *Ex ejusdem poëtæ Epidico, actus* II. *scenæ* I. *versu* XI.

Pulcrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.) *E Mostellaria, actu* I. *scena* III. *versu* CXXXIII.

Pulcrius multò parari, quàm creari nobilem.) *Unum è dictis Solonis, cujus meminit & Ausonius isto trochaico.*

Q

QUære amorem apud populares, quære hostes inter metum.) *Utriusque copulam esse raram, indicat Tacitus libro* XI. *Annalium cap.* X: Bardanes regreditur, ingens gloriâ, atque eò ferocior, & subjectis intolerantior: qui dolo ante compositio, incautum vena-

venatione intentam interfecere, primam inter juventam, sed claritudine paucos inter senum Regum, si perinde amorem inter populares, quàm metum apud hostes quæsiviſſet.

Quæſtui ſtultis habetur, male loqui melioribus.) *E Plauti Pœnulo, actu* III. *ſcenâ* II. *verſu* XII.

Quando habeo multos cognatos, quid opus eſt mihi liberis?] *Ex ejuſdem Milite, actu* III. *ſcenâ* I. *verſu* CX.

Quàm reſiſtis, tam res maximè in periculo vortitur.) *E Mercatore, actus* I. *ſcenæ* II. *verſu* XII.

Qui animum vincunt, quàm quos animus, ſemper probiores cluent.) *E Trinummo, act.* II. *ſc.* II. *verſu* XXXI.

Qui ipſus ſe contemnit, in eo indoles induſtriæ.] *Ex eadem Comœdiâ, actu* II. *ſc.* II. *verſu* XLI.

Qui non ipſe amavit, ægrè amantis ingenium inſpicit.) *E Milite Glorioſo, actu* III. *ſcenâ* I. *verſu* XLIV.

Qui ſubtemen nere tenue, nere item uberius poteſt.] *E Mercatore, actus* III. *ſc* I. *verſu* XXI.

Qui viam ad mare neſcit, amnem quæritet comitem ſibi.) *E Pœnulo, actu* III. *ſc.* II. *verſu* XV.

Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Perſæ quid gerant?) *E Perſâ, actu* IV. *ſcena* III. *verſu* XLIV.

Quid mihi refert Chryſalo eſſe nomen, niſi factis probo?] *E Bacchidibus, actu* IV. *ſcena* IV. *verſu* LIII.

Quid velis, ſapienti ornatus ſæpius indicium facit.) *Effictum è Plauti Rudente, actus* II. *ſc.* IV. *v.* XV.

Quid-

Quidquid effert Sors in altum, in altum effert mox ut ruat.) *Formatum ex Senecæ Agamemnone, versu* XCIX.

Quidquid herclè est, mussitabo potius, quàm inteream malè.) *E Milite, actus* II. *scenæ* III. *versu* XL.

Quidquid in rebus divinis sumis, sapienti lucro est.) *Ex eodem Milite, actu* III. *scena* I. *versu* LXXX.

Quis velit sibi oblatricem in ædes intromittere?) *Ex eadem adhuc Comœdiâ actu & scena eisdem, versu* LXXXVI.

Quo die amorem, eodem multiloquium homini legat Venus.) *E Mercatore, actus* I. *scenæ* I. *versu* XXXVIII.

Quomodo res habeas tuas refert, jure anne injuriâ.] *E Rudente, actus* IV. *scenæ* IV. *versu* XXV. *sed & duo sequentia ex eodem sunt Plauto, unum ex Epidico, act.* V. *sc.* I. *vers.* XLIV. *alterum è Persâ act.* IV. *scenæ* V. *versu* III.

Quod Dei boni dant, culpâ ne tuâ amittas cave.) *E Bacchidibus actus* V. *scena* II. *versu* LXIX.

Quod habes, ne habeas; & illud quod nunc non habes, habeas malum.) *Cantari istud solitum immunistico civi, affirmat Plauti Trinummus, actus* II. *scena* II. *versu* LXIX.

Quod molestum est celerius venit illo quod cupidè petis,) *E Mostellariâ, actus* I. *sc.* I. *versu* LXX.

Quod sine amore possidetur, sine dolore amittitur.) *D. Gregorius lib.* III. *Moralium:* Sine dolore amittitur, quidquid sine amore possidetur. Quæ verò ardenter diligimus habita, graviter suspiramus ablata.

Quod tibi pauperies videtur, plurium vita gentium est.) *Seneca libro de Providentiâ cap.* IV: Omnes considera gentes in quibus Romana pax desinit: Germanos dico, & quidquid circa Istrum vagarum gentium occursat. perpetua illos hiems, triste cœlum premit, malignè solum sterile sustentat: imbrem culmo aut fronde defendunt: super durata glacie stagna persultant: in alimentū feras captant. Miseri tibi videntur? nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit. paullatim enim voluptati sunt, quæ necessitate cœperunt. Nulla illis domicilia, nullæ sedes sunt, nisi quas lassitudo in diem posuit. Vilis, & hic quærendus manu, victus, horrenda iniquitas cæli, intecta corpora: hoc quod tibi calamitas videtur, tot gentium vita est.

Quod viro est odio, videat mulier sibi habeat odio idem.) *E Menæchmis actu* I. *scenâ* II. *versu* II.

Quos crudelitas sepulcro non condit, condit dies.) *Seneca Epistola* XCII: Neminem de supremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo. ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. quem sævitia projecerit, dies condet. Disertè Mecænas ait: Nec tumulum curo: sepelit Natura relictos.

Quot majores, tot etiam Doctores adsunt Regibus.) *Hinc Caligula Macroni asseverat apud Philonem Judæum libro, de Legatione ad Cajum*: sibi ab incunabulis quàm plurimos obtigisse educatores; patres, fratres, patruos, patrueles, avos, proavos, jam inde à Romanis principibus, per paterni maternique generis seriem cognatione proximos, &c. *Sed & inculcant Neroni adulatores:* Certè finitam pueritiam,

tiam, & robur juventæ adesse: exueret magistrum; satis amplis doctoribus instructus, majoribus suis; *quemadmodum memoriæ prodidit libro decimoquarto Annalium, capite quinquagesimo tertio Tacitus.*

Quota quæque civitas, felicitatem pertulit?) *Ruit omnino versus: sed verba tamen exstant apud Senecam Epistolâ* XCI: Nihil extrà tumultuantibus cautis; mala unde minimè exspectabantur, erumpunt. Quæ domesticis bellis steterant regna, quæ externis, impellente nullo ruunt. quota quæque felicitatem civitas pertulit?

R

RApidus fluvius est heic; non hac temerè transiri potest.) *E Bacchidibus, actu* I. *scena* I. *versu* LII.

Rapto iniquum vivere est, rapto mori pulcerrimum.) *Annæus Epistolâ* LXX: Si mori non potes sine dolore; fac quemadmodum potes, & quidquid obvenerit ad vim adferendam tibi, invadas. Injuriosum est rapto vivere: at contrà pulcerrimum, rapto mori.

Rarò vera, ficta semper est Ducum clementia.) *Sic est: sæpe Duces abstinent à populationibus agrorum, non quod parcant hostibus, sed ut eos pelliceant ad voluntariam deditionem: quam si deinde non etiam impetrant, personâ illâ priore depositâ, omnia ferro atq; igne depopulatur. Ita Augustus in Pannonias profectus,* primùm à rapinis se continuit, quamvis ii pagos in campestri-

adjungere posse. sed cùm ab Scisciam accedentem eum læsissent, agrum eorum ussit, prædasque quas potuit maximas egit; *inquit Dio Cassius libro* XLIX. *sub finem anni urbis à Roma conditæ* DCCXX. *Eadem legere est apud Livium de Annibale; quemadmodum & aliis exemplis pluribus palam fecimus, libri ejusdem* XXIII. *cap.* XIV: *ubi est*: Annibal in agrum Nolanum exercitum traducit: & ut non hostiliter statim (quia non desperabat voluntariam deditionem) ita si morarentur spem; nihil eorum quæ pati aut timere possent, prætermissurus. *Sic etiam parcunt captivis, parcunt deditis; imò magnis mactant sæpe honoribus; non quod eis benè velint; verùm quei sint illices quasi aves, quibus infinitos alios in nassam suam converrant. Huc respexit oratio Darij ad milites suos, ante pugnam cum Alexandro Magno extremam:* Proditores & transfugæ in urbibus meis regnant; non herculè quia tanto honore digni habentur: sed ut præmiis eorum, vestri sollicitentur animi. *Curtij lib.* V. *cap.* XLIII. *f.*

Rarò homini simul datur Fortuna bona, atque Mens bona.) *Legatus Carthaginiensium Asdrubal apud Livium libro* XXX. *cap.* XLII: Si se, atque Hannonem audissent Carthaginienses, & tempore uti voluissent, daturos fuisse pacis conditiones, quas tunc peterent. Rarò simul hominibus bonam fortunam, bonamque mentem dari. Populum Romanum eò invictum esse, quod in secundis rebus sapere, & consulere meminerit.

Rectè sub manus succedit res curata sobriè.) *E Persa actus* IV. *sc.* I. *vers.* I.

Rectè

Rectè tunc sciam monuisse, si tu rectè caveris.) *E Menæchmis, actu* II. *scena* II. *versu* LXXI.

Rei mandatæ omnes sapientes primum prævorti decet.) *E Mercatore, actu* II. *sc.* III. *vers.* XLII.

Rem fidemque, se suosque perdit qui meretricem amat.) *Ex Epidico, act.* II. *sc.* II. *vers.* XXXVII.

Rebus in dubiis erit qui timidus, nauci non erit.] *E Milite. act.* V. *sc.* I. *vers.* I.

Rex malus minus est invisus omnibus, quàm ipsi est sibi.) *Formatum è Senecæ Thyeste, vers.* XXXVIII.

Regem nasci credite, Eos quoties noctem submovet.) *Factum ex Herculis OEtæi vers.* DCXIV.

Regia laus de alienis certat; retinet privatus sua.] *Inquit Tiridates apud Tacitum libro* XVI. *Annalium cap.* I. *f:* Id in summâ fortunâ æquius quod validius. & sua retinere, privatæ domus: de alienis certare, regiam laudem esse.

Ridiculè alliges canem fugitivam agninis lactibus.) *E Plauti sumptum Pseudolo, actus* I. *scenæ* III. *vers.* LXXXV.

Romulo Remoque mammas orba præbuit lupa.) *Potest objici parentibus fœtus suos exponentibus, aut duriter nimis tractantibus.*

Romani sortis secundæ vultum in adversis gerunt.) *Livius libro* XLII. *cap.* LXII: Summotis legatis, cùm consultarent, Romana constantia vicit in consilio. Ita tum mos erat; in adversis vultū secundæ fortunæ gerere: moderari animos in secundis.

S

SAcra facta sunt, adsumpta quæ fuerant solatia.)

Intelligendum de idolis. Minutius Felix in Octavio suo: Similiter erga Deos quoque majores nostri improvidi, crediduli, rudi simplicitate crediderunt: dum Reges suos colunt religiosè, dū defunctos eos desiderāt in imaginibus videre; dum gestiunt eorum memorias instantius detinere, sacra facta sunt, quæ fuerant adsumpta solatia.

Sacrarum ædium ruina, relligiosis & sacra est.) *Annæus consolatione ad Helbiam capite* XIII: Scio quosdam dicere, contemptu nihil esse gravius: mortem ipsis potiorem videri. His ego respondebo; & exilium sæpe contemptione omni carere. Si magnus vir cecidit, magnus jacuit. non magis illum putes contemni, quàm cùm ædium sacrarū ruinæ calcantur, quas religiosi æquè ac stantes adorant.

Sæculo fugacius nihil, rebusque sæculi.] *Isidorus:* Nihil fugacius seculo, rebusque seculi; quas dum tenemus, amittimus: & per infantiam, pueritiam, juventutem, ac virilem & ingravescentem, ac maturam ætatem, annosq; ultimos senectutis. utiq; in septem spatia Philo vitam describit humanam. mutamur & currimus; nescientes ad mortis terminos pervenimus.

Sæculo pravo, pietas magna est nil facere impiè.) *Seneca Consolatione ad Marciam c.* I: Mortem A. Cremutii Cordi, parentis tui, quantum poteras inhibuisti. postquam tibi aperuit, inter Sejanianos satellites illam unam patere servitutis fugam; non fuisti consilio ejus, sed dedisti manus, victaque fudisti lacrimas tam, & gemitus devorasti quidem, non tamen hilari fronte texisti: & hoc illo sæculo.

quo

quo magna pietas erat, nihil impiè facere.

Sæpe aliquem insanire dicunt, ultrò qui ipsi insaniunt.) *Versus Plautinus* XC. *è Menæchmis, actu* V. *scena* II.

Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia.) *Producitur à Cicerone in Quæstionibus Tusculanis.*

Sæpe magna spes pusillæ arcessunt infortunia.) *Simile inventas dictum apud Polybium libro* I. *capite* XXXVII. *m.*

Sæpe maximam inter sortem & ultimam nil interest.) *Sunt Senecæ voces, libro* VI. *de Beneficiis capite* XXXIII. *m.*

Sæpe maximum pretium est, pro quo pretium nullum datur.) *Explicabitur ab Annæo Epistolæ* XLII. *f.*

Sæpe ne quidem absque scelere sese vindicant probi.) *Verba Ciceronis in oratione pro Amerino Roscio cap.* XXXIV. *p.*

Sæpe dum blanditur, ipsa offendit adsentatio.) *Quomodo; peti queat ex Senecæ libro* II. *de Ira capite* XXVIII. *m.*

Sæpe per vinum exoriuntur dissidia in conviviis.) *Fictum è Plautini Militis versu* LXIX. *actus* III. *scenæ* I.

Sæpe quem justum esse oportet insigni cum infamia.] *Explicat Seneca Epistolæ* CXIII. *fine.*

Sæpe servus libertatem malitiâ invenit sua.) *Versus Plauti ultimus in Epidico.*

Sæpius nunquam sperata quàm quæ speres accidunt.) *E Mostellaria actu* I. *scena* III. *versu* XL.

Sanè genus hoc mulieroſum eſt tunicis dimiſſitiis.) *E Pœnulo, actu* v. *ſcenâ* v. *verſu* XXIV.

Sapere iſtac ætate oportet, qui ſunt capite candido.) *E Moſtellariâ, actu* v. *ſc.* II. *verſu* XXVII.

Sapientiæ ætas condimentum eſt, ſapiens ætati cibus eſt.) *E Trinummo, actus* II. *ſcenæ* II. *verſu* LXXXII.

Satin' ut quem tu habeas fidelem tibi, aut cui credas neſcias?) *E Bacchidibus, actu* III. *ſcenæ* III. *verſu* LXXXVII.

Sciebam ut eſſe me decebat, facere non quibam miſer.) *E Trinummi actus* III. *ſcena* II. *verſu* XXXI.

Scire qui clades ſuas refugit, timores adgravet.) *Petitum fabricatumque ex Senecæ Agamemnone, verſu* CCCCXIX.

Servus eſt inſcitus qui ſe hero moderari poſtulet.] *E Menæchmis, actu* II. *ſcena* III. *verſu* LXXXVIII.

Servo homini melius modeſtè facere ſumptum, quàm ampliter.) *E Sticho, actu* V. *ſcenâ* IV. *verſu* X.

Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio eſt ſenex.) *E Milite, actu* III. *ſc.* I. *verſu* XXXVII.

Si bonam mihi ſervaſſo famam, dives ero ſatis.) *E Moſtellariæ actus* I. *ſc.* III. *verſu* LXXI.

Si domi eſt, foris eſt amantis animus, ſin foris, domi eſt.) *E Mercatore, actus* III. *ſc.* IV. *verſ.* II.

